VINDICIÆ SOCIETATIS JESU

HISCE TEMPORIBUS,

EJUSQUE DOCTRINARUM PURGATIO,

DUOBUS SUPRA VIGINTI MONUMENTIS INEDITIS NIXÆ,

OPERA

P. LECTORIS

F. DANIELIS CONCINA

ORDINIS PRÆDICATORUM.

ACCEDUNT ALIA SEPTEM DOCUMENTA

EODEM SPECTANTIA.

OPUS

MAXIME UTILE

PAROCHIS, ET CONFESSARIIS.

VENETIIS

MDCCLXIX.

APUD SIMONEM OCCHI

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO EXCELLENTISSIMI SENATUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

TYPOGRAPHUS
LECTORI.

LAtent plane cauſſæ, ob quas doctus, ac celeberrimus Pater DANIEL CONCINA hoc opus, *Reverendiſs. Patri Generali Societatis Jeſu, ejuſque Adſiſtentibus* nuncupatum, conſcripſerit, & ob quas illud publici juris facere nunquam voluerit, neque ſinere ut typis illud vulgaretur. Poſt magni illius Viri obitum duo tantum ſuperfuerunt Autographa (quod ego ſciam) Vindiciarum ejuſmodi, ab Authore emendata, & aucta; quorum alterum in inſigni Bibliotheca Caſanatenſi ab eo fuit depoſitum; alterum vero in Sancti Marci Florentiæ, ubi nunc inter alios manuſcriptos Codices extat.

Ex Bibliotheca hac altera fidele ductum fuit exemplum, quod in vulgus edere ſtatui, nedum quod *Probabiliſmi, ac Rigoriſmi Hiſtoriam* conferre poſſit ad perſequendam, atque illuſtrandam; ſed quod etiam credere fas eſt, divino conſilio fuiſſe diſpoſitum, ut ejus reſervaretur editio in hæc adeo miſera, atque exitialia Venerabili Societati Jeſu tempora quæ melioribus dubio procul uti Vindiciis nequiret his quæ effluxerunt e Viri calamo tam celebris, ac Apoſtolico zelo repleti, cujuſmodi fuit Pater Concina.

Quemadmodum hic tamen agitur de Vindiciis, ita nullum mihi afferendum jus cenſui abſque illorum ipſorum venia, quorum gratia fuerunt calamo exaratæ; ideoque de illorum maxime indubia, & ſolemni approbatione ego certus, ad illas typis emittendas tandem adducor. Jure, ac merito perſuaſum mihi eſt fore ut, attentis ingenio Operis, claro Authoris nomine, illiſque, quorum res agitur, libenti animo excipiat Lector hiſce preſſertim temporibus meam ſedulitatem, gratumque ſit illi, me paſſum haudquaquam fuiſſe, ut in erudito Bibliothecarum pulvere interiret hic ſingularis ſane Authoris fœtus, qui tantam ſui nominis celebritatem in Orbe litterario reliquit.

Quoniam vero hæ Societatis Vindiciæ duobus ſupra viginti Documentis ineditis firmiſſime ſuperſtructæ conſiſtunt; abs re non erit, ut mihi quidem videtur, alia nonnulla, etiamſi typis edita jam fuerint, adjicere, quæ ſparſim in diverſis occurrunt libris. Qua in re me facturum opinor litterario haud ingratam rem Orbi, ſi latino tantum idiomate cuncta, quæ inveniri potuerunt, in unum collecta volumen obtulero, ne hac, & illae ad illa perquirenda haud exigua ſane temporis jactura adigantur Eruditionis ſtudioſi viri. Hac de cauſſa, ea quæ alio Sermone conſcripta erant, ut in latinum verterentur, curavi, eo certe conſilio, ut, cum a remotioribus Regionibus expetantur, patere omnibus poſſint.

MONITUM
LECTORI.

DE Viro eximio Patre DANIELE CONCINA, Auctore ſequentis Operis, quod inſeribitur: *Vindiciæ Societatis Jeſu hiſce temporibus, ejuſque Doctrinarum purgatio, duobus ſupra viginti Monumentis ineditis nixæ, Opera P. Lectoris F. Danielis Concina Ordinis Prædicatorum. Accedunt alia ſeptem Documenta eodem ſpectantia. Opus maxime utile Parochis, & Confeſſariis*; Nihil eſt, quod aliquid præloquar, cum ſatis abunde fuerit de ipſo locutus Dionyſius Sandellius Patavinus in Commentario de Vita, & Scriptis ejuſdem, ann. 1767. a me typis in lucem edito, ex quo addiſcere poterit unuſquiſque virtutes, geſtaque ipſius, ac una ſimul omnia, quæ in caput ſuum accerſivit ipſe, infortunia, eo quod agere Dei cauſſam maluerit. Id unum ſubjiciam, exiſtimationem, qua florent apud omnes tot lucubrationes doctrina, ac pietate inſignis Auctoris, nec non fructum, atque emolumentum, quod ex iis perceperunt Viri lucis veritatis cupidi, in cauſſa eſſe, cur illæ etiam, atque etiam expetantur, earumque in dies multiplicentur editiones. Quamvis autem, quod attinet ad me, nil abſuerit, quin meis prælis excuſum prodierit quicquid benigne traditum mihi ab Auctore fuit, quin etiam ipſum Compendium Theologiæ Chriſtianæ Dogmatico-Moralis, quod mihi Divino quodam beneficiò, poſtquam ille demigravit ex hac vita, ſapienti, atque potenti dextera porrectum fuit; nihilo tamen minus, cum meas aſſidue tunderent aures tot proborum litteratorumque virorum efflagitationes, quos minime fugiebat, aliquibus in Bibliothecis alia nonnulla deliteſcere ejuſdem Opera poſthuma, juxta laudati Sandellii teſtimonium, quique me urgebant de eorumdem exemplis; propterea induſtriam omnem, ac diligentiam meam conferendam ad illorum acquiſitionem decrevi; mihique, Deo bene juvante, poſtremis hiſce temporibus, feliciter evenit, ut in meas pervenirent manus Epiſtolæ illæ ad Joſephum Carpani S. J., quas nulla interjecta mora, ut præfatis Viris, tanquam Veritatis æquis æſtimatoribus, faciendi ſatis meum declarare ſtudium valeam, publici juris feci, utque hominibus cæteris Veritatem exquirentibus, atque a noxiis mentis anticipationibus liberari cupientibus proſim: quod certiſſime fiet, ſi ad reliquorum Patris Concinæ Operum hujus quoque ſedulam lectionem adjecerint. Illos inſuper monitos velim, aliud ſimilis argumenti Opus aliunde me præſtolari, quod ipſis æque gratum fore confido: atque interim ſpondeo, ſtatim ac illud ad me pervenerit, meis typis vulgatum iri ad eorum omnium ſolatium, qui latiſſime patere cupiunt tanti Viri omni laude digniſſimi Opera in commune omnium hominum bonum.

IN-

INDEX

CAPITUM, ET PARAGRAPHORUM

PRIORIS PARTIS.

Cap. I. *Operis dedicatio.* Pag. 1

Cap. II. *Damnat ſuis Legibus Societas Jeſu Probabiliſmum, laxaſque ſententias, ab Jeſuitarum Probabiliſtarum factione propugnatas.* 5

Cap. III. *Pauca nonnulla monita circa Documenta, queis adverſus Jeſuitarum Probabiliſtarum partes vindicatur Jeſu Societas. Patrum Ghezzii, Sanvitalis, Lecchii, aliorumque,* Hiſtoriam Probabiliſmi *incuſantium, ceu neceſſariis documentis carentem, votis fit ſatis.* 6

Cap. IV. Catalogus *certæ fidei Documentorum, quæ deinceps proferentur.* 8

Cap. V. *Animadverſio prima quæ Jeſuitarum Probabiliſtarum factioni proponitur, ſuper Documento primo, quod inſcribitur: Libellus ſupplex, Summo Pontifici Clementi XI. oblatus.* 9

Cap. VI. *Eximius Generalis Gonzalez, utpote Societatem Jeſu referens, ſuis Papam Clementem XI. urget ſupplicationibus, ut decretorium ferat de Controverſia judicium, utque Societatem ab illa ſervet ruina, in quam Probabiliſtarum Jeſuitarum eam factio compellit. Meditatio ſuper ſilentio quod optaret in hac cauſſa Probabiliſtica Jeſuitarum Factio.* 12

Cap. VII. *Narrat P. Generalis Gonzalez, Sancti Papæ Innocentii XI. Decretum, Jeſuitis indictum ut probabiliorem ſententiam docerent, fuiſſe a Probabiliſtarum Jeſuitarum factione tredecim annos celatum. Alia magni momenti capita. Rationes peculiares, ob quas delendus Societati ſit Probabiliſmus.* 14

Cap. VIII. *Reverendi Patres* Ghezzius, Lecchius, Bovius, Sanvitalis, Gagna, Richelmius *aliique Jeſuitæ Probabiliſtæ in Societatem conſpirarunt. Id Patris Generalis Gonzalez verbis, evidentique demonſtratione probatur.* 16

Cap. IX. *Tertia ratio quam Papæ Clementi XI. proponit Pater Gonzalez, eidem ut Probabiliſmum proſcribat, ſuaſurus. Oſtendit ab Jeſuitis præcipue diris eſſe devovendum; quod, ipſo judice, eumdem executioni mandans non ſit expers criminis. Excitantur a veterno quidam nimis ſtudioſi, tanquam verum, quidquid ab aliquo Jeſuitarum audiunt, defendentes.* 18

Cap. X. *Quarta ratio qua evincit Pater* Generalis Gonzalez, *nequire Jeſuitas Probabiliſtas fidem bonam in tuendo Probabiliſmo allegare; non eſſe ignorantiam ipſorum invincibilem, ſed evidentis ratiocinii vi culpæ obnoxiam. Nihil eſt in rerum natura mirabilius, nec tam prodigioſum, quam Probabiliſmi ignorantia. Hac in re Ghezzius, Lecchius, Gagna, cum reliquis omnibus elingues fuerunt.* 20

Cap. XI. *Pergit Pater Gonzalez alias Societatis Leges adverſus Probabiliſmum proferre. Ad memoriam Pontificia in eumdem Decreta revocat. Suam ad Sanctum Papam Clementem XI. convertit perorationem. Teſtem appellat Deum, ſe nihil aliud, in demiſiſſime ſupplici hoc libello afferendo, ſpectare, quam Societatis liberationem.* 22

Cap. XII. *Sancti Patriarchæ Ignatii vi legum, poſteriorum Societatis Decretorum, Præpoſitorum Generalium mandatorum, a Patre Generali Gonzalez allatorum ſumma patefit evidentia, Jeſuitas omnes Probabiliſticæ partis ad Societatis hoſtes accedere.* 24

Doc. I. *Libellus ſupplex, oblatus Sanctiſſimo D. Noſtro Clementi XI. pro incolumitate Societatis Jeſu ab ejus Præpoſito Generali Thyrſo Gonzalez anno* 1702. 26

Cap. XIII. Doc. alt. *Cardinalis de Aguirre, ad Hiſpaniarum Regem ſcribentis pro Generali Gonzalez contra Jeſuitas Probabiliſtas.* 32

§. Unicus. *Nonnullæ breves animadverſiones in Documentum ejuſmodi.* 33

Cap. XIV. Doc. III. *Hiſpaniarum Regis*

man-

mandatum ad D. Ducem Medinam Cæli de Societatis Generali, Patre Thyrſo Gonzalez. 34

Cap. XV. Doc. IV. *Auguſtiſſimi Imperatoris Leopoldi Epiſtola ad R. R. P. P. Adſiſtentes Societatis Jeſu, quibus ſuadet, ut proprio conſentientes Generali ſint, utque diſſidii radices excidant, quo, magno animi ſui mœrore, flagrat Societas.* 35

Cap. XVI. Doc. V. *Epiſtola Auguſtiſſimi Cæſaris ad Patrem Præpoſitum Generalem Societatis Jeſu.* 36

§. Unicus. *Meditatio in duo ſupra relata Documenta, ab iis, qui a Probabiliſtarum partibus ſunt, facienda.* 37

Cap. XVII. Doc. VI. *Epiſtola, qua Pater Thyrſus Gonzalez, Societatis Generalis, Auguſtiſſimo Imperatori Leopoldo reſcribit.* 38

§. Unicus. *Pii Generalis Gonzalez ſpei minime reſpondit eventus.* 39

Cap. XVIII. Doc. VII. *Libellus ſupplex Sancto Pontifici Innocentio XII. a quinque Societatis Adſiſtentibus porrectus adverſus proprium Generalem Gonzalez. Facultatem enixe ab eo petunt Generalem cogendi Congregationem, abdicandi ergo dignitate, ac munere Generalem, quem traducunt veluti turbas in Societate cientem.* ib.

§. Unicus. *Patris Generalis Gonzalez Apologia brevis, qua crimina, ei a ſuis Patribus Adſiſtentibus objecta, diluuntur.* 41

Cap. XIX. Doc. VIII. *Quinque Societatis Adſiſtentium Libellus ſupplex ad Innocentium Papam XII. in quo gratia Pontifici aguntur, quod Patris Gonzalez librum ſuppreſſerit; obſecraturque, ut firmo, conſtantique animo in ſententia permaneat.* 43

Cap. XX. Doc. IX. *Præſentis celebris negotii ſtatus, in quo varia exponuntur capita, docilem Patris Generalis mentem ſpectantia in ſubmittendo Cenſoribus Librum ſuum. Obfirmatus Adſiſtentium animus in enitendo, ut is ſupprimatur. Patris Pauli Segneri apud Papam authoritas, ejuſque vehemens conatus, ut Generalis convocetur Congregatio, & adverſus quidem ſuum Generalem.* ib.

§. Unicus. *Breves nonnullæ Meditationes ſuper uno, vel altero ſupraſcripti Documenti capite.* 44

Cap. XXI. Doc. X. *Aliquot Romanæ Provinciæ Patrum Jeſuitarum ad Papam Innocentium XII. ſupplex Libellus.* 46

Cap. XXII. Doc. XI. *Libellus ſupplex quinque Societatis Jeſu Adſiſtentium ad D. Fabroni a ſuplicibus libellis.* ib.

Cap. XXIII. Doc. XII. *Patris Thyrſi Gonzalez Societatis Jeſu Generalis, ad D. Fabroni Libellus ſupplex; in quo difficultatem, ab Jeſuitarum Probabiliſtarum factione objectam, diluit.* 47

PARS ALTERA.

Cap. XXIV. Doc. XIII. *Wolfangi Prienzonii Canonici Epiſtola ad Patrem Thyrſum Gonzalez Societatis Generalem, in qua eum deterret a committendo librum ſuum prælo.* 48

§. Unicus. *Exſcriptæ hujus epiſtolæ Author eſt Jeſuita Germanus. Variæ in eamdem breves animadverſiones.* 50

Cap. XXV. Doc. XIV. *Patrum Adſiſtentium Libellus ſupplex ad Reverendiſſimum Patrem Ferrari, Sacri Palatii Magiſtrum, adverſus librum Patris Generalis Thyrſi Gonzalez.* 52

Cap. XXVI. Doc. XV. *Epiſtola P. Euſebii Truchſes, Germaniæ Adſiſtentis, ad Patrem Ferrari Magiſtrum Sacri Palatii.* 56

Cap. XXVII. Doc. XVI. *Procuratorum Provinciarum Congregatio fuit habita, deliberandi ergo, an foret Congregatio Generalis indicenda, ex qua pendebat ſors Generalis Gonzalez, eo quod Probabiliſmum oppugnaverit.* 57

Cap. XXVIII. *In Generali Procuratorum Provinciarum Congregatione ſeptemdecim captum Suffragiis conſilium fuit de Generali convocanda Congregatione; ſexdecim autem in contrariam itum eſt ſententiam.* 58

Cap. XXIX. Doc. XVII. *Pater Sorba Jeſuita validiſſimis propugnavit ſcriptis, ſatis non eſſe ſeptemdecim ſuffragia Generali cogendæ Congregationi. Partium Probabiliſticarum Jeſuitæ alia vulgarunt adverſa ſcripta.* 59

Cap. XXX. S. *Pontifex Innocentius XII. Cardinalium Congregationem inſtituit, qui celebrem judicarent litem exardeſcentem inter Jeſuitarum Probabiliſtarum factionem, ac Generalem Gonzalez, qui*

cum

cum ſuis fautoribus ſanam propugnabat Societatis doctrinam. 62

Cap. XXXI. Doc. XVIII. *Supplex Patris Procuratoris Generalis Jeſuitarum libellus Innocentio XII. oblatus, ut præfinita Cardinalium Congregationis tempus protraheret.* ib.

Cap. XXXII. *Quinque Cardinalium Congregationis Decretorium judicium contra Jeſuitarum Probabiliſtarum partes; ſecundum vero Patrem Thyrſum Gonzalez Antiprobabiliſtam, Societatiſque Generalem, cujus mentem exhibet hac cauſſa.* 63

Cap. XXXIII. *Societatis Jeſu mens adverſata fuit ſemper Probabiliſmo: Jeſuitarum autem Probabiliſtarum factio tam in domeſticis certaminibus litterariis, quam in externis, ſemper victa ſuccubuit.* 64

Cap. XXXIV. *Civile bellum circa Probabiliſmi controverſiam, in Societate commotum, neutri obeſt parti, quippe quod crederent ambæ partes, æquam ſe cauſſam tueri.* 65

Cap. XXXV. *Vera Societatis Jeſu Defenſio a Paſchalis, Wendrochii, cunctorumque Janſeniſtarum obtrectatione. Vindiciæ adornatæ a Daniele, a Des-camps, a Fabri, aliiſque Jeſuitis Probabiliſtis, infelices ſunt, ac inordinatæ.* 66

Cap. XXXVI. *Fabuloſæ, commentitiæque Patris Gabrielis Danielis narrationes de geminis partibus Adſiſtentes inter, ac P. Generalem Thyrſum Gonzalez litigantibus.* 68

Cap. XXXVII. *Colligitur, quam neceſſariæ forent hæ Societatis Jeſu Vindiciæ adverſus Jeſuitarum Probabiliſtarum Factionem, nec non adverſus Janſenianos. Objectioni reſpondetur, ex eo petitæ, quod ſoli Jeſuitæ vocem extulerint contra Hiſtoriam Probabiliſmi.* 73

Cap. XXXVIII. Doc. XIX. *Cenſura edita a quinque Cenſoribus Le Roy, Requieſcens, a Cruce, Dunello, Eſparza in Gonzalez Librum anno 1674. Generali Oliva.* 74

Cap. XXXIX. *Patris Joſephi Alphari Hiſpani Animadverſiones quædam in deſcriptam cenſuram, in qua graviſſima cauſa Quæſtio de Probabiliſmo appellatur.* 76

Cap. XL. Doc. XX. *Quo continetur Hiſtoria ſumma, quod attinet ad Patris Gonzalez librum, ac Patres Adſiſtentes.* 78

Cap. XLI. Doc. XXI. *Quo continetur Cenſura Patris Zinguis Pro-Adſiſtentis Germaniæ, a S. Pontifice Innocentio XII. conſtituti Cenſoris Libri Patris Generalis Gonzalez.* 96

Cap. XLII. Doc. XXII. ac ult. *Sublimes maximi momenti doctrinæ hoc poſtremo documento pretioſo contentæ. Vera Societatis Jeſu Elogia, veræque nonnullorum ex ejus ſubditis Probabiliſtis ægritudines. Supplicatur Papæ Clementi XI. pro opportuno remedio. Falſis reſpondetur criminationibus, quas in vulgus Jeſuitarum Hoſtes ſpargere ſolent adverſum innoxiam Societatem. Memorat extrema ſeculi noſtri mala deflenda magis, quam ſæculorum mala præteritorum.* 100

Cap. XLIII. *Vindiciarum Epilogus.* 108

PARS TERTIA.

APPENDIX

QUORUMDAM ALIORUM DOCUMENTORUM.

Doc. I. *Succincta narratio eorum, quæ P. Thyrſus Gonzalez geſſit in Hiſpania apud Superiores ſuos, & apud Summum Pontificem Innocentium XI. ad cohibendum opinionum probabilium abuſum, cum brevi explicatione rationum, ob quas anno 1691. edidit tractatum ſuccinctum de hoc argumento, & difficultatum, quæ circa ejus publicationem ſupervenerunt.* 110

Doc. II. *Diſſertatio continens graviſſimas rationes, ob quas expediens fuit, ut Societas Jeſu anno 1687. in ultima Congregatione Generali declararet, ſuum non eſſe, nec ad ſe attinere Probabiliſmum, ſeu ſententiam benignam de uſu licito opinionis minus probabilis, & minus tutæ in concurſu probabilioris, & tutioris. Edit. 1756.* 120

Doc. III. *Vis rationum pro Reverendiſſimo P. Thyrſo Gonzalez Societatis Jeſu Præpoſito Generali, in præſenti controverſia edendi Tractatus de recto uſu opinionum Probabilium.* 133

Doc. IV. *Epiſtola Reverendiſſimi P. Thyrſi*

Gon-

Digitized by Google

Gonzalez ad Patrem Ferrari Magiſtrum Sacri Palatii. 143

Doc. V. *Libellus ſupplex a Reverendiſſimo Patre Ignatio Vicecomite Societatis Jeſu electo die 4. Julii 1751. Præpoſito Generali, nomine totius Societatis, & Aliorum, Summo Pontifici Benedicto XIV. menſe Auguſti inſequentis porrectus adverſus P. Danielem Concinam, quo ad reparanda damna illata Societati, & Scriptoribus ejuſdem ob Theologiam quandam Moralem ab ipſo typis editam, pro juſta aliqua hujus damni reparatione demiſſiſſime ſupplicat, & rationes, ob quas hujus Operis curſus inhibendus eſſe videtur, ſubnectit. Quem ipſe Sanctiſſimus Dominus Reverendiſſimo Patri Antonino Bremondio totius Ordinis Prædicatorum Generali Magiſtro dedit, ab eoque traditus eſt eidem P. Concinæ die 29. ejuſdem menſis, & anni.* ibid.

Doc. VI. *Libellus ſupplex F. Danielis Concinæ oblatus Benedicto XIV. die 21. Septembris ann. 1751. adverſus Libellum ſuplicem a P. Vicecomite S. J. porrectum eidem Pontifici nomine totius Societatis, congregatæ in Congregatione Generali, in qua idem P. Vicecomes Generalis inauguratus eſt.* 151

Doc. VII. *Declaratio, & ſincera proteſtatio F. Danielis Concinæ ſuper aliquibus oppoſitionibus factis contra Tomos ſuæ Theologiæ Chriſtianæ Dogmatico-Moralis recens typis editos. Quam Benedictus XIV. Pontifex ſapientiſſimus volens per ſe finem concertationi, exemplo memorabili, imponere, vocato ad ſe Præſule Giampè Italicam dictavit, tradiditque P. Antonino Bremondio Magiſtro Generali, ut eam Concina latinam faceret, & Theologiæ Chriſtianæ altero prodituro volumini adjungeret. Quod quidem executus eſt P. Vincentius Maria Dinellius; verebatur enim P. Concina; ne ſi id ipſe feciſſet, alium ac præſeferebant, Pontificis verbis ſenſum tribuiſſe diceretur.* 154

OPE-

Digitized by Google

OPERIS DEDICATIO.

CAPUT I.

Reverendiſſime Pater Generalis, ac RR. PP. Adſiſtentes Societatis Jeſu.

I. TAndem aliquando poſt ſeculi, & eo amplius diuturnum curriculum, fauſtum advenit illud tempus, Reverendiſſime P. Generalis, RR. PP. Adſiſtentes, in vulgus edendi veras, prudentes, validaſque Inſignis veſtræ Societatis Vindicias: *Vindicias* inquam quæ authenticis documentis patefaciant denique veſtræ integritatem doctrinæ, morum probitati reſpondentem, quam Sanctus veſter Patriarcha Ignatius præſcribit: *Vindicias*, quæ oſtendant perſpicue, nequire laxas opiniones, ab aliquot privatis Jeſuitis propugnatas, ullam plane inferre labem coruſcanti celebratiſſimæ Societatis veſtræ ſplendori, quæ ſuis jubet legibus, tutiores in qualibet Facultate ſententias ſequi. Laborarunt docti Jeſuitæ ſeculo plus in vindicanda propria Matre ab æmulorum, hoſtiumque ſuorum obtrectationibus: ſed pene omnes fatali impegerunt ſcopulo, aut Confratrum errores negandi, aut totius Ordinis rem, cauſamque communem privatorum Jeſuitarum aliquorum errores, falſaſque doctrinas conſtituendi. Atque veſtrates hi *Defenſores*, ac *Vindices*, tametſi doctrina, & eloquentia præditi, plus Societati veſtræ intulerunt detrimenti cæteris alienis hoſtibus veſtris. Mirum ſane! Pater Reverendiſſime Generalis. Doctiores Vindices veſtri videlicet *Matthæus Moya*, *Honoratus Fabri*, *Joannes Pirot*, *Theophylus Raynaudus*, *Gabriel Daniel*, in libris, in quibus Societatis ſuſceperunt defenſionem, ejuſque Adverſarios confutarunt, a Sancta Romana Sede fuere ſinguli quinque proſcripti. Horumce omnium, Pater Reverendiſſime, veſtrorum celeberrimorum Vindicum damnatio decretorio eſt argumento, dedecori, non gloriæ ipſos Ordini veſtro fuiſſe. Qui rerum veſtrarum ſunt imperiti, ex infortunatis Patronorum veſtrorum actionibus inferunt, malam fuiſſe cauſam ab ipſis actam; aut, ſi bona quidem fuerit cauſſa, minus idoneos fuiſſe patronos. Quibus vero ampla Inſtituti veſtri comperta ſunt merita, ii generale potius dictum illud approbant, quod nimirum, ſicuti ſuimetipſius nemo aptus eſt Medicus, ita in cauſſa propria nemo eſt aptus Patronus.

Præfatis Vindicibus veſtris ſui nunquam defuerunt ſucceſſores, qui dulci benignæ doctrinæ lacte enutriti, ſuarum arbitrati ſunt eſſe partium pro ſententiis Magiſtrorum ſuorum pugnare. Idem tamen ſemper non fuit ipſorum ſermo. Priores Vindices ignominiæ notam Societati Probabiliſmum adſcribere exiſtimabant. Omnem eloquentiæ vim, omnemque artis induſtriam in eo poſuerunt, ut palam facere niterentur, eſſe Probabiliſmum, & non eſſe Jeſuitarum doctrinam. Ipſorum non eſt, ajunt, quod eam ex Dominicanis, aliiſque exſcripſerint: eſt autem ipſorum ſubjiciunt, quod eamdem adoptaverint. Contenditur eſſe Probabiliſmum Doctrinam mitem, Doctrinam dulcius efficientem Jeſu Chriſti ſuave jugum: nihilo tamen minus defenſores indicati ejuſmodi inventionem Doctrinæ Dominicanis aſſerunt, nec Societati gloriæ ducunt, eam iſtiuſmodi Parentem Syſtematis declarare. Poſtremi Vindices a primis hoc in capite diſſident, etiamſi diverſam hanc Vindiciarum rationem eorumdemmet amœnis tegere ſententiis ſtudeant. Mirabilis plane res eſt, Pater Reverendiſſime, hæc loquendi diverſitas, qua utuntur præfati Vindices veſtri pro temporum diverſitate. Prima, & altera Probabiliſmi Epoca videntur gloriæ ſibi vertere Caſuiſtæ Jeſuitæ Probabiliſmi Defenſionem. Loqui aliter cœperunt tertiæ Epocæ initio Annati, Deſcamps, aliique. Verum, ut ſpecimen tibi præbeam iſtiuſmodi confuſionis linguarum, duo interim documenta obiter mihi attingere placet. Pater Eſparza, unus ex celeberrimis Probabiliſtis, quique Clariſſimi Generalis Olivæ lateri adhærebat, in Appendice ad quæſtionem *de uſu licito opinionis probabilis*, poſt maxime longum Probabiliſtarum Jeſuitarum catalogum, loqui hac pergit ratione art. 235. *Pro ſententia contraria dicente, eſſe illici-*

tum uſum opinionis Probabilis, niſi probabilior ſit, aut tutior, aut probabilior ſimul, & tutior, quam oppoſita, DUO TANTUM ſunt AUCTORES ex SOCIETATE JESU, iidemque fuere, quod ſciam, primi, qui illam certe, & expreſſe docuere, Paulus Comitolus, & Andreas Bianchi. Subjungit de Patre Bianchi, vetitum fuiſſe illum a Patre Generali, proprio, vel Societatis præfixo nomine, illud Opus evulgare, quod *Degener* appellat ipſe Pater Eſparza. *Probibitus a Patre Generali, ſuum, Ordiniſque nomen Opuſculo DEGENERI præſcribere.* Qua de cauſſa ſub ementito *Candidi Filalleti* nomine prodiit Liber. Celebre Alexandri VII. Decretum, damnantis novum opinandi modum, tanquam Scripturis, Patribus, morum integritati adverſantem, plures expergefecit Jeſuitas privatos. Traducebatur vulgo Societas, veluti fautrix Probabiliſmi: quæ res offundere ſplendori ejus tenebras videbatur. Quamobrem Pater Thyrius Gonzalez in veſtibulo ſui Operis immortalis quod *fundamentum Theologiæ* inſcribitur, numero 43. ita ſcribit: *Ut a Societate hanc invidiam amolirer, exiſtimavi, nullum eſſe efficacius remedium, quam ſi e Societate prodiret Liber, dicatus Præpoſito Generali* (erat autem celeber Pater Oliva) *qui ex profeſſo impugnaret illam Probabiliſtarum ſententiam, & ſtabiliret oppoſitam. Sic enim evidenter cognoſceret Orbis litterarius, non eſſe doctrinam propriam SOCIETATIS illam, quam operoſe impugnaret liber, dicatus Præpoſito Generali.* Quam adverſarentur Patris Thyrſi judiciis ſenſa Patris Eſparza, inferre licet ex ſtupenda nimis lauſula illa, qua cenſuræ prælaudati Operis Patris Gonzalez idem Pater Eſparza finem imponit. Ita ille, antejens alios quatuor Cenſores ſubſcriptos, prælo mandandum non eſſe pronunciat ipſius Patris Gonzalez librum. *His, aliiſque de cauſſis, quas brevitatis ſtudio præterimus, non expedit opus iſtud in lucem edi, ne JACTENT ADVERSARII noſtri, JESUITAS tandem APERUISSE OCULOS, & argumentis convictos paulatim ab errore ſuo recedere; & qui inter illos doctiores ſunt (ſic enim & ipſi loquuntur) viam aliis monſtrare quam ſequi debeant.* Dignum Hiſpano doctiſſimo Epiphonema. Verum de abſoluta ſuis omnibus numeris ſententia hac ſuo loco erit ſermo. Promulgato a Ven. Innocentio XI. Decreto, quo præcipuas Probabiliſmi confixit propoſitiones, perterrefacti fuere Probabiliſtæ. Quare haud ægre Pater Gonzalez, qui Patri Olivæ in Generalatu ſucceſſit, ut probaretur in Congregatione, cujus mentionem ipſemet facit, ſequens Decretum, effecit. *Cum relatum fuiſset ad Congregationem aliquos in ea perſuaſione eſſe, quod Societas communibus quaſi ſtudiis tuendam ſibi ſumpſiſset eorum Doctorum ſententiam, qui docent, in agendo licitum eſse ſequi opinionem minus probabilem, faventem libertati, relicta Probabiliore ſtante pro præcepto, declarandum cenſuit Congregatio Societatem non prohibuiſſe, nec prohibere, quominus contrariam ſententiam tueri poſsent, quibus magis ea probaretur.* Compertum eſt itaque, aut falſum eſſe, quod ſcribit Pater Eſparza, aut non eſſe verum, quod hoc Decreto continetur. Poſt Gonzalez obitum, Caſuiſtæ plures e Jeſuitis, præſertim Pater La-Croix, Pater Fibo, Ghezzi, Lecchi, Richelmi, Gagna, totque alii imprudenter omnibus pene Jeſuitis Probabiliſmum adſcribunt.

III. Hinc optime intelligitis, P. Reverendiſſime Generalis, ac RR. PP. Adſiſtentes, quam ſit e re Societatis veſtræ, ejuſque ſerviat commodis hic meus qualiſcumque labor. Eo ſpectant potiſſimum hæ Vindiciæ, ut fiat exploratum, Societatis JESU mentem Probabiliſtico Syſtemati, laxæque morum Doctrinæ obſiſtere. Planum fiet, illuſtrem hanc Societatem ope tum doctiſſimorum Theologorum, tum ſanctiſſimarum Legum, ac prudentiſſimorum Generalium dimicaſſe glorioſe adverſus Probabiliſmum, laxaſque ſententias, morbidæ ſtirpis germina neceſſaria. Quod plauſu dignas efficiet *Vindicias* iſtas, illud eſt nil criminoſi eas ſpiraturas, nil contumelioſi, nil, quod ad bonitatem pium Lectorem inſtruendo ſuapte natura non ſit idoneum. Commune bonum, veritatis ſtudium, juſta ſollicitudo lumen præbendi Patrum quoque Ghezzii, Lecchii, Richelmii, Gagnæ, aliorumque privatorum ipſis junctorum fædere mentibus veræ ſunt cauſæ, ſolidæque rationes præſentis Operis.

IV. Contextæ erunt *Vindiciæ* iſtæ non arbitrariis quidem ratiocinationibus, ſed ineditis ſolummodo, ceræque fidei documen-

men-

mentis. Nullum ex his documentis cujuſvis vel oblique motes attingit. Domeſticam ea produnt litterariam concertationem dumtaxat, quæ anno 1674. cæpta eſt in Societate, & etiamnum viget. *Vindiciæ* iſtæ quantum habebunt gratiæ apud ſapientes, doctos ac pios Jeſuitas, veros ſanæ doctrinæ, ſenſorumque ſanctorum circa Evangelicam paupertatem, humilitatem Chriſtianam, virtutes etiam, atque etiam a Sancto Patriarcha Ignatio commendatas, hæredes, tantumdem habebunt offenſionis fortaſſe apud Probabiliſtarum partium Jeſuitas. Sed hi non aliis acceptam referre, quam ſibimetipſis, diſplicentiam debent, ac pro iis, quas diſcent, veritatibus maximas Deo agere gratias. Criminati ſunt Patres Ghezzius, Lecchius, Richelmius, & Gagna Probabiliſmi Hiſtoriam ceu inanem, neceſſariiſque documentis carentem. Libros propterea ediderunt inſcriptos: *Specimen ſupplementorum, queis indiget HISTORIA Probabiliſmi* &c. *MONITA* &c. Reverendis his Patribus voluptas non deerit modo vera Supplementa legendi, quorum flagrabant deſiderio. Documenta, mirum in modum hujuſcemodi Hiſtoriam illuſtrantia, extant ſingula in Societatis tabulariis. Mihi fortaſſe non licuit univerſa colligere; ſed erit laudatorum Patrum, iis, quæ deſunt, litterariam munerari Rempublicam, meamque probare ſedulitatem in expiſcandis illis, quæ nunc in bonum publicum confero.

V. Quæ hic probaturus ſum, documenta omni ſunt exceptione majora. Nedum in Societatis extant tabulariis, ſed in duabus etiam duorum inſignium Cardinalium, Fabroni, & Ferrari Bibliothecis. Eminentiſſimus Fabroni Cardinalis fuit unus inter ſtudioſiſſimos Societatis, ſuamque Piſtorii ejus Patriæ Bibliothecam Reverendorum Patrum Oratorii curæ, atque adminiſtrationi commiſit. Cardinalis Ferrari neceſſitudine ſumma Generali Gonzalez, ejuſdemque etiam Generalis Adſiſtentibus fuit conjunctus. Eximius hic Cardinalis, ſidus Sacri Collegii, ſelectam inſtruxit Bibliothecam; cumque vehementer optaret, ut in ſuo Prædicatorum Ordine Regularis floreret Diſciplina, eam in Romano Sanctæ Sabinæ Cænobio maxime fulgentem conſpiciens, ſuam ornatiſſimis Patribus illis Bibliothecam legavit, in qua repeniuntur documenta indicata. De authentica igitur eorumdem ratione nulla exoriri vel leviſſima ſuſpicio poteſt. Ideo hæc una plus habitura eſſe ponderis ſpero, quam omnes ex metaphyſicis principiis ductæ argumentationes.

VI. Brevis hæc expoſitio Operis, quod ego demiſſiſſimo obſequio Vobis offero, Pater Reverendiſſime Generalis, ac RR. PP. Adſiſtentes, in cauſſa erit, cur illud gratiori, ac libentiori animo ſitis excepturi. Indubiæ fidei documentis difflatam cernere illam adeo pervulgatam, ac decantatam criminationem, quod nempe fautor laxæ Moralis ſit Ordo veſter: Luculentiſſime perſpicere oppoſitum, rationibus, atque argumentis efficaciſſimis confirmatum, quod ſcilicet ſpiritus, quo prævalide Societas agitur, cum legibus, tum Decretis, tum Sapientiſſimorum Theologorum ſubſidio, laxis opinionibus bellum ſemper intulerit, ſanamque doctrinam, ac Evangelicas virtutes promoverit & igne Apoſtolici zeli, & luce ſanctorum morum: id omne tandem in lucem tam caute, ac vere prolatum deprehendere ut ſi inclyta efferatur Societas, quod laxam confutavit Moralem, non deprimantur privati ii Jeſuitæ, qui bona fide pugnarunt, & adhuc pugnant pro doctrina contraria, ab ipſis exiſtimata benigna, minime vero periculoſa: Id omne, inquam, deprehendere in pleno lumine collocatum, maxima nequit non afficere lætitia nedum vos Pater Reverendiſſime, ac RR. PP. Adſiſtentes, ſed illos quoque omnes, qui Societatem veſtram ſincero diligunt animo. Quoniam vero id magnopere refert, ne quid videlicet damni reportent Jeſuitæ privati, putatæ benignæ Moralis Defenſores, eo ipſo tempore, quo extollitur pars adverſa, Ordinem ſuis in legibus, ſuiſque in ſententiis exhibens, hujuſce rei obiter ſaltem opus eſt nos indicare rationem, quæ ſponte ſua obvia eſt: nam ſicut civilibus in tribunalibus litem habentes, ad ſuperius tribunal provocando, latas ab judicibus illis ſententias poſtulant de injuſtitia, nec tamen propterea injuſtitiæ criminis conſcii habentur judices iidem; ita pariter, ajentibus nobis, falſas eſſe, noxias, offenſionemque præbentes Adverſariorum opiniones, nulla tamen ratione integritas idcirco læditur, ac fama eas bona fide propugnantium. Divi Thomæ doctrinam tradere Dominicani tenen-

tur ex Inſtituto. A ſeculo cum dimidio, & amplius Dominicanis objectant Jeſuitæ, in Controverſiis de Divina Gratia ipſos a Sancto Thoma ſubinde a mente ſuarum legum deſciſcere. Jam vero quisnam dixerit, Jeſuitas, ſic ſcribendo, Thomiſtarum famam imminuere? Iniqui forent itaque ii, qui dicerent haſce *Vindicias*, ſi Antiprobabiliſtarum Jeſuitarum partibus faveant, contrariæ obeſſe factioni; etenim illis iisdem, qui ſtant a Probabiliſtarum partibus, perſuaſum eſt, ſe pro ſententia pugnare, quæ extra culpam ſit, quæque faciliorem viam reddat Paradiſi.

VII. Ut magis, magiſque res iſthæc magni momenti perſpicua fiat, animadvertendum eſt, rudiores plurimos ob privatorum quorumdam vitia toti detrahere Communitati; vel e contra ob illam, qua gaudet Communitas, bonam famam, atque exiſtimationem contendere, ſingulos privatos vitiis, atque erroribus haud eſſe obnoxios. In hunc errorem ſcribit S. Fulgentius *de fide ad Petrum Diacon.* cap. 43. *Firmiſſime tene, ac nullatenus dubites, Arcam Dei eſse Eccleſiam Catholicum, & intra eam uſque in finem ſæculi frumento mixtas paleas contineri, hoc eſt, bonis malos Sacramentorum communione miſceri, & in omni profeſſione ſive Clericorum, ſive Monachorum, ſive Laicorum bonos eſse ſimul, & malos, nec pro malis bonos deſerendos, ſed pro bonis malos, in quantum exigit fidei, & charitatis ratio, tolerandos.* Cum nos contra Hæreticorum calumnias aſſerimus, Eccleſiam eſſe puram, ſanctam, infallibilem, anne ſingulos Chriſtianos puros eſſe, ſanctos, infallibiles, affirmamus? minime vero; ſed quod puræ ſanctæ immaculatæque ſententiæ ſint, atque doctrinæ, quas tradit Eccleſia. Non abſimili modo Societatem adverſus Probabiliſtarum partes ego vindico. Nec objicere juvat, pleroſque recentium Jeſuitarum pro virili Probabiliſmum, doctrinaſque putatas benignas defendere; ſiquidem catholicorum adultorum plurimos juxta divinas Litteras, Patres, ac Theologos, teſte ipſo P. Paulo Segneri in *Chriſtiano inſtructo*, errorem ſectari, reſpondeo; nec tamen propterea Eccleſiam ſanctam eſſe deſinere. Debita proportione, pariter ac diſcrepantia ſervatis, quamvis Probabiliſtarum Jeſuitarum factio numero eſſet frequentior, non ideo tamen Societati perit ejus in præſcribendis doctrinis, atque ſententiis ſanctis, & evangelicis, prærogativa.

VIII. Quis poterit, Pater Reverendiſſime Generalis, ac RR. PP. Aſſiſtentes, dubitare modo, quin libenti, lætoque animo ſiiis excepturi opus iſtud, in quo evidenter ea calumnia refellitur, quod nimirum laxæ faveat Morali Societas veſtra, oppoſitumque perſpicue demonſtratur? Accreſcens hinc veſtræ Societati ſplendor, erroris depulſio ab hominum mentibus, tot annos firma exiſtimatione de oppoſito præoccupatis, ingens animarum luce perfuſarum bonum, veræ ſunt cauſſæ, cur vobis, ſpectatiſſimi Patres gratum debeat accidere exiguum levis hujuſce tributi munus, quod ego in obſequii argumentum, quod erga inſignem Ordinem veſtrum, bene adeo de Eccleſia univerſa meritum, profiteor, humiliter vobis dico. Si vos, Pater Reverendiſſime Generalis, ac RR. PP. Aſſiſtentes, vel leviſſimum hominibus præberetis indicium ægre has VINDICIAS ferendi, tunc a vobis confirmaretur, impotenti Societatem veſtram ferri libidine ad promovendum Probabiliſmum, laxaſque Doctrinas. Temeritas foret rem adeo noxiam, pernicioſamque Ordini veſtro ſuſpicari de vobis. Temeritas igitur erit ambigere, ne dum metuere, ne vobis ſint arriſuræ VINDICIÆ iſtæ, quas ego tanta vobis offero animi demiſſione. Leve eſt tributum, ſi attendantur cum labor meus, tum cupiditas, qua teneor, longe majora oſtendendi vobis maximi pretii argumenta, in quo eſt apud me veſter Ordo. Cæterum ſi cauſæ, quæ agitur, magnitudinem, effectaque inde manantia ſpectemus, haud leve eſt munus. Verum eſt, Jeſuitas Probabiliſtas obtrudere imperito vulgo, Probabiliſmi Controverſiam, de qua diſceptatur hodie, *quæſtionem eſse de vocibus* nullius momenti, ſicuti equidem dictitabant etiam Monothelitæ, Entychiani, totque alii, cum in ſuis deprehendebantur erroribus, neſciebantque quid reſponſi darent. At vero vos, Reverendiſſime Pater Generalis, ac RR. PP. Aſſiſtentes, pro certo ſcitis, Controverſiam hanc modo *Baſim*, modo *Fundamentum* Moralis Theologiæ a veri nominis Theologis appellari, Eccleſiamque Gallicanam Probabiliſmum, qui in quæſtionem venit, *contagioſum fontem* vocare cor-

corruptelarum omnium maxime peſtiferarum. Quare meliorem Societati operam commodare ipſe non valeo, quam palam faciendo, Societatis mentem eſſe e regione pernicioſo huic ſyſtemati oppoſitam. Tu itaque, Pater Reverendiſſime, gratum, acceptumque meum habe conſilium, dum ego ad opus aggredior.

CAPUT II.

Damnat ſuis Legibus Societas Jeſu Probabiliſmum, laxaſque ſententias, ab Jeſuitarum Probabiliſtarum factione propugnatas.

I. QUam tulit S. Patriarcha Ignatius, primus Societatis Generalis, adverſum laxiorem Ethicem, lex ſuis in Conſtitutionibus reperitur deſcripta par. 4. cap. 5. *Sequantur in quavis facultate SECURIOREM, & magis approbatam doctrinam, & eos Auctores, qui eam docent*. Repetita fuit ſancta lex hæc, ac denuo confirmata anno 1682. in Decreto 28. in primum Societatis Conſtitutionum volumen inſerto pag. 606. ſequentibus verbis: *Quamvis contra novitatem, laxitatemque opinionum, præſertim in rebus MORALIBUS, abunde proviſum ſit, & Præpoſitorum Generalium ordinationibus, & ſuperiorum Congregationum Decretis, & Conſtitutionibus ipſis, quibus VIDEMUR ſequi in quavis facultate ſecuriorem, magiſque approbatam Doctrinam; in re tamen tanti momenti, poſtulante pro ſuo zelo Patre noſtro, OMNIUMQUE conſpirantibus votis, nihil prætermittendum rata Congregatio præſens, Decretorum, quibus NOVÆ ILLÆ LAXIORESQUE OPINIONES DOCERI TYPISQUE MANDARI prohibentur, vim totam renovat, roborat, & confirmat*. Ex hujuſcemodi ſanctarum legum viſceribus, minime vero ex iis, quæ docent Eſcobarius, Eſparza, & Tamburinus, Societatis colligenda mens eſt. Alias exſcribere omitto Conſtitutiones Societatis ejuſdem, quæ Sedi Apoſtolicæ arctam præcipiunt adhæſionem, Bullis Pontificiis cæcam, exactiſſimam obedientiam. Harumce legum accurata obſervantia ſpiritum conſtituit dominantem, maximeque proprium Religioſo huic Inſtituto, cujus finis eſt Catholicæ-defenſio Eccleſiæ, peccatorum converſio, ſanctificatio animarum. Jeſuitæ, in Controverſiis Moralibus dubiis, non tutiores quidem ſententias docentes, ſed e contra minus tutas, minus probabiles, legibus ſuis nuncium remittunt, fiuntque noxii, potiuſquam utiles ſanæ Evangelicæ Doctrinæ propagationi, quantum ratiocinationis vi infertur. Et ſane quidem Chriſtifidelium moderari conſcientias mollioribus opinionibus, magiſque ad cupiditatem, ad voluptatem accommodatis, idem eſſe non videtur, ac operam re ipſa, felicique eventu navare æternæ animarum ſaluti; ſed ad perditionem eſt aditum patefacere.

II. Fidem excedunt ſophiſmata, queis legitimos, ac ſimplices laudatarum ſenſus legum conantur involvere RR. PP. Jeſuitæ, a partibus Probabiliſticis ſtantes. Cavillationes feſtivæ ſane, ac lepidæ Patrum Lecchii, Bovii, Ghezzii, Richelmii, & Gagnæ aliis in libris fuerunt refutatæ. Quicumque melius dignoſcendi foret cupidus, quam noxiæ ſint antedictorum Patrum interpretationes, legat *Explicationem quatuor Paradoxorum*, &c. nec non *Animadverſiones in libros Lecchii, & Bovii*, &c. Pater Bovius perbelle ſic ratiocinatur. Juxta Fagnanum, & Merendam Theatini quoque pari adſtringuntur lege ad tutiorem in rebus controverſis opinionem ſequendam: nihilo tamen minus ex Sacro Ordine illo Theologi, atque Eccleſiaſtici Juris periti, legis inſtitutioni propiores, puta celebris Diana, Paſqualigus, Verricellius, & alii docuere Probabiliſmum. Ea igitur lex de amplectendo tutiorem ſententiam de benigniori intelligitur, quoties hæc a Confeſſario judicetur opportunior. A Theatinis autem ad Jeſuitas tranſitum faciens ita ſcribit par. 2. cap. 6. *Hic autem valet argumentatio petita ex facto jam antea adducto* [Theatinorum videlicet.] *Numquid Venerabilis Dei Servus, eximiuſque Doctor Franciſcus Suarez, qui ſemper ab Ordine ſuo habitus fuit veluti obſervantiæ ſpeculum illius Inſtituti tantopere ab ipſo illuſtrati, atque defenſi tom. 4. de Religione: Venerabilis Pater Ludovicus a Ponte, clarus æque virtutibus egregiis, ac operibus; Doctrina, atque pietate refertis, aſſertionem propugnarunt eorumdem Conſtitutioni contradicentem, illudque tuiti ſunt, quod vetabantur Religionis edicto, cum opinionis* pro-

probabilis licere uſum docuerunt ? (Idque de pluribus aliis dicatur.) Minime gentium; ſed illorum mens fuit conſtitutioni ſe conformare, quoties in præſenti controverſia illi adhærebant parti, quæ ipſis videbatur aut moraliter certa, aut ſaltem probabilior. Ex hac loquendi ratione intelliget unuſquiſque, affirmare Patrem Bovium, a duobus Theologis ſuis, *Suarezio*, & *a Ponte*, quos Venerabiles nominat, rejici Probabiliſmum, ac fuiſſe ipſos Probabilioriſmum ſecutos. Verum quicumque citatum Patris Bovii locum perlegerit, hunc inveniet ſentientem, duos ejus Venerabiles Doctores perdocuiſſe, amplectendum eſſe magis probabile, inſtar Doctorum Dianæ, Paſqualigi, Caſtropalai, Terilli, ac Tamburini. Alibi in conſpectum, lucemque protulimus iſtius Patris Bovii abnormia ſophiſmata. Doctiſſimi R. R. P. P. Jeſuitæ Elizalde, Gonzalez, de Camargo oſtendunt, improbaſſe Suarez, & a Ponte Probabiliſmum. At Patri Bovio cum ſuis commilitonibus curæ non eſt, horumce duorum inſignium Theologorum exiſtimationem imminuere, quemadmodum non veretur ſignificare, ambiguam legem, atque fallacem Societatem ſuam condidiſſe, conciliandæ ergo fidei Probabiliſmo. Sed alibi hac de re ſatis eſt dictum.

III. Multa paucis complectamur. Lex Jeſuitarum officium exprimens, Sancti Patriarchæ Ignatii, ejuſque Societatis mentem ita habet: *Sequatur in quavis facultatem SECURIOREM, & magis approbatam Doctrinam, & eos Auctores, qui eam docent.* Legem hanc deludunt, menti cum Sancti Patriarchæ, tum Societatis obſiſtunt, qui ſic eam explicant legem. Opinio minus Probabilis, ideſt minus veriſimilis exiſtimata, minuſque tuta, ſed probabilis tamen, rem ſecum reputando, Probabilior judicatur ac firmiter tuta. Qui opinionem igitur minus Probabilem ſequitur præ magis Probabili, magiſque tuta, Societatis obſequitur conſtitutioni ac legi laudatæ. Hi ſunt verborum luſus, ſunt mentis joci, ludificandi cauſſa vulgus ignarum.

CAPUT III.

Pauca nonnulla Monita circa Documenta, queis adverſus Jeſuitarum Probabiliſtarum partes vindicatur Jeſu Societas. Patrum Ghezzii, Sanvitalis, Lecchii, aliorumque Hiſtoriam Probabiliſmi *incuſantium, ceu neceſſariis documentis carentem, votis ſit ſatis.*

I. Statim ac ex pernicioſo Probabiliſmo graviſſima ejus doctrinæ conſecuta mala in Societate Jeſu perſentiri cœperunt, Theologi cæleſtis ſpiritus pleni, ac ſtudio incenſi obſervantiæ legis præcipuæ ab Ordine proprio conſtitutæ, calamum in recens exortum Syſtema cœperunt arripere. Comitoli, Blanchi, Elizaldes, inſignes Cardinales Bellarminus, Toletus, ac Pallavicinus ſua in mortis articulo palinodia nomen ſuum illuſtrarunt. Verumtamen gloriam implacabile inferendi Probabiliſticæ Doctrinæ bellum intra Societatis Jeſu terminos, Divina reſervaverat Providentia celeberrimo *Patri Thyrſo Gonzalez*, cujus doctrina, ac probitas vivent, nunquam interitui obnoxiæ, in poſterorum memoria.

II. In Probabiliſmi, ac Rigoriſmi Hiſtoria documenta civilis iſtius litterarii belli fuerunt prætermiſſa. Hujuſce rei in cauſſa illud fuit, quod in ea Hiſtoria Auctori non fuerit in animo, de hoc magis, quam de illo Religioſo Inſtituto loqui, ſed didaſcalicam conſcribere Hiſtoriam ea voluntatis in neutram partem propenſione, quæ eſt cuivis Hiſtorico neceſſaria. Porro ſoli Jeſuitæ Probabiliſticæ Claſſis catervatim prodierunt in aciem ad hanc oppugnandam Hiſtoriam, ad illam per ora hominum traducendam veluti fabuloſam narrationem, veluti continentem Satyram in Societatem, ac veluti calumniis contextum opus adverſum Caſuiſtas doctiſſimos, cujuſmodi ſunt Tamburinus, Sanchez, Eſcobarius, Caſtropalaus, Burgaber, Buſembau, Alcozer, Bizoze, Illſung. Graviter conqueruntur, in ea pro libidine verba fieri, abſque neceſſariis documentis facta in medium afferri, mala fide homines decipi. Hæc omnia aliaque graviſſima incommoda, lippis, ac tonſoribus nota, ſilentio fuiſſent prætermiſſa. At illud præteriri minime potuit, quod Pater

Digitized by Google

Pater Concina prædicetur ceu Religioſi Ordinis calumniator, quem tanti æſtimat, ac tantopere colit: ad juſtam, Chriſtianam, efficacemque correctionem R.R.P.P. Monti, Ghezzii, Lecchii, Bovii, Sanvitalis, Richelmii, Gagnæ, totiuſque eorumdem Probabiliſticæ Sectæ, conſtitutum, ac deliberatum ipſi eſt, planum facere, graviter ipſos, etſi bona fide, Ordini nocere ſuo, ejuſque obſcurare ſplendo em. Ne autem inpoſterum dictitare ipſis liceat, ad libidinem verba fundi, exhibitis re ipſa documentis, loquendum ſtatui.

III. Antequam Documentorum horumce Catalogum exordiar, moneo in primis, nullam in iis proferendis eſſe me ſervaturum Cronologiam temporum, ſed illud me præmiſſurum cæteris, quod magis opportunum ratus fuero ad præcipuum conſilium meum, omnibus nimirum patefaciendi, Societatis mentem adverſari Doctrinæ Probabiliſticæ, hoc eſt laxæ. Secundo certiores omnes facio de indubia iſtorum Documentorum omnium fide, in duabus prælaudatis Bibliothecis extantium cum ſcilicet Romæ apud Sanctæ Sabinæ Cœnobium, tum Piſcorii apud R.R.P.P. Oratorii Sancti Philippi Nerii. Præfectus hujus Bibliothecæ anno 1744. erat Reverendiſſimus Pater Liborius Veneroſi, quocum honorificum fuit mihi paucas ducere horas. Admiratus ſum in Clariſſimo Viro hoc Erudito eas omnes dotes, quæ ſingularem virum efficiunt. Scientia, eruditio, perſpicacia mirum in modum in eo elucebant. Conſtans prudentia, naturalis gravitas, modeſtia, ſuavitateque morum temperata, ita ut aliorum ſibi conciliaret obſervantiam, atque benevolentiam, ardens ſanæ Doctrinæ ſtudium, germanum ipſius, ac ſincerum characterem conſtituebant. Poſt ornatiſſimum hunc Religioſum Virum, quem ad æternæ fruitionem vitæ Deo placitum fuit evocare, præfectus eſt Bibliothecæ præfatæ cuſtos Clariſſimus Pater Joſeph Hyppoliti, Nobilis Piſtorienſis, egregiis adeo præditus facultatibus, ut viridi adhuc ætate ſuſpicienda præferat in ſemetipſo Religioſorum hominum eruditionem, ſapientiam, probitatem in virtutibus, ac ſcientiis apprime verſatorum. Incredibili comitate Vir iſte in mei gratiam exſcribenda mandavit, quæ referam Documenta, demptis duobus, vel tribus. Ea contuli poſtea cum iis, quæ in Bibliotheca extant celebris Cardinalis Ferrarii, qui eam Prædicatorum Sanctæ Sabinæ Conventui teſtamento reliquit. Eximius hic Cardinalis Magiſtri Sacri Palatii munere fungebatur, cum Innocentio XI. Pontifice, civile Probabiliſticum bellum exarſit Probabiliſtarum Jeſuitarum factionem inter, ac Societatem ipſam, quę ſicuti videbimus, triumphavit, ac victrix a ſuo. ſtetit Generali Gonzalez adverſum factioſos Jeſuitas privatos. Sacri Palatii Magiſter medius, ac ſequeſter unus fuit ex ſtrenuiſſimis inter partem unam, atque adverſam. Hinc autem fit, ut in ejus Manuſcriptis in memorata Sanctæ Sabinæ Bibliotheca aſſervatis reperiantur Patris Generalis Gonzalez litteræ ipſius manu exaratæ, nec non ſupplices libelli autographi Societatis Adſiſtentium, contrariæ Generalis Doctrinæ faventium opinioni, eidem Patri Ferrari, Apoſtolici Palatii Magiſtro porrecti. Fontes viſum mihi eſt aperire, unde hauſta fuere iſtiuſmodi Documenta, ut ſi de ipſis dubitari contigerit, certior quiſquis valeat fieri. In Jeſuitarum Tabulariis non ſolum hæc inveniuntur, ſed & alia quamplurima.

IV. Quod potiſſimum circa ejuſmodi Documenta dignum eſt obſervatu, illud eſt, eadem hujus, vel illius Jeſuitæ cupiditate abrepti, ſcripturas haud eſſe, ſed illorum eſſe ſcripturas, qui Societatis conſtituunt corpus; eſſe Cardinalium, Regum, Imperatorum Epiſtolas, virorum ſcilicet auguſtiſſimorum inter omnes. Quorumdam privatorum Jeſuitarum penes me ſunt plura inedita ſcripta; ſed ea modo in lucem emittere haud lubet mihi, ut illa ad opportuniora rejiciam tempora, & quod mihi non videatur expedire, tam ſplendidis, tantæque authoritatis Documentis ſcripta immiſcere hujus, vel illius Jeſuitæ privati, cui ſine mora quidem, ac de facili, tanquam cupido, præſcribi poteſt: cum e contra; quæ in medium afferam, Documenta, utpote Patris Gonzalez Societatis Generalis fœtus, quinque ejuſdem Adſiſtentium, Cardinalis de Aguirre Hiſpaniarum Regis, Imperatoris Leopoldi repudiari nequeant ex nota cupiditatis, ſtudij, factionis. Neceſſe omnino es, R.R. P.P. Jeſuitas Probabiliſtas his Documentis faſces ſubmittere, illaque revereri, tanquam monumenta certiſſima.

Hæc

Hæc neque verborum luſibus eludantur, neque ingenioſis diſtinctiunculis, neque ſophiſticis cavillationibus. Si noſtris R. R. P. P. Ghezzio, Lecchio, Bovio, Sanvitali, Richelmio, Favro, Gagnæ, cæteriſque ipſorum commilitonibus haud ſatis grata hæc fuerint Documenta, non aliis dent id culpæ, quam ſibimetipſis. Carpebant ipſi Probabiliſſimi, ac Rigoriſmi Hiſtoriam, quod neceſſariis careret documentis. Juſta ex illo capite habita fuit eorumdem cenſura; viſumque propterea fuit ipſorum ſatisfacere votis, ipſorumque morem gerere admonitionibus.

CAPUT IV.

Catalogus certæ fidei Documentorum, quæ deinceps proferentur.

I. DOCUMENTUM PRIMUM. Hic eſt Libellus ſupplex, a Patre Gonzalez Societatis Generali, paulo antequam moreretur, magno Pontifici Clementi XI. oblatus. Documentum iſtud extremo loco erat proferendum, utpote quod ſub finem belli conſcriptum fuerit. Quoniam tamen videtur illud mihi efficaciſſimum omnium ad afficiendum animi dolore cœtum univerſum Jeſuitarum Probabiliſtarum, ideo cæteris illud præmittere libuit. Huc præſertim conſilia mea contuli, non tam ut Patrum iſtorum, Probabiliſticę factioni impenſe faventium, mentem erudirem, quam ut eorumdem animum formarem. Ipſos venia dignos puto, ſi nimium Probabiliſmo adhęreant, utpote quos forte lateant monumenta hęc plurimi facienda majorum ſuorum.

II. DOCUMENTUM ALTERUM. Inſignis Cardinalis de Aguirre Epiſtola, in qua Carolo II. Hiſpaniarum Regi Pater Gonzalez, Societatis Generalis, commendatur.

III. DOCUMENTUM TERTIUM. Regis Hiſpaniarum Reſponſio, in qua Oratorem ſuum Patri Generali Gonzalez, jubet eſſe ſubſidio adverſus Jeſuitarum Probabiliſtarum partes.

IV. DOCUMENTUM QUARTUM. Auguſtiſſimi Imperatoris Leopoldi Epiſtola ad P. P. Adſiſtentes Societatis, quibus mutuam cum Patre Generali concordiam commendat.

V. DOCUMENTUM QUINTUM. Ad Patrem Generalem Gonzalez Imperatoris Leopoldi Epiſtola.

VI. DOCUMENTUM SEXTUM. Epiſtola Patris Generalis Gonzalez Auguſtiſſimo Imperatori Leopoldo reſcribentis.

VII. DOCUMENTUM SEPTIMUM. Quinque Societatis Adſiſtentium ad Papam Innocentium XII. ſupplex libellus.

VIII. DOCUMENTUM OCTAVUM. Alius quinque Societatis Jeſu Adſiſtentium libellus ſupplex ad Innocentium Papam XII. contra eorumdemmet Generalem Gonzalez.

IX. DOCUMENTUM NONUM. Præſens celebris negotii ſtatus.

X. DOCUMENTUM DECIMUM. Aliquot Romanę Provincię Jeſuitarum ad Sanctum Papam Innocentium XII. ſupplex Libellus.

XI. DOCUMENTUM UNDECIMUM. Libellus ſupplex quinque Adſiſtentium ad D. Fabroni a ſupplicibus libellis.

XII. DOCUMENTUM DUODECIMUM. Patris Thyrſi Gonzalez Societatis Generalis Libellus ſupplex ad D. Fabroni a ſupplicibus libellis.

XIII. DOCUMENTUM TERTIUM DECIMUM. Wolfangi Prienzonii epiſtola ad P. Generalem Societatis.

XIV. DOCUMENTUM DECIMUM QUARTUM. Patrum Adſiſtentium Libellus ſupplex ad Reverendiſſimum Patrem Ferrari, Sacri Palatii Magiſtrum, adverſus Librum Patris Generalis Gonzalez.

XV. DOCUMENTUM DECIMUM QUINTUM. Epiſtola Patris Euſebii Truchſes, adſiſtentis Teutonici Patris Generalis Gonzalez.

XVI. DOCUMENTUM DECIMUM SEXTUM. Scriptum, Procuratorum Provincialium Congregationem ſpectans.

XVII. DOCUMENTUM DECIMUM SEPTIMUM. Scriptum de Procuratorum Provincialium Decreti validitate.

XVIII. DOCUMENTUM DECIMUM OCTAVUM. Supplex Patris Procuratoris Generalis Jeſuitarum Libellus

lus Papę Innocentio XII. oblatus, ut cauſſę judicium comperendinaret.

XIX. DOCUMENTUM DECIMUM NONUM. Cenſura quinque Adſiſtentium in Librum Patris Gonzalez: itemque Cenſura Cenſurę quinque Adſiſtentium, Authore Patre Alpharo.

XX. DOCUMENTUM VICESIMUM. Hiſtorię Libri Patris Gonzalez Epitome.

XXI. DOCUMENTUM UNDEVICESIMUM. Cenſura Patris Ziognis Pro-Adſiſtentis Germaniæ adverſus Patris Gonzalez Librum.

XXII. DOCUMENTUM DUODEVICESIMUM. Patris Ignatii de Camargo ſupplex Libellus, Papę Clementi XI. porrectus, ut Probabiliſmum exterminet a Societate.

XXIII. Documenta ſunt hęc omnia inedita in geminis antedictis repoſita Bibliothecis, quę typis nunc primum in lucem emitto ad id prorandum adactus ab Jeſuitarum Probabiliſtarum cœtu, pręſertim vero a Patribus Ghezzio, Sanvitali, Lecchio, Bovio, Richelmio, Gagna, totque aliis quos miſſos facio. In latinum ſermonem verſa hæc documenta promentur, quamvis ſcripta fuerint alia quidem eodem, alia Hiſpanico, alia Italico Idiomate. Singulis eas pręmittam animadverſiones, quę mihi ad rem viſę fuerint. Duo autem ſunt, quę hinc ſequentur, commoda. Primum, ac pręcipuum eſt Societatis victoria adverſum Jeſuitarum Probabiliſtarum factionem. Compertum fiet, Patrem Thyrſum Gonzalez, qui cum ſibi adhęrentibus Societatis perſonam gerebat, jura, legeſque ſtrenue fuiſſe tuitum ab ſuo Religioſo Inſtituto pręſcriptas, tutiorem amplectendi opinionem. Niſi, ut profligaret adverſam partem, fieri potuerit, eamque ex Probabiliſmi eximeret malis, eorum ſaltem disjecit molitiones quibus illum e Generalatu conati ſunt exturbare. Alterum horumce Documentorum emolumentum erit Probabiliſmi, ac Rigoriſmi Hiſtoriæ illuſtratio, quoniam, uti dictum eſt, illam ſugillant R. R. P. P. Jeſuitæ Probabiliſtæ, veluti ejuſmodi monumentorum expertem.

CAPUT V.

ANIMADVERSIO PRIMA.

Quæ Jeſuitarum Probabiliſtarum Factioni proponitur, ſuper Documento primo, quod inſcribitur: Libellus ſupplex, *Summo Pontifici Clementi XI. oblatus.*

I. QUod primæ huic animadverſioni materiem ſuggerit, Documentum tanti eſt ponderis, tantique momenti res tangit, ut ſperem, fore ut Jeſuitarum Probabiliſtarum in animo excitet bonum aliquem ſenſum præcipue autem Gagnæ, Ghezii, Lecchii, Bovii, Favre, Richelmii, cum eorumdem ſeguacibus, qui pauci non ſunt. Perſona, quam vos alloquentem inducam, Reverendi Patres, vobiſque graviſſimæ Meditationis inter omnes, quas hoc in genere forte hactenus vobiſmetipſis propoſueritis, capita ſuppeditantem, haud eſt quidem grandævus *Frater* TACCONIUS, a quodam Sociorum veſtrorum confictus, inductuſque plorans inter alearum ludum Ordinis Sancti Dominici infortunia; ſed eſt Reverendiſſimus Pater Thyrſus Gonzalez, venerabilis ſenex, unuſque inter Doctiſſimos Societatis veſtræ Generales. Vir hic Dei, cum triginta, & amplius pugnaſſet annos defendendi, tuendique gratia ſanæ morum doctrinæ ſpiritum apud ſuum Ordinem; cumque plurium luſtrorum ſpatio eumdem fuiſſet moderatus, procellis, ac tempeſtatibus ſemper actus, ad exitum vitæ ſuæ properans, Sanctiſſimi Pontificis, æterna memoria digni, Clementis XI. provolutus ad pedes, ita præfatur ſupplicis Libelli ſui exordio, quem ipſi obtulit, & qui ex integro hic profeoretur adnexus. Ego non totum quidem, ſed nonnulla præcipua Documenti hujus fragmenta nunc recitabo. Capita illa, quæ aptiora judicavero ad inſtruendum, afficiendumque Jeſuitarum Probabiliſtarum cœtum, in bono lumine ſingula collocabuntur. Sic igitur ſermonem exorditur ſuum eximius Generalis.

Primum Meditationis Caput.

II. „ In vitæ hujus confinio conſtitu„ tus, & in momenta ſingula mortem ex„ pe-

„ pectans, ut inveniar minus imparatus ad reddendam rationem ſupremo Judici de Societate mihi commiſſa, debeo ad beatiſſimos pedes Sanctitatis veſtræ humillime provolutus illud deferre, & paternæ, ac benigniſſimæ ejuſdem providentiæ committere, quod ipſe præſtare non valeo, & quod non modo expediens, ſed ſumme etiam neceſſarium judico ad commune Societatis bonum. Cum Sanctiſſimus Prædeceſſor B. V. Innocentius XI. Pont. Max. mihi dixiſſet, me factum fuiſſe Generalem in illum finem, ut Societatem averterem a præcipitio, in quod ruere videbatur, de amplectenda ſcilicet, ut propria ejuſdem Societatis, ſententia laxiore circa uſum opinionum probabilium; Dictum illud Vicarii Chriſti, tanquam ejuſdem Chriſti dictum accepi, & omni ope adnixus ſum, ne ſpem Optimi Pontificis irritam facerem, nullo per Dei gratiam labore, nullo unquam periculo ab inceptis deterritus, quouſque, Deo juvante, & hac Sacra Sancti Petri Sede benigniſſime favente, per editionem libri mei, & copioſos fructus, ad illam confectos oſtenderim Orbi Chriſtiano, ſententiam illam non eſſe Societatis propriam, cujus oppoſitam & Præpoſitus Generalis, & multi alii Jeſuitæ libris editis palam docent, & magno auctoritatis, rationiſque pondere firmant.

III. Hoc Meditationis primum eſt caput, quam vobis, Reverendi Patres, veſter ſuggerit Generalis. Vos appellat coram Jeſu Chriſti Vicario; atque hic referat vobis ORACULUM Venerabilis Innocentii XI. Pontificis Sanctiſſimi, qui ipſi denunciavit, ſe promotioni ejus ad Generalatum faviſſe, ut a *præcipitio* immunem veſtram ſervaret Societatem, in quod videbatur ruitura. Graviſſimæ meditationis veſtræ argumentum hoc ſit *præcipitium*. Hic veſtras paulisper cogitationes defigite: utque magis proficua ſit meditatio veſtra, eademmet præſtantiſſimi Generalis verba ob oculos iterum vobis ponere mihi libet. *Cum Sanctiſſimus Prædeceſſor Beatitudinis veſtræ Innocentius XI. Pont. Max. mihi dixiſſet me factum fuiſſe Generalem in illum finem, ut SOCIETATEM averterem a præcipitio, in quod ruere videbatur, de amplectenda ſcilicet, ut propria ejuſdem Societatis, ſententia laxiore circa uſum opinionum probabilium; dictum illud Vicarii Chriſti, tanquam ejuſdem Chriſti dictum, accepi, & omni ope adnixus ſum, ne ſpem Optimi Pontificis irritam facerem.*

IV. Singula hujuſce textus verba anſam vobis præbent, o Patres, perquam maxime ſeriarum Meditationum. Attendite in primis Viros, qui vos alloquuntur. Hi ſecundum Deum penes vos ſunt maximæ auctoritatis. Innocentius XI. cum ut viſibilis Jeſu Chriſti Vicarius, tum ut Pontifex Sanctus, cui quantocius Divinæ ope Miſericordiæ nos pium ad Aras cultum confidimus præſtituros, Probabiliſmum veſtris ſubjicit oculis, veluti Societatis veſtræ *præcipitium*. Inſignis veſter Generalis hoc vobis proponit oraculum, tanquam ipſiuſmet oraculum Chriſti Jeſu. *Dictum illud Vicarii Chriſti, tanquam ejuſdem Chriſti dictum accepi*. Hæc una graviſſima cogitatio vos a probabiliſtico excitare veterno deberet. Pontifex Sanctus, Generalis doctiſſimus fidem vobis faciunt coram Clemente XI. Vicario itidem, Jeſu Chriſti Probabiliſmum eſſe abyſſum præcipitium eſſe ad perditionem impellens. Parumper cogitate vobiſcum in animo: Quid nobis prodeſſet Mundi derelictio, opum, dignitatumque: cui foret emolumento nobis ſolitudo, pœnitentia, adoleſcentiæ inſtitutio, ardens ſacrarum Miſſionum ſtudium, Conciones, Catecheſes, pœnitentium confeſſiones excipere, tot exercere virtutes? Pœnitentiis aſperioribus, labore magis aſſiduo tot Orientales Monachi, extra Arcam ſanctam degentes exercentur. Quam multi e falſiſſimis Sectis palam, ac mirum in modum externarum præſeferunt ſpeciem virtutum! Quid nos ergo juvaret tot exteriorum elegantium ornamentorum apparatus, ſi ſecretum occultiſſimum opinionum ſtudium, quas ii, a quorum partibus ſtamus, amplexati ſunt aliquando, efficeret, ut loco veritatis propugnaremus errorem? Æternæ perditionis ſunt viæ multæ. Rudiores homines ob craſſa, & carnalia damnantur peccata: viri perſpicacis ingenii, qui a veritatis ſemita aberrant, ob peccata equidem ſpiritualia damnantur, ob peccata quædam, exquiſitarum ſubtilitatum elaboratiſſimis depicta coloribus. Meditaminor quæſo, ſed ſerio, Spiritus Sancti Oraculum:

lum: *eſt via, quæ videtur homini recta; noviſſima autem ejus deducunt ad mortem.* Prov. 14. v. 12. Vos moram facite in hac magni ponderis conſideratione, me interim vobis propoſituro

Alterum Meditationis Caput.

V. Pater Generalis Gonzalez certiorem facit Sanctum Pontificem Clementem, ſe Divina confirmatum Gratia, atque a Sancta Apoſtolica Petri Sede excitatum ad evellendum e Societate ſua Probabiliſmi zizanium, laxarumque opinionum illarum, quæ ſunt venefica noxiæ adeo ſtirpis germina, nulli labori, nulli operi pepercisse; veritum ſe non fuiſſe, ut graviſſimis ſemet periculis obiiceret, obſequendi. ergo ferventibus. Vicarii Jeſu Chriſti votis, deducendique ad opus tam ſanctum conſilium. Illud quod vos, Reverendi Patres, hoc in capite meditemini oportet, eſt profectus quem ex tam ardente veſtri Generalis ſtudio, ex tot vigiliis, ex tot ſudoribus retuliſtis. Quidnam fieret, ſi firmo, & conſtanti animo in illarum opinionum uſu perſiſteretis, quas Sanctus Pontifex Innocentius, quas. pius doctuſque veſter Generalis *præcipitium* vocant Societatis veſtræ? Quid fieret de tot animabus ad hujuſcemodi opinionum normam directis? Conſiderate. Recogitate.

Tertium Caput.

Artificium, quo impedire nititur Dæmon harumce Meditationum fructum, voſque perſeverantes reddere in uſu Probabiliſmi, fortaſſis erit ſequens. Neque Innocentius Papa, neque Pater Generalis ullo expreſſe ſanxerunt edicto, ne quis Probabiliſmum ſequatur. Si foret illa doctrina perniciem inferens, diſtricte præcipiendo ipſi ejuſmodi interdixiſſent doctrinæ uſum; alias nunquam in tuto fuiſſet ipſorum conſcientia. Hoc eſt inſidioſiſſimum Dæmonis ſtratagema. Hoc eſt ſophiſma eo magis nocens, quo minus excuſatione dignum. Vos, Reverendi Patres, fugere nequit, quantum egerit Sanctus Pontifex Innocentius XI. ut ab Ordine veſtro Probabiliſmum ablegaret. Decretum Pontificium Generali veſtro denunciatum, in primo Hiſtoriæ Probabiliſmi Tomo in medium fuit vobis allatum, illudque Generalis veſter rurſum hic vobis ob oculos poſuit. Vobis compertum eſt, voluiſſe Sanctum Pontificem, ut ad Generalitiam eveheretur dignitatem Pater Gonzalez eo conſilio, ut a veſtris Gymnaſiis periculoſam eliminaret doctrinam. Vobis ſunt maxime noti ſupremi conatus iſtius Generalis, ut ad opus deduceret pium conſilium. Quid ultra expectatis? Præcepti denunciationem? Obedientia igitur veſtra morem non gerit niſi expreſſæ Superiorum voluntati? Numquid ejuſmodi eſt veſtra hæc obedientia, ut minime flecti velit, niſi terrore præceptorum coacta? Niſi Innocentius Papa, ac Generalis Gonzalez ad extremum deſcenderint præcepti periculum, dicere oportet, ratos ipſos fuiſſe, minoris eſſe noxæ hujuſcemodi præceptum omittere, quam ſubditorum imbecillitatem in diſcrimen conjicere delinquendi contra præceptum. Superiori tuta licet conſcientia premere ſilentio præceptum, ſi pejus malum prudenter ſuſpicetur, quam bonum. Sed nullam habent, nec unquam habebunt coram Deo excuſationem ſubditi illi, qui compertum habentes, planeque cognitum, Sanctum Pontificem, Generalem doctiſſimum vias omnes perſequi, quantum ferunt tempora, de medio Probabiliſticam Doctrinam tollendi, in ejuſmodi doctrinæ perſtant nihilominus defenſione. Legite paullulum, Reverendi Patres, quod veſter ſcribit Rodriguez de ſubditis iis qui nihil agere volunt, niſi vi præceptorum. Hac paulisper ratione in vos met ipſos inquirite coram Deo, qui intimos perſpicit animi ſenſus: Certo nos ſcimus, quid poſt Alexandrum VII. egerit Innocentius XI. ut noſtris e cathedris exularet Probabiliſmus. Perſpectas noſtri Generalis Gonzalez contentiones habemus. Sine ulla dubitatione novimus, adhibuiſſe illos rationes omnes validiores, quantum per prudentiam licuit, ad funditus tollendum e Societate Probabiliſmum. Una igitur repugnantia, quam noſtris in partibus deprehenderunt, ipſos, pro eorum ſapientia, coegit ad præcepti ictum ultimum continendum. Quam certum eſt, & apud omnes pervulgatum antecedens, tam erga nos manifeſtiſſimæ objurgationis rationem habet conſequentia. Voluntati obſiſtere Pontificis, Generalis, innuentium, aperte mentem ſuam declarantium; pericula, cladeſque iis denunciantium, qui

recentem ſequuntur Probabiliſmum, quomodo apud Deum noſtram excuſare poterit agendi rationem? Cæleſte implorate lumen, ut illas omnes diſcutiat tenebras, quæ tanti momenti veritati affunduntur. Divinam implorate Gratiam, ut voſmetipſos conformare poſſitis ad mentem, atque doctrinam cum Sancti Pontificis Innocentii, tum Generalis veſtri Gonzalez, Societatis veſtræ jura ſuſtinentis. Vobis aliquot alia pii Generalis exſcribam verba, ut intima cordis veſtri pervadant. *Nullo, per Dei gratiam, labore, nullo unquam periculo ab inceptis deterritus, quouſque Deo juvante, & hac ſacra B. Petri Sede benigniſſime favente, per editionem libri mei, & copioſos fructus ad illam conſecutos oſtenderim Orbi Chriſtiano, ſententiam illam non eſſe Societatis propriam, cujus oppoſitum & Præpoſitus Generalis, & multi alii Jeſuitæ Libris editis palam docent.* Ita loquitur viſibilis Vices gerens Glorioſi Patriarchæ veſtri Sancti Ignatii.

C A P U T VI.

Eximius Generalis Gonzalez, utpote Societatem Jeſu referens, ſuis Papam Clementem XI. urget ſupplicationibus, ut decretorium ferat de Controverſia judicium, utpote Societatem ab illa ſervet ruina, in quam Probabiliſtarum Jeſuitarum eam factio compellit. Meditatio ſuper SILENTIO, quod optaret in hac cauſſa Probabiliſtica Jeſuitarum Factio.

I. Concors Theologorum Doctrina eſt, ſpecialem gratiam largiri Deum, ſingulorum accommodatam miniſterio. Epiſcopi, Parochi, & Paſtoris cujuſvis ſanctum verbum ad proprium gregem peculiari vi pollet. Verba igitur, Reverendi Patres Generalis veſtri, qui morti proximus obteſtatur vos, ut Probabiliſmum deſeratis, emollire corda veſtra debent, omneſque mentis veſtræ præjudicatas opiniones depellere. Hæc ſunt ipſius verba, quæ vobis legenda ſubiicio:

II. „ Optavi ſemper, & opto, ac firmiſſime ſpero, Beatiſſime Pater, abſolvendam eſſe a Sanctitatis veſtræ zelo cauſſam iſtam, (ſcilicet Probabiliſmi) feliciter inceptam a Sanctiſſimis prædeceſſoribus ſuis, Alexand. VII. Innoc. XI. & Alexand. VIII. Nec res videtur admodum ardua: cum enim ab illis Summis Pontificibus damnata jam ſint extrema rigoris, & laxitatis; id unum jam reliquum eſt, ut ejuſdem Sanctæ Sedis magiſterio, & Oraculo Sanctitatis Veſtræ innoteſcat omnibus medium virtutis, & veritatis in re adeo univerſaliter neceſſaria ad rectam de Chriſtianis moribus doctrinam: quod quidem præſtabit Sanctitas veſtra pro eximia ſapientia ſua, quando, & quomodo magis expedire in Domino judicaverit. Cæterum inſtante jam fine peregrinationis meæ, illud vehementer deſidero, & ad conſcientiæ meæ pacem humillime rogare debeo, ut Sanctitas veſtra, pro ſingulari illa Clementia ſua, & benigniſſimo patrocinio, quo Societatem ſemper protexit, dignetur præſervare ipſam Societatem a multis, magniſque periculis, ipſi imminentibus ex hoc maxime capite.

III. Vobis, Reverendi Patres, qui piis exercitationibus ac meditationibus Chriſti fidelium mentes excolitis, opus non eſt, ut quis frangat vobis panem. Unus inter Doctiſſimos Generales veſtros prope curriculi vitæ ſuæ metam orat Sanctam Sedem, atque obſecrat, Probabiliſmum ut damnet. Præſulis veſtri, tanti ab omnibus habiti, nihil vos movet authoritas? Sermo ad Papam habitus, mortis imagine ante oculos obverſante, vos minime excitat, vos minime tangit? Ah meditaminor aliquantiſper, quam ſententiam malletis vos docuiſſe in mortis articulo conſtituti; cum in eo formidabili tranſitu veſter quoque Pater Sanchez plurium deſerat opinionum Probabiliſmum. Serio cogitandi tandem aliquando inite conſilium. Ejicite in perpetuum cavillationes, libellos, diſtinctiunculas inanes, atque ſophiſticas, juxta recti ſenſus, juſtique criterii regulas ratiocinaturi deinceps.

IV. Pater Generalis ſuam repetit ad Papam Clementem in hunc modum orationem. „ Quæ officia mea, Pater Beatiſſime, quibus Societatem avertere curavi ab amplectendo Probabiliſmo, pro Religione, & ut ſententia ſua, non minus, quam ſua ſit *Scientia media*, non uno modo ab omnibus accepta ſunt. Non defuerunt multi, inter quos eminent Viri ſummæ prudentiæ, ſummique judicii, qui rem totam mature, &

„ citra

„ citra paſſionem conſiderantes, judicave„ rint, me præſtitiſſe Societati inſigne be„ neficium, ita illud extollentes, ut ne „ referre quidem ego poſſim ſine offenſio„ ne modeſtiæ, quamvis probe ſciam, „ quidquid boni ſit, Deo unice tribuen„ dum. Alii vero, ut in ſtatu naturæ la„ pſę proniores ſunt in malum cogitatio„ nes hominum, & plurimi numero, & „ aliqui dignitate fulgentes, & non pau„ ci Jeſuitæ e contra & ſibi perſuaſerunt, „ & aliis perſuadere curarunt, me peſſi„ me fuiſſe meritum de Societate, & e„ xercuiſſe in illam quaſi tyrannidem quam„ dam, tum præſtando, ut Congregatio „ Generalis XIII. per manifeſtam coa„ ctionem, ut ajunt, ederet Decretum, „ in quo declaratur, Societatem non fuiſ„ ſe amplexam Probabiliſmum, tanquam „ ſuum, & datur noſtris libertas docen„ di, & ſcribendi contra illum; tum ma„ xime in editione mei Tractatus contra „ notoriam renitentiam Patrum Aſſiſten„ tium, & tot aliorum, qui inter primo„ res Jeſuitas merito numerabantur, & in „ quibus omnibus videbatur repræſentari „ totum Societatis corpus, reſiſtens vio„ lentiæ illatæ ſibi a ſuo Capite.

V. Hoc loci piiſſimus Generalis provido paterno exprimit penicillo illius imaginem civilis belli, quod documenta, quæ infra proferemus, luculentius nobis exhibebunt. Certiores nos facit, doctiſſimos, optimoſque viros, quorum ſemper, & ubique, etiam in Societate, minor eſt numerus, ab ipſo ſtetiſſe. Hi, cæleſtis ſapientiæ pleni, maxime inſigne deprehendebant beneficium, quod Societati Pater Generalis contulerat. Eodem fatetur animi candore, pleroſque contra ipſum ſtare, quemadmodum contra Jeſum Chriſtum ſtant plerique hominum. Ne patiamini ullo unquam tempore, multitudinis auctoritate vos decipi; nam vel ipſe Seneca vobis teſtimonium perhibet, quod *argumentum peſſimi turba eſt*. Ipſum audite Jeſum Chriſtum, tam crebro vobis edicentem: Pauci ſunt electi arcta via gradientes: mali plurimi lata via incedentes, quæ ducit ad perditionem. Loqui geſtit rurſum Pater Reverendiſſimus Generalis, vobis interim mature cæleſtia ejus documenta mente volventibus.

VI. „ Ex quibus, aliiſque argumentis „ ſimilibus, & apud me compertis, time„ re debeo magnum Societatis periculum „ poſt mortem meam: nam ex una par„ te addentur ingentes animi aliquibus Je„ ſuitis, parum conſiderantibus rerum ſta„ tum, ad efferenda Probabiliſmi vexilla; „ & quidem eo liberius, quo & ſe magis „ gravatos exiſtimant, & minus vident, „ in quo ſit verum Societatis bonum, & „ decus: ex alia parte certiſſime ſunt mi„ hi Jeſuitæ & præclaro ingenio præditi, „ & in controverſia iſta peritiſſimi, qui „ mecum firmiſſime judicant, ſumme ex„ pedire ad majorem Dei gloriam, & ani„ marum ſalutem, & ad ipſius Societatis „ honorem, quod Probabiliſmus in So„ cietate non vigeat, nec prævaleat; & „ fieri nullatenus poterit (neque vero ju„ ſtum eſſet) quod ipſi ſileant, loquenti„ bus aliis. Cum autem contentio iſta „ non ſolum ad ingenia, ſed ad animos „ etiam aliquorum pervaſerit, (quamvis „ in ultima Congregatione Generali, & „ deinceps, ingenti Dei beneficio aut ex„ tincta, aut ſopita ſit) magnum eſt fun„ damentum timendi, ne poſt mortem „ meam crudelius exardeſcat in pugnas „ domeſticas, diſſenſiones, & rixas ſine „ fine, cum magna perturbatione, ſcan„ dalo, & dedecore Societatis.

VII. Scrutaminor, Reverendi Patres, num aliquod ex malis evenerit ab eximio Generali veſtro prænunciatis. Attendite, explicatumne plane fuerit in Societate temporibus noſtris Probabiliſmi vexillum. Videtur equidem, poſt Patris Generalis obitum acceſſionem aliquanto feciſſe Probabiliſtica veſtra factio: non ideo tamen docti Generalis Succeſſores, invicta conſtantia pro tutiori in dubiis controverſiis doctrina pugnantes defuerunt. Adſunt, ſemperque aderunt Dei homines, qui Sancti Patriarchæ Ignatii ſpiritus hæredes, inſigniorumque Generalium Aquavivæ, Vitaleſchii, Nikel, atque Gonzalez doctrinæ tueantur ſpiritum præſcriptæ a Societatis Conſtitutionibus adverſum Probabiliſticam ſectam, bona fide oppoſitam propugnantem doctrinam minus tutam, minuſque probabilem. Præbeamus denuo Patri Generali aures, qui in ſupplici ſuo libello ſic dicere pergit num. v.

VIII. „ Nec poteſt præcipi ex æquo „ utrique parti ſilentium, tum quia Je„ ſuitæ ex inſtituto ſuo ad docendum ad„ dicti ſive in Cathedris, ſive in diſpu„ tatio-

„ tationibus, ſive in Libris prꝗterire ſi-
„ lentio non poſſunt capitalem, ut ſic di-
„ cam, & graviſſimam controverſiam iſtam,
„ quæ fundamentum eſt totius Theologiæ
„ Moralis, & ex qua omnino pendet ſo-
„ lida reſolutio circa innumera opinabi-
„ lia, cum reflectat circa uſum licitum,
„ aut illicitum opinionum omnium: tum
„ quia illo ipſo ſilentio aſſereretur in
„ Societate *Probabiliſmus*, *& quidem la-*
„ *xiſſimus, qui, ut multa experientia eſt*
„ *notum, ſtudium fugit, & tollit, ac inu-*
„ *tile reddit;* ſiquidem eo ipſo, quod ejus
„ Patroni reperiant in aliqua *Summula:*
„ *talis, aut talis opinio eſt probabilis:*
„ abſque alio prorſus examine talem opi-
„ nionem docent, & conſulunt non mi-
„ nori ſecuritate, quam ſi de honeſtate
„ actionis haberetur Romanæ Sedis ora-
„ culum. Ex inde maxime ortum habuit
„ tanta in moribus laxitas, quanta De-
„ cretis Pontificiis damnata eſt.

IX. Varia hic meditationis Chriſtianæ capita continentur. Primum, etiamſi præceptum de ſilentio ſervando, vulgo ſit in concertationibus, puram, putamque eruditionem præſeferentibus, prudens; in controverſiis tamen de Religione, ſive agatur de fide, ſive de moribus, non ſemper licitum eſt juſtumve tale præceptum. Quando an ſit talis actio peccatum, necne, in diſputationem adducitur, altera duarum harumce opinionum eſt falſa. Si veritatem tueatur pars una, errorem, & culpam altera neceſſario defendit. Silentium tunc æque indicere utrique parti, perinde est ac veritatem cum errore, cum vitio virtutem, innocentiam cum nequitia miſcere. Inveſtigare opus eſt, ſi fieri poſſit, quanam ex parte ſtet veritas, ut ad *ſilentium* ea ſolum pars adſtringatur, quæ errorem protegit, doctrinamve errori propiorem. Graviſſimum *ita* ſe gerendi ſæpius occurrit præceptum. Hinc graviter poteſt ſæpe delinqui, eum ſine diſcrimine ad tacendum pariter adigitur veritatem defendens, ac propugnans falſitatem. Haud me fugit, non ſemper dignoſci poſſe, qua veritas in parte verſetur; ſed compertum quoque illud habeo, deprehendi facile ab eo, qui velit, poſſe. In dubiis tutiori favere doctrinæ, via eſt ab offenſione remotior. Religioſe meditaminor, o Patres Gagna, Lecchi, Richelmi, voſque fæderati omnes, quam ſint periculi plena veſtra molimina in quærendo præceptum ſilendi de ejuſmodi controverſia, ut Moralem veſtram, ſicut vobis videtur, benignam quiete vobis liceat propagare.

X. Attendite, Reverendi Patres, num eventus comprobarit vaticinium Patris Reverendiſſimi Generalis, videlicet in Chriſtianæ Theologiæ ſtudium Probabiliſmum invexiſſe ignorantiam. Hæc celebris Generalis verba etiam, atque etiam conſiderate: *tum quia illo ipſo ſilentio aſſereretur in Societate Probabiliſmus, & quidem laxiſſimus, qui, ut multa experientia eſt notum, ſtudium fugit, & tollit, ac inutile reddit: ſiquidem eo ipſo, quod ejus Patroni reperiant in aliqua ſummula: talis, aut talis opinio eſt probabilis: abſque alio prorſus examine talem opinionem docent, & conſulunt non minori ſecuritate, quam ſi de honeſtate actionis haberetur Romanæ Sedis oraculum. Et inde maxime ortum habuit tanta in moribus laxitas, quanta Decretis Pontificiis damnata eſt; anima enim, quæ vires dedit omnibus opinionibus nimis laxis, eſt modus ille opinandi, alienus ab Evangelica ſimplicitate, & Sanctorum Patrum Doctrinis.*

CAPUT VII.

Narrat Pater Generalis Gonzalez, Sancti Papa Innocentii XI. Decretum, Jeſuitis indictum, ut Probabiliorem ſententiam docerent, fuiſſe a Probabiliſtarum Jeſuitarum factione tredecim annos celatum. Alia magni momenti capita. Rationes peculiares, ob quas delendus Societati ſit Probabiliſmus.

I. INter gravia multa, maximique momenti capita, quæ in hoc ſuo æſtimabili monumento Pater Generalis Gonzalez commemorat, unum pertinet ad celebre Venerabilis Servi Dei Innocentii XI. Papæ Decretum. Sanctus hic Pontifex, ſtudio maxime incenſus Probabiliſmum e Societate funditus evellendi, denunciandum Patri Generali Paulo Olivæ per Aſſeſſorem Sancti Officii anno 1680. Decretum mandavit, quo præcipitur, ut in Societate liberum cuique ſit Probabiliſmum refellere. Jam vero atteſtatur Pater Generalis Gonzalez, ſolemne hoc Decretum, a Sancti Officii Congregatione juſſu Pontificis conditum, præfatoque Gene-

nera-

nerali Olivæ ſolemniter indictum, tredecim annorum ſpatio delituiſſe, ut Jeſuitæ, a partibus Probabiliſticis ſtantes, ejuſdem ignari, omnis expertes forent tentationis illud vel infringendi, vel contemnendi. Inſignis hujus Pontificii Decreti detectio maxime ſingulari Divinæ Providentiæ ordinationi a Patre Generali Gonzalez adſcribitur. Vis, qua Probabiliſtarum Jeſuitarum factio impreſſioni libri Gonzalez obſiſtebat, Jeſuitas, qui cum ſuo Patre Generali ex adverſo doctrinam propugnabant, Societatis præſcriptam legibus, ad expiſcandum adegit in Ordinis tabulario Pontificium monumentum. Detectum fuit illud hac occaſione, univerſæque palam Societati factum. Hoc loci exſcribam oportet eademmet Generalis verba: *Hoc Decretum omnino latuit uſque ad annum 1693., in quo detectum eſt ſingulari Dei Providentia, occaſione reſiſtentiæ, quæ fiebat editioni libri mei.* Pontificium Decretum, a D. Aſſeſſore Patri Generali Olivæ exhibitum, tredecim annos delituit. Quis hoc aſſerit? Reverendiſſimus Pater Gonzalez Societatis Jeſu Generalis. Adjicit ille, niſi præſens afferatur remedium, cujus vi Jeſuitarum Probabiliſtarum factio laudato pareat Decreto, divulgandum fore, importune illud a me, inquit ipſe, extortum fuiſſe. *Ex niſi adhibeatur efficax remedium, vi cujus tota Societas eidem Decreto, ut par eſt, reverenter obediat, dicetur, illud ipſum Decretum a me importune extortum.* Non loquitur hic Rigoriſta aliquis: loquitur unus inter piiſſimos doctiſſimoſque Societatis Generales, ac longe expertus loquitur. Perpendite, Reverendi Patres, Probabiliſticæ ſectæ ſcandalum grave, quod gignere poteſt hæc Pontificiorum Decretorum occultatio. Quot Apoſtolicas Bullas irritas effectas obtentu vel non acceptionis, vel præſcriptionis contrariæ, vel *vivæ vocis oraculorum* in oppoſitum, vel denique ſcandali pleno prætextu, quod Pontifex minime loquatur ut Pontifex, ex cathedra ſed familiariter ut Doctor privatus. Expendite caput illud ad Doctrinam, quam de obedientia eorum ſuperioribus, maximeque Pontifici, qui eſt inter Superiores ſupremus, a Jeſuitis debita, docte tradunt Pater Rodriguez, ac Eximius Doctor Pater Franciſcus Suarez. Modo, Reverende Pater Gaſpar Joſeph Gagna, intelligetur, quam genuinum ſit Decretum, in Probabiliſmi Hiſtoria relatum, an illud plane ſit, quod veſter profert Pater Generalis. Meditamini, ac veritate coruſcante expergiſcite.

II. Pater Generalis Gonzalez poſt relatum ex toto Innocentii Papæ XI. Decretum, concludit verbis iſtis: *Niſi adhibeatur efficax remedium, vi cujus tota Societas eidem Decreto, ut par eſt, reverenter obediat, dicetur, illud ipſum Decretum a me importune extortum, ſicut dicitur extortus a me conſenſus Sedis Apoſtolicæ de editione libri mei poſt tot contradictiones Jeſuitarum, & ſicut dicitur extortum violenter Decretum Congregationis Generalis noſtræ XIII. de ſimili impunitate, cum ſancitum fuerit de expreſſa voluntate Summi Pontificis Innocentii XI., qui me certum fecit, ſe aliquid amplius contra Probabiliſmum deſiderare a Jeſuitis, quam præceptum ſit per illud Decretum.* In XIII. Congregationis Decreto ampla tribuitur facultas docendi ſententiam probabiliorem. Fidem porro facit Pater Generalis Sancto Pontifici Innocentio XI. parum fuiſſe Decretum hujuſmodi, ſed aliquid amplius expetiviſſe illum a Jeſuitis, nempe ut e Societate penitus eliminaretur Probabiliſmus, atque contraria e cathedris prælegeretur Doctrina.

III. Quam foret æqua Pontificis Sancti voluntas, ſubjungit Pater Generalis Gonzalez, ipſum patefacit Societatis Inſtitutum. Hæc Profeſſionis ſuæ vi Sanctæ Apoſtolicæ Sedi peculiari addicta eſt ratione: illas propugnare, atque tueri doctrinas tenetur, in quas propenſior eſt eadem Sancta Sedes. Porro perſpicua res eſt, atque certiſſima, maxime proclivam eſſe Sanctam Romanam Sedem ad oppoſitam Probabiliſmo ſententiam. En vobis excerpta ex Patris Generalis documento num. VII. verba: *Et quidem juſtiſſimum erat illud Summi Pontificis deſiderium; cum enim Societas ex inſtituto ſuo ſit ſpecialiſſime devincta Sedi Apoſtolicæ, & ad defendendam auctoritatem Summi Pontificis, ejuſque nutibus obſequendum primario deſtinata a Deo, & a Sancto Ignatio, Patre noſtro; ex primaria, & indiſpenſabili Profeſſione ſua adſtringitur ad illos ſenſus, in quos magis inclinat Apoſtolica Sedes. Certum autem eſt, quod Sedes Apoſtolica ſemper inclinaverit magis in ſententiam, Probabiliſmo contrariam.*

IV.

IV. Conferte, Reverendi Patres Probabiliſtæ, cum profeſſione veſtra, hacque Patris Generalis veſtri doctrina obedientiæ veſtræ exercitium. Ad Crucifixi pedes parumper diſcutite conſcientias veſtras, reſpondeatne officiis inſtituti veſtri obſequium veſtrum in gerendo morem Decretis Sedis Apoſtolicæ. Coram judice illo, qui vos eſt judicaturus, ad trutinam revocate, num Apoſtolica illa tueamini Decreta, quæ veſtris obſtant doctrinis, æque ſtudioſe, ac alia Apoſtolica tueamini Diplomata, quæ adverſariorum veſtrorum doctrinis imaginamini adverſari. Proh religioſæ meditationis argumentum!

CAPUT VIII.

Reverendi Patres Ghezzius, Lecchius, Bovius, Sanvitalis, Gagna, Richelmius, aliique Jeſuitæ Probabiliſtæ in Societatem conſpirarunt. Id Patris Generalis Gonzalez verbis, evidentique demonſtratione probatur.

I. Prima evidentis facti veritas certiſſima eſt, Paſchalem ſcilicet, Arnaldum, Nicolium Societati acceptam referre Probabiliſmi doctrinam. Provinciales Epiſtolæ, cæteroquin prohibitæ, Vendrochii, ſive Nicolii Notæ minime dubium huic teſtimonium perhibent facto. Altera facti itidem noti atque certiſſimi veritas eſt, doctiores præteriti ſæculi Jeſuitas omni dicendi facultate contendiſſe, ut atram adeo maculam detergerent Societatis. Unum in medium proferam hoc loci inter doctiores Jeſuitas, qui hac de re ſcripſerint, nempe Patrem Stephanum Des-camps. Clarus Scriptor iſte Paſchali non exprobrat tot ſcandalum parientes opiniones, horrorifque plenas, ex pluribus Theologis Jeſuitis exſcriptas, ſive quod ipſi foret perſuaſum, caſuiſticos textus, a Paſchali allegatos, magna ex parte genuinos eſſe, ſive quod in hunc ingredi ſermonem nollet. Quo tamen modo res cumque ſit, illud certum eſt, Patrem Des-camps non poſtulare Paſchalem de falſa criminatione, ob memoratas ſcandalum præbentes ſententias, Jeſuitarum Probabiliſtarum adſcriptas Factioni. Avociſſima, quam ipſe Paſchali objicit, calumnia in eo poſita eſt, quod Societati adjudicaverit Probabiliſmum. Hoc libri Patris Des-camps, qui inſcribitur *Quæſtio facti*, argumentum eſt: *Utrum Theologorum Societatis Jeſu propriæ ſint iſtæ ſententiæ duæ.* Quarum prior ita ſe habet: *Ex duabus opinionibus probabilibus licitum eſt amplecti minus probabilem.* Suum ita exorditur caput primum. *Utrum veræ ſint iſtæ duæ ſententiæ, an falſæ, non diſputo. Hoc unum quæro, ſintne Theologorum Societatis Jeſu propriæ. Dudum eſt enim, quod id Montaltius, aliique Scriptores larvati tam importune, quam falſo, illis exprobravit.* Intellexit doctus, ac perſpicax Des-camp- eſſe Probabiliſmum laxorum omnium perniciosorumque dogmatum corruptum fontem. Ideo ratus eſt Societatem ſuam optime ſe vindicaſſe, ſi palam feciſſet Probabiliſmum propriam Societatis doctrinam non eſſe. Legatur a capite ad calcem, ſemel, & iterum Patris Des-camps liber; nec uſquam reperietur, ullam aliam objectare ipſum falſam criminationem Paſchali, niſi quod Societati Probabiliſmum attribuerit. Elizalde, Gonzalez, Fabri, de Camargo, totque alii ſtrenui Jeſuitæ, hanc pariter depulerunt a Societate labem, quod nempe Probabiliſmum adoptaverit. Si Probabiliſmum exiſtimaſſent hi docti Jeſuitæ doctrinam benignam, non vero laxam, facilem ad Paradiſum ſternentem viam, dediſſentne tot elucubrandis voluminibus operam, ut in propatulo ponerent, probabiliſticam hanc doctrinam Societati non eſſe propriam? Si facilem Probabiliſmus æternæ ſalutis redderet acquiſitionem, orbaſſentne docti hi Theologi tam nobili ornamento parentem ſuam? Sed ejuſmodi animadverſiones miſſas faciamus, incipiamuſque argumentum urgere.

II. Tertia evidentiſſimi facti veritas eſt, Patrem Concinam, in Probabiliſmi Hiſtoria, prælaudatos doctos Jeſuitas imitatum, a Societate Jeſu propulſaſſe labem Probabiliſmi. Poſitis hiſce tribus factis perſpicuis, certis, indubitatis, hoc pacto argumentor. Vos, Reverendi Patres Sanvitalis, Ghezzi, Lecchi, Richelmi, Bovi, Gagna, aliique a partibus probabiliſticis, in Patrem Concinam irruiſtis, ac ſi veſtram fraudaſſet Societatem pretioſiori corona, ipſam decorante; propterea quod oſtenderit, non adoptaſſe ipſam Probabiliſmum. Cum omnes uſquequaque hanc exceperint Hiſtoriam tacite, & indulgenter,

ter, ſoli præfati e partibus probabiliſticis Jeſuitæ, tanto in illam æſtu arma ſumpſerunt, ut ſatis non habentes Italica fatigare prælia, Helvetiis quoque prælis fuerint uſi. Hiſtoriæ delinearunt Authorem veluti *Paſchalis*, & *Arnaldi diſcipulum*. Jam vero vobis id planum facio, Reverendi Patres, tanto vos pugnantes ſtudio in rem Probabiliſmi adverſus Patrem Concinam, doctos calamos veſtros, præter voluntatem, conjungere Paſchalis, Arnaldi, Vendrochii, aliorumque in hac cauſa adverſariorum veſtrorum calamis. Vos Probabiliſmum Societatis propriam confirmatis eſſe doctrinam, cum pene omnes Jeſuitas appelletis auxilio Probabiliſmi, & eum primis doctiores, puta Doctorem Eximium Suarez, Patrem Ludovicum a Ponte, fere cum Jeſuitis reliquis, ut videre licet in veſtro Patre La-Croix Buſembai interprete. Inſtar igitur ſolaris luminis clarum eſt, vos Reverendos Patres, Sanvitalem, Ghezzium, Lecchium, Gagnam, Richelmium, voſque cæteros ſectæ Probabiliſticæ Jeſuitas calamos veſtros in ipſam veſtram diſtringere Societatem. Huic vos illum tribuitis Probabiliſmum quem ipſi aſſignant Paſchalis, Arnaldus, Vendrochius. Atroci judicarunt veſtram Societatem notari infamia ſapientes Majores veſtri, ipſam a Paſchali, Arnaldo, ac Vendrochio expreſſam cernentes, tanquam Probabiliſmi adoptivam matrem.

III. Reſponſi aliquid modo reddite, Reverendi Patres. Vel diſerte aſſeritis vos, Societatem veſtram celebri ſua lege illa: *ſequantur in quavis facultate ſecuriorem, & magis approbatam doctrinam*: improbare Probabiliſmum, vel id negatis. Quid reſponſi datis? Decretorium reſponſum cedo, quoniam veſtris dictitatis Neophytis, Logicæ expertem eſſe Hiſtoriæ Auctorem. Si annuatis: vos igitur, defendendo Probabiliſmum, legem veſtram, Profeſſionem veſtram violatis. Si abnuatis, immo ea lege reſpondeatis copiam fieri doctrinam minus probabilem, minuſque tutam ſequendi, propterea quod doctrina hæc minus probabilis, minuſque tuta, ope mentis eamdem ſecum recolentis, probabilior evadat, ac tutior; veriſſima igitur eſt, minimeque dubia mea propoſitio, iniiſſe nempe vos fœdus veſtris cum Adverſariis, ut omnibus eſſet perſuaſum hominibus Societatem adoptaſſe Probabiliſmum.

IV. Captioſum eſt hoc Dilemma. Neque ſibi adſciſcit, neque ſuis interdicit Societas Probabiliſmum; ſed liberiorem ſuis facit poteſtatem utramlibet docendi ſententiam. Numquid reſpondendum habetis aliquid præterea? Nihil plane. Vera eſt igitur iſthæc argumentatio. Rati ſunt ſapientiores ex veſtris majoribus, gravis infamiæ notam veſtræ inuſtam Societati fuiſſe a Paſchali, Arnaldo, Vendrochio, aliiſque Janſenianis, quod ſcripſerint iſti, ſuſcepiſſe Societatem Probabiliſmum, ut ſuum. Extra dubitationis aleam hæc propoſitio eſt poſita. Veniamus ad alteram. Vos hinc affirmatis, Societatis veſtræ legem neque admittere ut ſuum, neque rejicere Probabiliſmum, ſed liberam docendi utramque ſententiam ſuis permittere facultatem: illinc autem vos Reverendi Patres Bovius, Lecchius, Ghezzius, Sanvitalis, Richelmius, Gagna, voſque omnes, qui probabiliſticam conſtituitis factionem, veſtrorum librorum typis editorum ope affirmatis, ſeptem, vel octo Jeſuitis exceptis, docere omnes Probabiliſmum, etiam ipſum Doctorem Eximium Patrem Suarez, nec non Patrem Ludovicum a Ponte, quos Pater Bovius *Venerabilium* appellat nomine ſuo in libro apud Helvetios excuſo, una ſimul cum libro Lecchiano. Idipſum communiter vobiſcum aſſerunt Nuperi Jeſuitæ Probabiliſtici cætus. Pater La-Croix ſuo in Buſembaum Commentario lib. 1. cap. 2. num. 269. pag. 25. *Auctores fere omnes e Societate Jeſu docent Probabiliſmum*. Pater Fibo in ſua Apologia cap. 3. ſcribit docere Probabiliſmum *Societatis totius Doctores*. Evidens igitur eſt, certiſſimumque, vos, Reverendi Patres, fœdere junctos eſſe cum Societatis veſtræ adverſariis. Hæc ſiquidem veſtra Societas non eſt profecto imaginaria Platonis Reſpublica, o Reverendi Patres; eus rationis non eſt, ſed vera Societas eſt, ex hominibus conſtans. Si, vobis fatentibus, hi pene omnes viri Probabiliſmum doceant, neque tamen, vobis judicibus, ulla in Societate ſit lex ipſum vetans: igitur, ut vobis videtur, corona, Societatem veſtram inſigniens, eſt Probabiliſmus. Vos quidem, Reverendi Patres, ſolitis libellis veſtris poteſtis rudioribus fucum facere, il-

lamque faſcinare plebem inanem, quæ non ſecus ac oracula excipit privatorum aliquot veſtrum commenta: at fieri nunquam poterit, ut arctiſſimos propoſiti vobis argumenti nexus diſſolvatis.

V. Tempus eſt jam, ut inſolubile argumentum hoc iiſdem confirmem veſtri Patris Generalis verbis, qui in ſuo immortali monumento num. VIII. pergit ſic loqui. „ Secunda ratio. Negare nemo poteſt, cum ſit evidentia facti, quin Montaltius, Vendrochius, plurimi Janſeniſtæ, & inimici Societatis enixiſſime procuraverint illam infamare ex hoc maxime capite, quod Probabiliſmum amplecteretur, ut ſuum. Et cum Deus pro infinita miſericordia ſua me dignatus ſit aſſumere in qualecumque inſtrumentum ad liberandam Societatem a tanta infamia, quam indecorum, & quam periculoſum eſſet ipſi Societati non agnoſcere adeo ſingularem, & adeo beneficam Dei providentiam, & in illud ipſum probrum, & dedecus ſponte ruere! Imminentem reliquiis Probabiliſmi ruinam ſatis oſtendunt tum Decreta Pontificia, magna Probabiliſmi partem damnantia ejuſque fundamenta convellentia; tum perpetua, & in dies major inclinatio Sedis Apoſtolicæ ad abſolvendum ſaluberrimum opus, ab ipſa feliciter inceptum; tum ſenſus, & praxis Eminentiſſimorum Cardinalium, & Tribunalium Romanorum; tum quod Romæ, & in facie Sedis Apoſtolicæ nemo publice defendere audeat Probabiliſmi doctrinam; tum Epiſcoporum plurium conſpiratio; tum Cleri Gallicani declaratio; tum ex omnibus Eccleſiæ Ordinibus inſignium Theologorum conſenſus. Et ut alios omittam, certo ſcio, aliquos eſſe in Societate bene paratos ad oſtendendum efficaciter, præcipua Probabiliſmi capita jam eſſe in eo ſtatu, ut ſint proxime damnabilia ab Apoſtolica Sede, ſi ipſi ita expedire videatur. Si autem illi, qui Societatem voluerunt infamare, tantam illi moleſtiam intulerunt ex aliquibus probabiliſmi ramis iam damnatis; quid fiet, quando præcipua capita damnabuntur? Quis Jeſuita ſine intimo dolore, & lacrimis tantam Societatis labem ſuſtineret? Suſtineret autem, ſi ſententia illa in Societate prævaleret, aut nimis communis eſſet. E contra vero erit Societati valde decorum, ſi Orbis agnoſcat, quantum in ipſa Probabiliſmus de reverit, antequam ejus falſitas infallibili Sedis Apoſtolicæ judicio definiatur. Pie meditaminor, Reverendi Patres probabiliſticæ Scholæ, quam latam paretis ad dedecus viam Societati veſtræ, dum veſtrorum in rem Probabiliſmi librorum copia, omnibus manifeſtum facitis, quantopere in Societate veſtra augeatur in dies Jeſuitarum probabiliſtarum conventus. Quærite, ſi fieri poſſit, aliquod vobis effugium, quo innoteſcat curetis, vos cum Societatis hoſtibus fœderatos haudquaquam eſſe in opponendo Societatis ad os improbam larvam Probabiliſmi.

CAPUT IX.

Tertia ratio quam Papæ Clementi XI. proponit Pater Gonzalez, eidem, ut Probabiliſmum proſcribat, ſuaſurus. Oſtendit, ab Jeſuitis præcipue diris eſſe devovendum; quod, ipſo judice, eumdem executioni mandans non ſit expers criminis. Excitantur a veterno quidam nimis ſtudioſi, tanquam verum, quicquid ab aliquo Jeſuitarum audiunt, defendentes.

I. TRemendam, graviſſimamque doctrinam eximio Pontifici Clementi XI. exponit eruditus Generalis Gonzalez. Nil aliud ego præſtabo, quam illam fideliter hic ſubjicere ipſis ejuſdem verbis. Ita igitur ille ſcribit. „ Tertia ratio. Quamvis a peccato excuſentur illi Auctores, qui bona fide judicarunt, probabiliſtarum ſententiam eſſe veram, ideoque inculpabiliter illam ſecuti ſunt ſpeculative; nemo tamen, niſi probetur, cenſendus eſt adhibuiſſe talem doctrinam in praxi ad dirigendam conſcientiam ſuam, aut alienam, quia ſemper, & ubique fuit, eſt & erit formaliſſimum peccatum talem doctrinam practicare. Ratio eſt facilis, quia falſitas ſententiæ reflexæ Probabiliſmi in eo conſiſtit, quod dicat, non dari peccatum, ubi datur peccatum; quod dicat, fieri bona fide id, quod reipſa non fit bona fide; quod dicat, fieri cum bo-

„ na

„ na conſcientia id, quod reipſa ſit vel
„ ſine ulla conſcientia bona, vel contra
„ propriam conſcientiam. Unde totum
„ pondus auctoritatis, & rationis, quod
„ efficaciſſime probat, ſententiam illam
„ eſſe falſam, pariter probat, non excu-
„ ſari a peccato formali eum, qui opera-
„ tur juxta illam, cum in hoc conſiſtat
„ ejus falſitas. Eſt ergo ſententia illa oc-
„ caſio innumerabilium peccatorum, &
„ damnationis animarum. Omnes enim,
„ qui tali ſententia confiſi operantur in
„ materia capaci malitiæ gravis, graviter
„ peccant, & leviter in materia levi.
„ Sic aliqui ante Decretum Innocentii
„ XI. inculpate docuerunt, ſpeculative
„ prudenter operari eum, qui operaretur
„ confiſus probabilitate tenui; & tamen
„ certum eſt, ſic operantem nunquam po-
„ tuiſſe operari prudenter; in hoc enim
„ conſiſtit falſitas illius ſententiæ damna-
„ tæ in propoſitione tertia, quod diceret,
„ non dari imprudentiam, & peccatum,
„ ubi dabatur, & ſemper dabitur impru-
„ dentia, & peccatum; quod diceret, da-
„ ri excuſationem a peccato, ubi pecca-
„ tum erat inexcuſabile.

II. Hoc ſuppoſito, & ſuppoſita exiſti-
„ matione, quam fideles communiter ha-
„ bent de probitate, & doctrina Socie-
„ tatis, ejuſque zelo in proximorum ſa-
„ lute procuranda; ſi illi ipſi fideles vi-
„ deant, ſententiam Probabiliſmi defendi
„ a Jeſuitis pro religione, pro aris, & fo-
„ cis, aut in illam nimium inclinare; ju-
„ dicabunt utique plurimi, Religionem
„ adeo ſanctam, & doctam non ample-
„ xuram tanto conatu doctrinam mora-
„ lem, niſi iſta eſſet certiſſime tuta: un-
„ de operabuntur in praxi juxta illam, &
„ peccabunt ſine excuſatione in innume-
„ ris, in quibus, confiſi auctoritate Jeſui-
„ tarum, putabunt, ſe habere excuſatio-
„ nem. Inde fit liquido, magnum fore
„ dedecus, magnum piaculum, ſi Societas
„ daret fidelibus fundamentum ad judi-
„ candum, ipſam ita amplecti illam ſen-
„ tentiam; quia eſſet fideles ipſos allice-
„ re ad practicandam talem ſententiam.
„ Hoc autem eſſet illos conducere ad pec-
„ cata innumerabilia, niſi certum eſſet,
„ illam Probabiliſmi ſententiam eſſe ve-
„ ram: quæ certitudo longe abeſt; imo
„ jam certum eſt, vel illam ſententiam
„ eſſe falſam, vel ſaltem non eſſe certo
„ probabilem, & eſſe proxime damnabi-
„ lem, ad minus ut periculoſam in praxi.

III. Sonum hic ego vocis exoptarem gravem, acutum, evangelicum. Verba exoptarem ad virtutem inflammantia, efficacia, ſignificantia, quæ nitidiſſime magnum terribillimum, de quo hic agitur, negotium oſtenderent. Omnia terrorem incutiunt, atque formidinem. Piiſſimus, ac doctiſſimus Generalis, celebris, ſtrenuæque Jeſu Chriſti Militiæ dux: Generalis ſenio confectus, formidabile Divinæ Juſtitiæ Tribunal cominus ſpectans: loquens non ex tempore quidem, ſed poſt annorum plurium graves, atque Chriſtianas meditationes; poſt typis in lucem edita de hac re plena volumina, inenarrabili ſapientum omnium plauſu: loquens coram Jeſu Chriſti Vicario Clemente XI. Hic innumerabilium horridiſſimam pandit peccatorum voraginem, in quæ Jeſuitarum exemplum, in tutando Probabiliſmo, Chriſtianos in ſæculari ſtatu viventes poteſt impellere. Ob oculos omnium fallacem hanc ponit argumentationem, a ſæcularibus hominibus inſtitui ſolitam: Jeſuitarum Ordo, ſanctitate, atque doctrina præſtans Ordo eſt. Si doceant Jeſuitæ, ponantque in uſu Probabiliſmum, ideſt ſententiam minus probabilem, minus ſimilem vero, minus tutam, quis in dubium vocare queat, quin doctrina ejuſmodi certa, ac tuta ſit? Exiſtimari ne poteſt, Religioſos viros ſingularis exempli, doctos, mundi contemptores, evangelicæ cultores vineæ, ſudoribus, atque laboribus impenſis, talem ſuſtinere doctrinam, niſi pro tuta illam haberent? Fatalis hæc illuſio diſſipata fuit ſexcentis in locis. Quoniam vero eam iterum ad examen vocat Generalis Gonzalez, iterum nos quoque eam diſpungamus. Patriarcha Divus Ignatius, Societas ad ſacratiſſimarum legum collectionem edendam pro ſubditorum ſuorum regimine congregata, impobat, damnat Probabiliſmum. Doctiores, ſanctiores, ſtudioſiores Jeſuitæ Probabiliſmum eruditiſſimis rejecerunt lucubrationibus, ceu falſam doctrinam, ſcandalum, ac perniciem humano generi inferentem. Conſulantur Cardinalis Bellarminus, Elizalde, Gonzalez, Munieſſa, de Camargo, Blancus. Unus Elizalde, a Cardinali Pallavicino *ſupremus ſui ævi Theologus* appellatus, centum præſtat Te-

rilliſ: Unus Bellarminus ſexcentis Caſtropalais, & Eſcobariis: Unus de Camargo ſexcentis Tamburinis, Buſembais, La-Croiſiis, Vivis. Generalis Gonzalez, coram Jeſu Chriſti Vicario opem, atque præſidium implorans periclitanti Jeſuitarum Probabiliſtarum ſtudioſo cætui, auctoritate valere plus debet, non modo quod ſit doctiſſimus, ſed quod Superioris, Generalis de ſenſu loquatur, auctoritate, inquam, valere plus debet, quam univerſa, quanta quanta eſt, Caſuiſtarum, Scriptorumque Indicum Probabiliſticorum caterva. Qualem poterunt excuſationem afferre Chriſtifideles, quod maliut tam pervicaciter laxiorum Caſuiſtarum, eorumque ſemi doctorum Confeſſariorum, qui memoratorum Caſuiſtarum lectioni vacant, adhærere partibus, quam piiſſimis, atque doctiſſimis eorumdem Theologis Jeſuitis? Eccur Chriſtifidelium nulla movent ratione animos cum doctiſſimi tot Jeſuitæ, tum Theologi tot alii Religioſorum Ordinum, qua late patent, evidenter demonſtrantes, ad inferos Probabiliſmum detrudere, cum Chriſto Jeſu exclamantes, paucos eſſe electos, anguſtam, & arctam Cælorum viam eſſe? Quid ita? quia iſtorum doctrinæ bellum movent illorum molliter, ſuaviter, & voluptuoſe vivendi rationi: quia iſtorum doctrinæ illos terrore percellunt, ac formidine, arcent illos ab Aris, niſi a Babylonis recedant oblectamentis; niſi ambitum, luxuriem, intemperantiam coerceant; niſi facultatum ſuarum in partem vocent egenos ſuos fratres. E contra Probabiliſticæ Scholæ opiniones congerunt Mundum, & Evangelium, Templa, atque Theatra, ſubimpudicos amores, amoreſque pudicos, Cælum, & terram. Viſibile illorum, illarumque Chriſtifidelium exemplum, quos intueris *jam inter Clericos, jam inter Saltatores*, ut Hieronymus ſcribit, decretorium eſt hujuſce rei argumentum. Nulli eſt igitur præſidio multitudini palam deceptæ Probabiliſticæ ſectæ doctrina morum integritas; etenim longe major eſt ſine comparatione doctrina, vitæque innocentia Antiprobabiliſticæ Scholæ? Neque alia de cauſſa hæc illi antefertur, niſi quia humanis appetitionibus hæc obſiſtit, illa vero indulget blande.

IV. Sed dimittamus Chriſtifideles, ſæcularem vitam agentes, & redeamus ad ſermocinandum cum Reverendis Patribus Ghezzio, Richelmio, Gagna, Bovio, Lecchio, Monti, & reliquis e familia Probabiliſtica Jeſuitis. Senſus vos accepiſtis graviſſimos Generalis veſtri qui funeſtiſſimam vobis deſcripſit cladem, quam vos infertis Chriſtianæ plebi, propugnando, ut facitis Probabiliſmum: vobis exponit dedecus, ignominiam, qua Societatem cum Paſchali, Arnaldo, & Vendrochio afficitis. Tam eximii Generalis, ac Præſulis veſtri, qui Patriarchę veſtri Sancti Ignatii perſonam gerit, qui vobis pręeſt, qui vos regit, qui vos edocet illius vice, niſi authoritas prejudicatarum nubem diſſipet veſtrarum opinionum, niſi veſtros afficiat animos, inania erunt abs dubio mea verba.

CAPUT X.

Quarta ratio, qua evincit Pater Generalis Gonzalez, nequire Jeſuitas Probabiliſtas fidem bonam in tuendo Probabiliſmo allegare; non eſſe ignorantiam ipſorum invincibilem, ſed evidentis ratiocinii vi culpæ obnoxiam. Nihil eſt in rerum natura mirabilius, nec tam prodigioſum, quam Probabiliſmi ignorantia. Hac in re Ghezzius, Lecchius, Gagna cum reliquis omnibus elingues fuerunt.

De more ante omnia Patris Superioris veſtri ipſamet proferam verba. Sic ille effatur ſupplicis ſui libelli num. x. „ Quarta Ratio. Quamvis ſententiam „ Probabiliſtarum *ſpeculative* ſecuti ſint „ multi bona fide, quando res erat in „ alio ſtatu; at in ſtatu pręſenti jam non „ erit facile, quod alii Jeſuitę illam in„ culpate, & bona fide teneant, & do„ ceant. Antea non affulgebat illa lux, „ quę poſtea orta eſt ex Pontificiis De„ cretis, neque deventum erat ad fun„ dum graviſſimę controverſię, neque pa„ tefactę ingentes ęquivocationes, falla„ ciæ, & falſę ſuppoſitiones, quibus uni„ ce nititur Probabiliſmus, neque colle„ cta tot, tanta, & tam manifeſta ab„ ſurda; neque occurrerant Auctoribus „ probabiliſtis efficaciſſima argumenta au„ ctoritatis, & rationis, quę poſtea aliis „ occurrerunt: quę omnia nunc ſunt exa„ minanda, niſi quis velit ignorantia vo-

„ lun-

Digitized by Google

„ luntaria laborare, & veritatis curam „ omittere: quod & in Magiſtris præſertim, & in omnibus non contingeret ſine „ graviſſimo peccato, quod eſſet cauſſa „ plurium aliorum peccatorum, & ſuorum, & alienorum. Et quando ex omnibus Eccleſię gradibus, & ordinibus „ tam multi ſunt, qui animadvertentes „ periculum, receptui canunt; *fœda nimis* „ *res eſſet, quod Jeſuitæ ſeſe, & alios* „ *in præcipitium urgerent*: pręſertim cum „ cum ab ipſo Societatis ortu, & in corpore Inſtituti ſui, a Sancta Sede toties confirmati, pręſcriptum voluerit noſter optimus Pater Sanctus Ignatius, „ qui par. 4. Conſtitutionum, cap. 5. §. „ 4. ita pręſcribit: *ſequantur in quavis* „ *facultate ſecuriorem, & magis approbatam doctrinam*. Unde Sanctus Pater „ non ſuſtineret minus ſecuram, & ſimul minus approbatam. Poſtea Pater „ Mutius Viteleſchi, Prępoſitus Generalis, toti Societati, per litteras circulares, pręſcripſit: *Omni itaque ſtudio* „ *perficiant, ut qui docent, ſcribuntque,* „ *minime hac regula, ac norma in delectu ſententiarum utantur: Tueri quis* „ *poteſt: Probabile eſt: Auctore non caret: verum ad eas ſententias accedant,* „ *quæ tutiores, quæ graviorum, majoriſque nominis Doctorum ſuffragiis ſunt* „ *frequentatæ, quæ bonis moribus conducunt magis, quæ denique pietatem alere & prodeſſe queunt, non vaſtare non* „ *perdere*. Idem pręſcripſit Pater Goſwinus Nikel (itidem Prępoſitus Generalis) ut ſatisfaceret ardentibus votis Summi Pontif. Alex. VII. per hęc verba graviſſima: *Conemur omnibus, quibus poſſumus, modis, calumniis iſtis anſam præſcindere. Meminerimus, quod ſuis omnibus præſcripſit Sanctus Pater noſter* „ *in Conſtitutionibus par. 4. cap. 5. §. 4.* „ *ſcilicet, ſequantur in quavis facultate* „ *ſecuriorem, & magis approbatam doctrinam. Et cum ſcopus doctrinæ omnis in* „ *Societate, ut monet idem Sanctus Pater* „ *noſter initio cap. 5. par. 4., ſit ſuis,* „ *& proximorum animis, Dei favore aſpirante, prodeſſe; ſectemur in praxi ſententias utiles potius, quam jucundas;* „ *& in dirigendis conſcientiis tam voce,* „ *quam ſcripto, ſtudeamus prodeſſe proximo magis, quam placere.*

II. Antequam ultra progrediamur, paulum conſideremus, quam vera ſit Patris Generalis Gonzalez doctrina loco citato aſſerentis, vix, ac ne vix quidem recentiores Jeſuitas poſſe bonam pretexere fidem, ſi minus probabilem ſententiam doceant, cum pręſto ſint modo tot Decreta ſive Pontificum, ſive Epiſcoporum, ſive Accademiarum, ſive Synodorum, quorum alia damnant omnino, ac deteſtantur Probabiliſmum, ceu virulentum laxatum opinionum omnium fontem; alia evertunt ejuſdem principia; alia præcipuos exitialis ſtirpis ramos pręcidunt. Tot documentorum lux retroactis temporibus haudquaquam fulgebat; ideoque priores Probabiliſtę aliquam ignorantię ſuę allegare poterant excuſationem; cum e contra nullo colore, nulla juſta excuſatione in tuto ponatur Recentium Probabiliſmi patronorum conſcientia. Atque pręter illa cunctis Probabiliſtis communia argumenta; quod ſpectat ad Jeſuitas, ſeveriſſimæ ac ſępius repetitę exient leges, tradendam, atque opere perficiendam mandantes doctrinam oppoſitam Probabiliſmo.

III. Verum ab omnibus his cogitationem abſtrahendo, rurſus velut in tranſcurſu ob oculos ponere mihi placet ignorantię invincibilis Probabiliſticę ideam, fuſius in Appendice ad primum Hiſtorię Probabiliſmi Tomum pluribus capitibus explicatam, Quartum & quintum percurrite. Ea eſt ignorantia invincibilis, quę vinci nequit, prout ipſum *invincibilis* nomen patefacit. Jam vero novit Probabiliſta, probabiliorem eſſe ſententiam docentem, fęneratorium eſſe contractum: novit, oppoſitam, ipſum aſſerentem ut juſtum, eſſe minus veriſimilem, minus veritati conſonam, minus probabilem. Si tamen contingat, ut ejus minus probabilis opinio ſit reapſe falſa, & noxia, cujuſmodi eſt vi ratiocinationis eidentiſſimę; qui dici poteſt invincibilis, & innoxia ipſius ignorantia? Nedum aliquod initium dubitandi habet Probabiliſta, nedum ignorantiam vincendi habet poteſtatem, ſed (quod pejus eſt) fulgentiori de induſtria lumini, ne eamdem vincat, obſiſtit; a majori probabilitate mentem deflectit, oculos meridianę claudit luci, ut incertam, ac fallacem poſt facolam eat. Nuſquam gentium auditum eſt paradoxum tam abſurdum, chimęra tam abſona, quam ſit invincibilis hęc ignorantia Probabiliſtica.

ca. Id omne perſpicuis demonſtrationibus indicato Hiſtoriæ loco late confirmavit Pater Concina. Maxima probatum eſt claritate, abſurdum ſic eſſe, atque commentitium Probabiliſmum, ſicuti abſurda, & commentitia eſt invincibilis ignorantia ejuſmodi. Attamen vos, Reverendi Patres, Gagna, Lecchi, Bovi, Sanvitalis, arma in antedictam capeſſentes Hiſtoriam, tacitum plane præcipuum hoc caput reliquiſtis, non ſecus ac reliqua ejuſdem capita principalia: veſtræ omnes ſtrenuæ aggreſſiones eo unice demum collinearunt, ut cavillationibus nonniſi verbum aliquod perſtringeretis. Atque in his captioſis animadverſionibus ipſis res adeo feſtivas prompſiſtis, ut valde copioſam Adverſario materiam præbueritis vulgandi omnibus, quam lepidi ſint libelli veſtri. Sed tranſitum ad alia faciamus.

Corollarium.

Ex iis, quæ loco allegato retulit Pater Reverendiſſimus Thyrſus Gonzalez, nonne evidentiſſime patet, Societatis Jeſu mentem adverſari Probabiliſmo? Patriarcha Divus Ignatius legibus Societati præſcriptis vetat, ne ſententias minus probabiles quis ſequatur. Doctiſſimis Generales Vitelleſchi, Nikel, Gonzalez, agmen ducentes Bellarminorum, Comitolorum, Blancorum, Elizaldium, Munieſſarum, Camargorum, totque aliorum, doctrina, atque pietate quam maxime inſignium Theologorum Probabiliſmum execrantur. Quæro: quis Societatis Jeſu gerit vices? Ejuſdemne leges, ejuſdemne Generales cum ſapientioribus Theologis, an vero frequens Caſuiſtarum turba? Citra dubitationem priores. Evidentiſſime igitur patet, adverſari Societatem Jeſu Probabiliſmo, laxæque Morali. Æque igitur evidenter patet, gregis probabiliſtici Jeſuitas, puta, Lecchium, Bovium, Gagnam, La-Croixium, Vivam, Tamburinum, innumeroſque alios Moralis diſciplinæ Profeſſores Societatis ſuæ adverſari doctrinæ, ſuiſque legibus contraire. Nulli hæc demonſtratio patet reſponſioni.

CAPUT XI.

Pergit Pater Gonzalez alias Societatis leges adverſus Probabiliſmum proferre. Ad memoriam Pontificia in eumdem Decreta revocat. Suam ad Sanctum Papam Clementem XI. convertit perorationem. Teſtem appellat Deum, ſe nihil aliud in demiſſiſſime ſupplici hoc libello offerendo ſpectare, quam Societatis liberationem.

I. MAxime ſingularis monumenti ventum eſt prope finem. Alia Pater Gonzalez adverſus Probabiliſmum affert Societatis Decreta. Sic ille proſequitur num. xi. „ Idem ſtatuit ſæpe tota So-
„ cietas in Congregationibus Generalibus
„ v. xi. & xii. Decretum Congregatio-
„ nis v. allegatur, & confirmatur a Con-
„ gregatione XI. Decreto 22., quod ſic
„ habet: *Complurium Provinciarum poſtu-*
„ *latio fuit, ut, cum Societas ita nunc*
„ *paſſim male audiat, & traducatur quaſi*
„ *nimis laxas in moralibus opiniones do-*
„ *ceat, & in praxi ſequatur, aliquod ad-*
„ *hibeatur efficax tanto malo remedium.*
„ *Congregatio amplexa judicium Deputa-*
„ *torum pro ſtudiis, ſtatuit, primo mo-*
„ *nendos ſerio Profeſſores Theologiæ Mo-*
„ *ralis, caute omnino ut doceant; neque,*
„ *quod aliquod probabile reputent, illico*
„ *ſibi licere arbitrentur, illud in publi-*
„ *cum ſcripto verboque protrudere; ſed ad*
„ *id attendant maxime, quod monet Con-*
„ *gregatio V. Decreto* 41. *an communi Scho-*
„ *larum ſenſui congruat, ac præterea ſcan-*
„ *dalum, vel offenſionem aliquam uſpiam*
„ *parere poſſit. Superiores autem, ſi quos*
„ *novitatum amantes, aut parum cautos*
„ *in docendo compererint, a munere do-*
„ *cendi moveant, ſpeque omni illius pri-*
„ *vent, pœnis etiam aliis, ſi forte opus*
„ *iis eſſe ſenſerint, coerceant.*

II. „ Decretum 28. Congregationis XII.
„ idem præſcribit: *quamvis contra novi-*
„ *tatem, laxitatemque opinionum, præſer-*
„ *tim in rebus moralibus, abunde provi-*
„ *ſum ſit & Præpoſitorum Generalium or-*
„ *dinationibus, & ſuperiorum Congrega-*
„ *tionum Decretis, & Conſtitutionibus i-*
„ *pſis, quibus jubemur ſequi in quavis*
„ *facultate ſecuriorem, magiſque approba-*
„ *tam Doctrinam; in re tamen tanti mo-*

„ *men-*

„ *moveri, poſtulante, pro ſuo zelo, Patre*
„ *noſtro, omniumque conſpirantibus votis,*
„ *nihil prætermittendum rata Congregatio*
„ *prælens, Decretorum, quibus nova illæ,*
„ *laxioreſque opiniones doceri, typiſque*
„ *mandari prohibetur, vim totam renovat,*
„ *roborat, & confirmat. Commendat præ-*
„ *terea in primis Patri noſtro, ut non tan-*
„ *tum tranſgreſſores loco, & cathedra amo-*
„ *veat, aliiſve gravibus, pro modo cul-*
„ *pæ, pænis ſubjiciat, ſed ipſos etiam Su-*
„ *periores, ſi quando in cohibenda liberio-*
„ *ri illa opinandi licentia negligentiores*
„ *fuerint, ſevere puniat.*

III. „ Denique (quod nobis præcipue
„ obſervandum eſt) Sedes Apoſtolica præ-
„ ſertim per Summos Pontifices Alexan.
„ VII. & Innoc. XI. ſatis aperte incli-
„ nationem, & voluntatem ſuam ſignifi-
„ cavit; licet prædictum Innoc. XI. man-
„ datum, & S. Inquiſitionis Decretum
„ (Generali Olivæ ſolemniter denuncia-
„ tum) ad ejuſdem Societatis notitiam
„ non pervenerit.

IV. „ Hæc omnia, & alia omittenda,
„ brevitatis cauſa, me relinquunt ſine li-
„ bertate, Beatiſſime Pater, & omnino
„ cogunt, ut humillime petam a Sancti-
„ tate veſtra auxilium paternæ providen-
„ tiæ ſuæ; quod videtur futurum eſſe ef-
„ ficaciſſimum, (pro comperta mihi no-
„ ſtrorum reverentia erga Sanctam Se-
„ dem, & ſingulari gratiſſimæ, & humil-
„ limæ benevolentiæ affectu erga Sanctiſ-
„ ſimam perſonam Beatitudinis veſtræ) ſi
„ Sanctitas veſtra dignetur ſerio commen-
„ dare Superioribus Societatis, ut diligen-
„ tiſſime invigilent, & provideant quie-
„ ti, paci, & honori Societatis, tanquam
„ rem, Sanctitati veſtræ gratiſſimam, fa-
„ cturis; ut in ipſa promoveant ſtudium
„ impigrum Doctrinæ Moralis, & ſignan-
„ ter hujus capitalis controverſiæ; ut ſum-
„ ma ſolicitudine caveant, ne Jeſuitæ in
„ lectionibus, theſibus, aut libris aliquid
„ doceant, aut defendant contra illos ſen-
„ ſus, in quos Sedes Apoſtolica inclinare
„ viſa eſt; contra mentem S. Ignatii P.
„ N. in Conſtitutionibus expreſſam; con-
„ tra ordinationes, & Decreta Præpoſito-
„ rum, & Congregationum Generalium:
„ quod ſit alienum ab Evangelica ſimpli-
„ citate, & SS. Patrum doctrina; ex quo
„ poſſit erumpere Chriſtianæ vitæ corru-
„ ptela, & pernicies animarum, gradien-
„ tium per viam latam, quæ ducit ad
„ perditionem; & quod in Societatem i-
„ pſam refundere poſſit & culpam, &
„ pænam, & dedecus, ipſamque reddere
„ minus utilem ad ſuum finem, qui uni-
„ ce eſt inſervire Deo, & Sanctæ ejus
„ Eccleſiæ & quærere toto corde cum
„ divina Gratia ſalutem, & perfectionem
„ propriam, & cum eadem impenſe in
„ ſalutem, & perfectionem proximorum
„ incumbere.

V. „ Teſtor, Beatiſſime Pater, Chri-
„ ſtum Jeſum, Dominum noſtrum, &
„ Societatis Ducem, qui ſcrutatur renes,
„ & corda, & in cujus tremendo judi-
„ cio accuſari nollem, ut ſervus infide-
„ lis, & negligens; teſtor, inquam, me
„ ad hoc ardenter deſiderandum, & hu-
„ millime petendum unice moveri ex fi-
„ nibus prædictis, ut conſulam, quantum
„ poſſum, conſcientiæ meæ, & Societati
„ mihi a Domino commiſſæ, ac ingentibus
„ ejus obligationibus, & propter majorem
„ Dei gloriam, & propter reverentiam
„ erga Apoſtolicam Sedem, & propter
„ ſalutem æternam proximorum, ipſorum-
„ que Jeſuitarum, & propter ipſius So-
„ cietatis pacem, quietem, & honorem.
„ Spero autem firmiſſime, Sanctitati Ve-
„ ſtræ gratum eſſe futurum hoc deſide-
„ rium meum, & Beatitudinem veſtram,
„ pro paſtorali cura totius Dominici Gre-
„ gis, & pro ſingulari benignitate ſua er-
„ ga minimam hanc Societatem, electu-
„ ram illud medium, quod Sanctitas ve-
„ ſtra judicaverit magis efficax, & expe-
„ diens, ut Societas a prædictis periculis
„ liberetur, & juxta Inſtitutum ſuum uti-
„ liter in vinea Domini laborare pergat.
„ Deus Opt. Max. Sanctiſſimam Perſo-
„ nam Beatitudinis Veſtræ, pro ardentiſ-
„ ſimis votis meis, diutiſſime felicitet,
„ & incolumem ſervet in culmine Apo-
„ ſtolatus, & tandem ad Cæli culmen
„ feliciſſime perducat. Amen.

In hac Domo S. Andreæ 21. Augu-
ſti 1702.

Humill., & Devotiſs. Servus
Thyrſus Gonzalez.

VI. Unum documenti textum hoc in capite recitare conſtitui, cum ad proximum caput neceſſarias animadverſiones rejecerim. Ad hujus ſupplicis libelli calcem bre-

breve ſubnexuit additamentum Pater Emmanuel Sagarra. Hic Pater, nec non celebris Pater Alpharus, doctrina, ac pietate clariſſimus, una ſimul cum Patre Generali ſupplicem hunc libellum conſcripſerunt. Traditus libellus fuit D. Fabio Olivieri, Brevium Secretario, qui Cardinalis poſtmodum fuit, ad quem hæc ſcribit Pater Generalis Gonzalez: „ Cum valetudine impediar, nec poſſim adire Sanctiſſimum Dominum Noſtrum, ejuſque ſanctiſſimis pedibus provolvi, humilli- me peto ab Illuſtriſſima Dominat. Veſtra, ut dignetur ſupplicem libellum adjunctum in manus Sanctitatis ſuæ deferre: quem ſi ſua Sanctitas per ſe ipſam legere non poſſit, vellem, ipſi legi ab Illuſtriſſima Domin. Veſtra; continet enim negotium magni momenti, quod opto ſecretiſſimum, & quod ſoli Sanctitati ſuæ, & Illuſtriſſimæ Domin. Veſtræ confidere poſſum; quia hujus libelli, offerendi ſuæ Sanctitati, præter me, & Amanuenſem, qui illum deſcripſit, ſoli conſcii ſunt P. Joſephus de Alpharo, & P. Emmanuel Sagarra, qui illum concinnarunt: & ideo debet manere ſecretum, quouſque ſua Sanctitas velit innoteſcere. Rogabo Deum Dominum Noſtrum pro incolumitate Illuſtriſs. Dom. Veſtræ, cujus nutibus obedientiſſimum me profiteor.

CAPUT XII.

Sancti Patriarchæ Ignatii vi legum, poſteriorum Societatis Decretorum, Præpoſitorum Generalium mandatorum, a Patre Generali Gonzalez allatorum, ſumma pateſit evidentia, Jeſuitas omnes Probabiliſticæ partis ad Societatis hoſtes accedere.

I. Patriarchæ Sancti Ignatii textus a Generali Gonzalez laudatus atque in Conſtitutionibus deſcriptus, hujuſmodi eſt: *Sequantur in quavis facultate ſecuriorem, & magis approbatam doctrinam*. Nulla plane cavillatio caliginem offundere potis eſt huic loco, quemadmodum obſervat Pater Generalis Gonzalez. Eamdem legem poſteriora Congregationum Generalium Decreta confirmant, prout res ipſa compertum facit, idque aſſeverat Pater Generalis. Textus proferre hic nolo documento inſertos, deſcriptoſque in ſuperiori capite: Unum ex toto reſcribam Patris Generalis Mutii Viteleſchi locum, cum a Patre Gonzalez nonniſi dimidius referatur. Hæc igitur ſcribit Pater Generalis Viteleſchi pridie Nonas Januarii 1617. in Epiſtola Encyclica ad Societatem: *Nonnullorum ex Societate ſententiæ in rebus præſertim ad mores ſpectantibus plus nimis liberæ, non modo periculum eſt, ne ipſam evertant, ſed ne etiam Eccleſiæ Dei univerſæ inſignia afferant detrimenta. Omni itaque ſtudio perficiant, ut qui docent, ſcribuntve, minime hac regula, & norma in delectu ſententiarum utantur*: Tueri quis poteſt: Probabile eſt: Authore non caret: *Verum ad eas ſententias accedant, quæ tutiores, quæ graviorum, majoriſque nominis Doctorum ſuffragiis ſunt frequentatæ; quæ bonis moribus conducunt magis; quæ denique pietatem alere, & prodeſſe queant, non vaſtare, non perdere. Quoniam vero Conſtitutiones, Decreta, Regulas probe callent de B. Thoma ſequendo, de non provehendis ad cathedram, aut etiam removendis, qui ejuſmodi doctrinam parvi facere, aut cordi non habere præſeferunt, præſertim ſi novitatum amantes deprehendautur; qui nulla ratione ſunt ferendi; reliquum præterea mihi nihil eſt, niſi, ut hæc ipſa ſerventur, ut maximi res momenti, quam ardentiſſime poſſum urgere.*

II. Pater Præpoſitus Generalis Nikel, ab Alexand. Papa VII., ſicut ex teſtimonio quoque Patris Gonzalez didicimus, excitatus graviſſima hæc ſcribit verba. „ Conemur omnibus, quibus poſſumus, modis, calumniis iſtis anſam præſcindere. Meminerimus, quod ſuis omnibus præſcripſit Sanctus Pater Ignatius in Conſtitutionibus par. 4., cap. 5. §. 4. ſcilicet: ſequantur in quavis facultate ſecuriorem, & magis approbatam doctrinam.

III. Cætera Congregationum Generalium Decreta, a Patre Generali Gonzalez laudata, jamque antea deſcripta, miſſa facio, & hac urgeo ratione Reverendos Patres Jeſuitas Probabiliſtici fæderis. En, Reverendi Patres, ob oculos vobis ponunt Generales veſtri, Viteleſchi, Nikel, Gonzalez, Patriarchæ veſtri Sancti Ignatii, Societatis veſtræ pluribus in Congregationibus coactæ, leges, ſequi juben-

bentes ſententias probabiliores, ſententias ſecuriores, tutiores. *Securiorem, & magis approbatam doctrinam. Sequantur tutiores ſententias.* Cuncti ergo Jeſuitæ Probabiliſtæ legibus cum Sancti Patriarchæ Ignatii, tum Societatis ſuæ adverſantur. Nulla hinc evadendi via patet. Aut deſciſcendum eſt a legibus Societatis, aut deficiendum a Probabiliſmo: Aut Terilli, Tamburini, Caſtropalai, Sanchezii, Buſembai repudianda eſt doctrina, aut nuncium doctrinæ a Sancto Ignatio præſcriptæ remittendum. Vos fortaſſis inquietis, jubere Divum Ignatium, probabiliorem, tutioremque ſententiam Magiſtros ſequi, minime vero Confeſſarios, Conſultoreſque. Verum enimvero ludrica hæc reſponſio alibi a Patre Concina ludibrio, ac ſibilis fuit expoſita, nec graviori digna eſt confutatione. Miſſa itaque argumentatione, uti familiari hortatione malo. Hinc Sanctus Ignatius, ejuſque Succeſſores in Generalatu, Viteleſchius, Nikelius, Gonzalezius, Societatis prolatis legibus, vobis adicunt: *Doctrinas ſequiminor ſecuriores, probabiliores, tutiores.* His legibus, huic Patriarchæ, his Generalibus conſentiunt doctiores Confratres veſtri, Cardinales Bellarminus, Toletus, Pallavicinus: conſentiunt Comitoli, Blanchi, Elizaldæ, Munieſſæ, Camargi, qui ab ipſis ſtare Doctorem Eximium Suarezium pro certo affirmant. Illinc autem ecce vobis Vaſquezium, Terillum, Tamburinum, Eſcobarium, Buſembaum, Stozium, Burgaberum, Gobatum cum Caſuiſtarum frequenti turba. Utram ſequimini iſtarum partium? Eædem profecto ſecum invicem pugnant. Auſcultare mavultis Theologiæ Moralis Doctorum agmini, damnatis ſcatentium propoſitionibus, doctrinis occaſionem ruinæ ſpiritualis præbentibus, quam legibus obſequi Sancti Fundatoris Societatis, quam doctiorum Generalium veſtrorum vocibus morem gerere, ac juſſionibus, Summorumque Pontificum Alexand. VII., & Innoc. XI. mandatis? Libellorum quidem veſtrorum numerum vos poteſtis augere, ut iis vulgus moremini, ſicuti uſque adhuc præſtitiſtis: vos imperitos poteſtis fallere verborum opportunis colluſionibus veſtris: ſed veſtri Sancti Patriarchæ, Societatis veſtræ, leges perſpicuæ ſunt, invariabiles ſunt, æternæ ſunt, ac ſemper erunt. Societatis Jeſu mens haud colligitur ex libris Tamburini, Eſcobarii, Maſcharenæ, Moyæ, Baunii, Uti; neque ex Terilli, Leſſii, Molinę ſubtilitatibus; ſed ex legibus utique veſtri Sancti Parentis Ignatii, ejuſdemque Societatis, nec non ex Generalium veſtrorum edictis. Ut mea hortatio efficacior evadat, una ſimul nonnihil adhibeamus argumentationis. Poteſtiſne vos Reverendi Patres Jeſuitę Probabiliſtę, Divi Ignatii aliquod allegare Decretum, quo ſequi jubeamini doctrinam minus probabilem, ac minus tutam? minime. Poteſtiſne vos ullum Congregationum Generalium Decretum allegare? minime. Poteſtiſne vos vel unius Generalis Prępoſiti allegare ſanctionem, epiſtolam Encyclicam, qua ad ſequendum Probabiliſmum hortemini? minime ſane. Aliunde vero teſtimonia ego vobis protuli cum Sancti Ignatii ſuis in Conſtitutionibus, tum Generalium Congregationum Prępoſitorumque Generalium, diſerte jubentium, probabiliores, tutioreſque vos amplecti ſententias. Attendite modo illationem. Igitur ego, igitur Author Hiſtorię Probabiliſmi, Societatem Jeſu adverſus Paſchales, adverſus Arnaldos, adverſos Nicolios, nec non adverſus hoſtes omnes ipſius vindicamus: vos autem, Reverendi Patres Jeſuitę Probabiliſtę, ceu domeſtici Adverſarii, fędus cum externis hoſtibus Societatis initis, ut ejuſdem imminuatis exiſtimationem, ut ignominię ei labem inſpergatis. Neque contra me reponatis, ab obitu Generalis Gonzalez Jeſuitas eſſe ut plurimum Probabiliſtas; nam ego hoc vos perſtringam dilemmate. Quod reponitis, aut verum eſt, aut falſum. Si verum: ergo, vobis fatentibus Jeſuitę ut plurimum Divi Ignatii, Societatiſque legibus adverſantur. Si falſum: ergo vos, Reverendi Patres Probabiliſtę Ghezzi, Lecchi, Bovi, Richelmi, Sanvitalis, Gagna, aliique, communi adverſamini Jeſuitarum, Probabiliſmum damnantium, ſententię.

IV. Agedum vos ultra defatigare nolo meis dictis. Integrum vobis exhibere malo ſupplicem Generalis veſtri libellum, ut valeatis eumdem ſerio meditari. Amplius veritatem hic vobis deteget, quam mea quęlibet argumentatio.

Concina Vindiciæ.

breve ſubnexuit additamentum Pater Emmanuel Sagarra. Hic Pater, nec non celebris Pater Alpharus, doctrina, ac pietate clariſſimus, una ſimul cum Patre Generali ſupplicem hunc libellum conſcripſerunt. Traditus libellus fuit D. Fabio Olivieri, Brevium Secretario, qui Cardinalis poſtmodum fuit, ad quem hæc ſcribit Pater Generalis Gonzalez: „ Cum valetudine impediar, nec poſſim adire Sanctiſſimum Dominum Noſtrum, ejuſque ſanctiſſimis pedibus provolvi, humillime peto ab Illuſtriſſima Dominat. Veſtra, ut dignetur ſupplicem libellum adjunctum in manus Sanctitatis ſuæ deferre: quem ſi ſua Sanctitas per ſe ipſam legere non poſſit, vellem, ipſi legi ab Illuſtriſſima Domin. Veſtra; continet enim negotium magni momenti, quod opto ſecretiſſimum, & quod ſoli Sanctitati ſuæ, & Illuſtriſſimæ Domin. Veſtræ confidere poſſum; quia hujus libelli, offerendi ſuæ Sanctitati, præter me, & Amanuenſem, qui illum deſcripſit, ſoli conſcii ſunt P. Joſephus de Alpharo, & P. Emmanuel Sagarra, qui illum concinnarunt: & ideo debet manere ſecretum, quouſque ſua Sanctitas velit innoteſcere. Rogabo Deum Dominum Noſtrum pro incolumitate Illuſtriſs. Dom. Veſtræ, cujus nutibus obedientiſſimum me profiteor.

CAPUT XII.

Sancti Patriarchæ Ignatii vi legum, poſteriorum Societatis Decretorum, Præpoſitorum Generalium mandatorum, a Patre Generali Gonzalez allatorum, ſumma pateſit evidentia, Jeſuitas omnes Probabiliſticæ partis ad Societatis hoſtes accedere.

I. PAtriarchæ Sancti Ignatii textus a Generali Gonzalez laudatus atque in Conſtitutionibus deſcriptus, hujuſmodi eſt: *Sequantur in quavis facultate ſecuriorem, & magis approbatam doctrinam.* Nulla plane cavillatio caliginem offundere potis eſt huic loco, quemadmodum obſervat Pater Generalis Gonzalez. Eamdem legem poſteriora Congregationum Generalium Decreta confirmant, prout res ipſa compertum facit, idque aſſeverat Pater Generalis. Textus proferre hic nolo documento inſertos, deſcriptoſque in ſuperiori capite: Unum ex toto reſcribam Patris Generalis Mutii Viteleſchi locum, cum a Patre Gonzalez nonniſi dimidius referatur. Hæc igitur ſcribit Pater Generalis Viteleſchi pridie Nonas Januarii 1617. in Epiſtola Encyclica ad Societatem: *Nonnullorum ex Societate ſententiæ in rebus præſertim ad mores ſpectantibus plus nimis liberæ, non modo periculum eſt, ne ipſam evertant, ſed ne etiam Eccleſiæ Dei univerſæ inſignia afferant detrimenta. Omni itaque ſtudio perficiant, ut qui docent, ſcribuntve, minime hac regula, & norma in delectu ſententiarum utantur:* Tueri quis poteſt: Probabile eſt: Authore non caret: *Verum ad eas ſententias accedant, quæ tutiores, quæ graviorum, majoriſque nominis Doctorum ſuffragiis ſunt frequentatæ; quæ bonis moribus conducunt magis; quæ denique pietatem alere, & prodeſſe queant, non vaſtare, non perdere. Quoniam vero Conſtitutiones, Decreta, Regulas probe callent de B. Thoma ſequendo, de non provehendis ad cathedram, aut etiam removendis, qui ejuſmodi doctrinam parvi facere, aut cordi non habere præſeferunt, præſertim ſi novitatum amantes deprehendantur; qui nulla ratione ſunt ferendi; reliquum præterea mihi nihil eſt, niſi, ut hæc ipſa ſerventur, ut maximi res momenti, quam ardentiſſime poſſum urgere.*

II. Pater Præpoſitus Generalis Nikel, ab Alexand. Papa VII., ſicut ex teſtimonio quoque Patris Gonzalez didicimus, excitatus graviſſima hæc ſcribit verba. „ Conemur omnibus, quibus poſſumus, modis, calumniis iſtis anſam præſcindere. Meminerimus, quod ſuis omnibus præſcripſit Sanctus Pater Ignatius in Conſtitutionibus par. 4., cap. 5. §. 4. ſcilicet: ſequantur in quavis facultate ſecuriorem, & magis approbatam doctrinam.

III. Cætera Congregationum Generalium Decreta, a Patre Generali Gonzalez laudata, jamque antea deſcripta, miſſa facio, & hac urgeo ratione Reverendos Patres Jeſuitas Probabiliſtici fœderis. En, Reverendi Patres, ob oculos vobis ponunt Generales veſtri, Viteleſchi, Nikel, Gonzalez, Patriarchæ veſtri Sancti Ignatii, Societatis veſtræ pluribus in Congregationibus coactæ, leges, ſequi juben-

bentes ſententias probabiliores, ſententias ſecuriores, tutiores. *Securiorem, & magis approbatam doctrinam. Sequantur tutiores ſententias*. Cuncti ergo Jeſuitæ Probabiliſtæ legibus cum Sancti Patriarchæ Ignatii, tum Societatis ſuæ adverſantur. Nulla hinc evadendi via patet. Aut deſciſcendum eſt a legibus Societatis, aut deficiendum a Probabiliſmo: Aut Terilli, Tamburini, Caſtropalai, Sanchezii, Buſembai repudianda eſt doctrina, aut nuncium doctrinæ a Sancto Ignatio præſcriptæ remittendum. Vos fortaſſis inquietis, jubere Divum Ignatium, probabiliorem, tutioremque ſententiam Magiſtros ſequi, minime vero Confeſſarios, Conſultoreſque. Verum enimvero ludrica hæc reſponſio alibi a Patre Concina ludibrio, ac ſibilis fuit expoſita, nec graviori digna eſt confutatione. Miſſa itaque argumentatione, uti familiari hortatione malo. Hinc Sanctus Ignatius, ejuſque Succeſſores in Generalatu, Viteleſchius, Nikelius, Gonzalezius, Societatis prolatis legibus, vobis adicunt: *Doctrinas ſequiminor ſecuriores, probabiliores, tutiores*. His legibus, huic Patriarchæ, his Generalibus conſentiunt doctiores Confratres veſtri, Cardinales Bellarminus, Toletus, Pallavicinus: conſentiunt Comitoli, Bianchi, Elizaldæ, Munieſſæ, Camargi, qui ab ipſis ſtare Doctorem Eximium Suarezium pro certo affirmant. Illinc autem ecce vobis Vaſquezium, Terillum, Tamburinum, Eſcobarium, Buſembaum, Stozium, Burgaberum, Gobatum cum Caſuiſtarum frequenti turba. Utram ſequimini iſtarum partium? Eædem profecto ſecum invicem pugnant. Auſcultare mavultis Theologiæ Moralis Doctorum agmini, damnatis ſcatentium propoſitionibus, doctrinis occaſionem ruinæ ſpiritualis præbentibus, quam legibus obſequi Sancti Fundatoris Societatis, quam doctiorum Generalium veſtrorum vocibus morem gerere, ac juſſionibus, Summorumque Pontificum Alexand. VII., & Innoc. XI. mandatis? Libellorum quidem veſtrorum numerum vos poteſtis augere, ut iis vulgus moremini, ſicuti uſque adhuc præſtitiſtis: vos imperitos poteſtis fallere verborum opportunis colluſionibus veſtris: ſed veſtri Sancti Patriarchæ, Societatis veſtræ, leges perſpicuæ ſunt, invariabiles ſunt, æternæ ſunt, ac ſemper erunt. Societatis Jeſu mens haud colligitur ex libris Tamburini, Eſcobarii, Maſcharenæ, Moyæ, Baunii, Uti; neque ex Terilli, Leſſii, Molinæ ſubtilitatibus; ſed ex legibus utique veſtri Sancti Parentis Ignatii, ejuſdemque Societatis, nec non ex Generalium veſtrorum edictis. Ut mea hortatio efficacior evadat, una ſimul nonnihil adhibeamus argumentationis. Poteſtiſne vos Reverendi Patres Jeſuitę Probabiliſtę, Divi Ignatii aliquod allegare Decretum, quo ſequi jubeamini doctrinam minus probabilem, ac minus tutam? minime. Poteſtiſne vos ullum Congregationum Generalium Decretum allegare? minime. Poteſtiſne vos vel unius Generalis Præpoſiti allegare ſanctionem, epiſtolam Encyclicam, qua ad ſequendum Probabiliſmum hortemini? minime ſane. Aliunde vero teſtimonia ego vobis protuli cum Sancti Ignatii ſuis in Conſtitutionibus, tum Generalium Congregationum Præpoſitorumque Generalium, diſerte jubentium, probabiliores, tutioreſque vos amplecti ſententias. Attendite modo illationem. Igitur ego, igitur Author Hiſtoriæ Probabiliſmi, Societatem Jeſu adverſus Paſchales, adverſus Arnaldos, adverſus Nicolios, nec non adverſus hoſtes omnes ipſius vindicamus: vos autem, Reverendi Patres Jeſuitę Probabiliſtę, ceu domeſtici Adverſarii, fœdus cum externis hoſtibus Societatis initis, ut ejuſdem imminuatis exiſtimationem, ut ignominiæ ei labem inſpergatis. Neque contra me reponatis, ab obitu Generalis Gonzalez Jeſuitas eſſe ut plurimum Probabiliſtas; nam ego hoc vos perſtringam dilemmate. Quod reponitis, aut verum eſt, aut falſum. Si verum: ergo, vobis fatentibus Jeſuitę ut plurimum Divi Ignatii, Societatiſque legibus adverſantur. Si falſum: ergo vos, Reverendi Patres Probabiliſtę Ghezzi, Lecchi, Bovi, Richelmi, Sanvitalis, Gagna, aliique, communi adverſamini Jeſuitarum, Probabiliſmum damnantium, ſententię.

IV. Agedum vos ultra defatigare nolo meis dictis. Integrum vobis exhibere malo ſupplicem Generalis veſtri libellum, ut valeatis eumdem ſerio meditari. Amplius veritatem hic vobis deteget, quam mea quælibet argumentatio.

DOCUMENTUM PRIMUM.

Num. I.

Libellus ſupplex oblatus SS. D. N. CLEMENTI XI. pro incolumitate SOCIETATIS JESU ab ejus Præpoſito Generali Thyrſo Gonzalez Anno 1702.

BEATISSIME PATER.

I. IN vitæ hujus confinio conſtitutus, & in momenta ſingula mortem expectans; ut inveniar minus imparatus ad reddendam rationem Supremo Judici de Societate mihi commiſſa, debeo ad beatiſſimos pedes Sanctitatis Veſtræ humillime provolutus illud deferre, & Paternæ ac benigniſſimæ ejuſdem Providentiæ committere, quod ipſe præſtare non valeo, & quod non modo expediens, ſed ſumme etiam neceſſarium judico ad commune Societatis bonum. Cum ſanctiſſimus Prædeceſſor B. V. Innocentius XI. Pont. Max. mihi dixiſſet, me factum fuiſſe Generalem in illum finem, ut Societatem averterem a præcipitio, in quod ruere videbatur, de amplectenda ſcilicet, ut propria ejuſdem Societatis ſententia laxiore circa uſum opinionum probabilium; Dictum illud Vicarii Chriſti, tamquam ejuſdem Chriſti dictum, accepi, & omni ope adnixus ſum ne ſpem Optimi Pontificis irritam facerem, nullo per Dei gratiam labore, nullo unquam periculo ab incœptis deterritus, quouſque Deo juvante, & hac Sacra S. Petri Sede benigniſſime favente, per editionem libri mei, & copioſos fructus ad illam conſecutos, oſtenderim Orbi Chriſtiano, ſententiam illam non eſſe Societatis propriam; cujus oppoſitam & Præpoſitus Generalis, & multi alii Jeſuitæ libris editis palam docent, & magno auctoritatis, rationiſque pondere firmant.

Optavi ſemper, & opto, ac firmiſſime ſpero, Beatiſſime Pater, abſolvendam eſſe a Sanctitati Veſtræ zelo cauſam iſtam feliciter inceptam a Sanctiſſimis Prædeceſſoribus ſuis Alexand. VII. Innocent. XI. & Alex. VIII. Nec res videtur admodum ardua; cum enim ab illis Summis Pontificibus damnata jam ſint extrema rigoris, & laxitatis; id unum jam reliquum eſt, ut ejuſdem S. Sedis magiſterio, & oraculo Sanctitatis Veſtræ innoteſcat omnibus medium virtutis, in re adeo univerſaliter neceſſaria ad rectam de Chriſtianis moribus doctrinam. Quod quidem præſtabit Sanctitas Veſtra, pro eximia Sapientia ſua, quando, & quomodo magis expedire in Domino judicaverit. Cæterum inſtante jam fine peregrinationis meæ, illud vehementer deſidero, & ad conſcientiæ meæ pacem humillime rogare debeo, ut Sanctitas Veſtra pro ſingulari illa clementia ſua, & benigniſſimo Patrocinio, quo Societatem ſemper protexit, dignetur præſervare ipſam Societatem a multis, magniſque periculis, ipſi imminentibus ex hoc maxime capite.

II. Quæ officia mea, Pater Beatiſſime, quibus Societatem avertere curavi ab amplectendo Probabiliſmo, pro Religione, & ut ſententia ſua, non minus, quam ſua ſit *Scientia Media*, non uno modo ab omnibus accepta ſunt. Non defuerunt multi, inter quos eminent viri ſummæ prudentiæ, ſummique judicii, qui rem totam mature, & citra paſſionem conſiderantes judicaverint, me præſtitiſſe Societati inſigne beneficium, ita illud extollentes, ut ne referre quidem ego poſſim ſine offenſione modeſtiæ, quamvis probe ſciam, quidquid boni ſit, Deo unice tribuendum. Alii vero, ut in ſtatu naturæ lapſæ proniores ſunt in malum cogitationes hominum, & plurimi numero, & aliqui dignitate ſulgentes, & non pauci Jeſuitæ, e contra & ſibi perſuaſerunt, & aliis perſuadere curarunt, me peſſime fuiſſe meritum de Societate, & exerçuiſſe in illam quaſi tyrannidem quamdam tum præſtando, ut Congregatio Generalis XIII. per manifeſtam coactionem, ut ajunt, ederet Decretum, in quo declaratur Societatem non fuiſſe amplexam Probabiliſmum tamquam ſuum, & datur noſtris libertas docendi, & ſcribendi contra illum; tum maxime in editione mei tractatus contra notoriam renitentiam PP. Aſſiſtentium, & tot aliorum, qui inter primores Jeſuitas merito numerabantur, & in quibus omnibus videbatur repræſentari totum Societatis corpus, reſiſtens violentiæ, illatæ ſibi a ſuo capite.

III. Certiſſime ſcio, multos Jeſuitas doctos, & probos, & veros Societatis filios, a tali ſenſu tum abhorruiſſe, &

nunc

Digitized by Google

nunc abhorrere quam maxime. Cæterum illud genus hominum, de quo nunc loquebar iſtos exiſtimat eſſe adulatores, & blandiri Præpoſito Generali propter fines ſuos; communem vero Societatis ſenſum eſſe prorſus alienum a Generalis ſenſu; multoſque Jeſuitas, qui nunc coacti (ut dicunt) tacent, & gemunt, ſtatim atque Generalis diem ſuum objerit, erupturos in imbres, & tempeſtates librorum quibus ſcilicet & ſe, & Societatem ipſam egregie vindicent, & Probabiliſmum in Regnum ſuum poſtliminio reducant, atque in perpetuum afferant. Hoc ita publice prædicant, ut doctor Salmanticenſis D. Franciſcus de Perea in ſuo libro typis edito anno 1697. inſcripto *Lydius lapis recentis Antiprobabiliſmi*, variis locis dicere auſus ſit, me edidiſſe illum tractatum, diſſentiente Societate univerſa: nam, ut plurima omittam, in ipſa introductione num. 1. ait, me iniiſſe viam Jeſuitis meis aſperam, & inviſam: & ſect. 1. n. 7. & 8. tribuit toti Societati Probabiliſmum, ita ut Societas ſemper prohibuerit & aliis, & mihi quidquam ſcribere contra illum, atque in hoc, magna ſollicitudine invigilaverit: & concludit num. 8. *unde merito poſſent inclamare tam inſignes Jeſuitæ in unum vel alterum ex ſuis, quod Aurelius Prudentius lib. 1. in Symmacum in fine decantavit: Servemus leges patrias &c.* ubi ſuppponit, Probabiliſmum habere in Societate vim legis. Et ſæpe alibi acerbiſſime invehitur in me, ut ſectantem ſententiam contrariam ſenſui totius Societatis, uſque adeo, ut ſect. 38. n. 443. uſurpet verba D. Bernardi ſerm. 3. de Reſurrectione: *quæ major ſuperbia, quam ut unus homo toti Congregationi judicium ſuum præferat, tamquam ipſe ſolus habeat Spiritum Dei?* Plurima omitto. Satis autem conſtat, librum illum non tam eſſe opus Doctoris Perea, quam cujuſdam Jeſuitæ, qui jam Deo Judici rationem reddit, & a multis Jeſuitis acceptum fuiſſe cum magna exultatione, & plauſu.

IV. Ex quibus, aliiſque argumentis ſimilibus, & apud me compertis timere debeo magnum Societatis periculum poſt mortem meam. Nam ex una parte addentur ingentes animi aliquibus Jeſuitis, parum conſiderantibus rerum ſtatum, ad efferenda Probabiliſmi vexilla; & quidem eo liberius, quo & ſe magis gravatos exiſtimant, & minus vident, in quo ſit verum Societati bonum, & decus. Ex alia parte certiſſime ſunt mihi Jeſuitæ, & claro ingenio præditi, & in controverſia iſta peritiſſimi, qui mecum firmiſſime judicant, ſumme expedire ad majorem Dei gloriam, & animarum ſalutem, & ad ipſius Societatis honorem, quod Probabiliſmus in Societate non vigeat, nec prævaleat; & fieri nullatenus poterit, neque vero juſtum eſſet, quod ipſi ſileant, loquentibus aliis. Cum autem contentio iſta non ſolum ad ingenia, ſed ad animos etiam aliquorum pervaſerit, quamvis in ultima Congregatione Generali, & deinceps, ingenti Dei beneficio, aut extincta, aut ſcopita ſit; magnum eſt fundamentum timendi, ne poſt mortem meam crudelius exardeſcat in pugnas domeſticas, diſſenſiones, & rixas ſine fine, cum magna perturbatione, ſcandalo, & dedecore Societatis.

V. Nec poteſt præcipi ex æquo utrique parti ſilentium, tum quia Jeſuitæ ex inſtituto ſuo ad docendum addicti ſive in Cathedris, ſive in diſputationibus, ſive in libris præterire ſilentio non poſſunt capitalem, ut ſic dicam, & graviſſimam controverſiam iſtam, quæ fundamentum eſt totius Theologiæ Moralis, & ex qua omnino pendet ſolida reſolutio circa innumera opinabilia, cum reſpectat circa uſum licitum aut illicitum opinionum omnium; tum quia illo ipſo ſilentio aſſereretur in Societate Probabiliſmus, & quidem laxiſſimus, qui, ut multa experientia eſt notum, ſtudium fugit, & tollit, ac inutile reddit: ſiquidem eo ipſo, quod ejus patroni reperiant in aliqua Summula: *Talis, aut talis opinio eſt probabilis*, abſque alio prorſus examine, talem opinionem docent, & conſulunt, non minori ſecuritate, quam ſi de honeſtate actionis haberetur Romanæ Sedis oraculum: & inde maxime ortum habuit tanta in moribus laxitas, quanta Decretis Pontificiis damnata eſt; anima enim, quæ vires dedit omnibus opinionibus nimis laxis, eſt modus ille opinandi, alienus ab Evangelica ſimplicitate, & Sanctorum Patrum doctrinis, qui per ſummam luxuriantium ingeniorum licentiam irrepſit, & quem ſi pro recta regula fideles in praxi ſequantur, ingens eruptura ſit Chriſtianæ vitæ corruptela, ut in aurea præfa-

ſatione ad Decretum ſuum deplorabat Summ. Pont. Alex. VII. tum quia Decreto Summ. Pont. Innoc. XI. ſtatim ſubjiciendo, intimatum fuit P. Joanni Paulo Olivæ, tunc Generali, mentem Suæ Sanctitatis eſſe, ut Jeſuitæ libere ſcribant pro opinione magis probabili, & Probabiliſmum impugnent. Tandem ipſum videntur convincere rationes omnes, quæ efficaciter ſuadent neceſſitatem ſuperioris providentiæ, ne Probabiliſmus in Societate prævaleat. Quas rationes, ad pauca capita redactas, humillime ſubiicio Beatiſſimis Pedibus Sanctitatis Veſtræ.

VI. 1. Ratio ſumitur ex mente, & voluntate Sedis Apoſtolicæ, quas habemus expreſſas in Decreto S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis, & ordine Summ. Pontif. Innoc. XI. intimato P. Olivæ, tunc Generali Societatis.

Feria 4. Die 26. Junii 1680.

In Congregatione Generali S. R. & univerſalis Inquiſitionis facta relatione per P. Lauream contentorum in litteris P. Thyrſi Gonzalez Societatis Jeſu Sanctiſſimo Domino Noſtro directis, Eminentiſſimi Domini dixerunt, quod ſcribatur per Secretarium Status Nuncio Apoſtolico Hiſpaniarum, ut ſignificet P. Thyrſo, quod Sanctitas Sua, benigne acceptis, ac non ſine laude perlectis ejus litteris, mandavit, ut ipſe libere, & intrepide prædicet, doceat, & calamo defendat opinionem magis probabilem, nec non viriliter impugnet ſententiam eorum, qui aſſerunt, quod in occurſu minus probabilis opinionis cum probabiliori ſic cognita, & judicata, licitum ſit ſequi minus probabilem, eumque certum faciat quod quidquid favore opinionis magis probabilis egerit, & ſcripſerit, gratum erit Sanctitati Suæ. Injungatur P. Generalis Societatis Jeſu de ordine Sanctitatis Suæ, ut non modo permittat Patribus Societatis ſcribere pro opinione magis probabili, & impugnare ſententiam aſſerentium, quod in occurſu minus probabilis opinionis cum probabiliori ſic cognita, & judicata licitum ſit ſequi minus probabilem; verum etiam notum faciat omnibus Univerſitatibus Societatis, mentem Sanctitatis Suæ eſſe, ut quilibet, prout ſibi libuerit, libere ſcribat pro opinione magis probabili, & impugnet contrariam prædictam, eiſque jubeat, ut mandato Sanctitatis Suæ omnino ſe *ſubmittant*.

Ex quibus, & ex plurimis litteris, quas proferre poſſum, nomine Suæ Sanctitatis ad me datis ab Eminentiſſimis Cardinalibus Cibo, & M. llini, duo manifeſte conſtant: Alterum, me vehementiſſime, & frequentiſſimè impulſum fuiſſe a Sede Apoſtolica ad impugnandum intrepide Probabiliſmum; quamvis ego, qui per Dei gratiam neminem timebam præter Deum ipſum, expectaverim quantum potui, ut Pontificia mandata exequeter, ſalvo Societatis honore. Alterum, mentem expreſſam Sedis Apoſtolicæ eſſe, quod Jeſuitæ impugnare poſſint libere, & intrepide, quin propter hujuſmodi impugnationem aliquid ſibi timere debeant a Superioribus Societatis: quæ impunitas nunquam habebitur, ſi Societas amplectatur Probabiliſmum, ut ſententiam ejuſdem Societatis propriam. Hoc decretum omnino latuit uſque ad annum 1693. in quo detectum eſt ſingulari Dei Providentia, occaſione reſiſtentiæ, quæ fiebat editioni libri mei: & niſi adhibeatur efficax remedium, vi cujus tota Societas eidem Decreto, ut par eſt, reverenter obediat, dicetur, illud ipſum Decretum a me importune extortum; ſicut dicitur extortus a me conſenſus Sedis Apoſtolicæ de editione libri mei, poſt tot contradictiones Jeſuitarum; & ſicut dicitur extortum violenter Decretum Congregationis Generalis Noſtræ XIII. de ſimili impunitate; cum ſancitum fuerit de expreſſa voluntate Summ. Pont. Innoc. XI. qui me certum fecit, ſe aliquid amplius contra Probabiliſmum deſiderare a Jeſuitis, quam præſcriptum ſit per illud Decretum.

VII. Et quidem juſtiſſimum erat illud Summi Pontificis deſiderium: cum enim Societas ex inſtituto ſuo ſit ſpecialiſſime devincta Sedi Apoſtolicæ; & ad defendendam Auctoritatem Summi Pontificis, ejuſque nutibus obſequendum primario deſtinata a Deo, & a S. Ignatio Patre Noſtro; ex primaria, & indiſpenſabili profeſſione ſua adſtringitur ad illos ſenſus, in quos magis inclinat Apoſtolica Sedes; certum autem eſt, quod Sedes Apoſtolica ſemper inclinaverit magis in Sententiam Probabiliſmo contrariam.

VIII. 2. Ratio. Negare nemo poteſt, cum ſit evidentia facti, quin Montaltius,

VVen-

VVendrochius, plurimi Janſeniſtæ, & inimici Societatis enixiſſime procuraverint illam infamare, ex hoc maxime capite, quod Probabiliſmum amplecteretur ut ſuum. Et cum Deus pro infinita Miſericordia ſua, me dignatus ſit aſſumere in qualecumque inſtrumentum ad liberandam Societatem a tanta infamia; quam indecorum, & quam periculoſum eſſet ipſi Societati, non agnoſcere adeo ſingularem, & adeo beneficam Dei Providentiam, & in illud ipſum probrum, & dedecus ſponte ruere? Imminentem reliquiis Probabiliſmi ruinam ſatis oſtendunt, tum decreta Pontificia magnam Probabiliſmi partem damnantia, ejuſque fundamenta convellentia; tum perpetua, & in dies major inclinatio Sedis Apoſtolicæ ad abſolvendum ſaluberrimum opus, ab ipſa feliciter inceptum; tum ſenſus, & praxis Eminentiſs. Cardinalium, & Tribunalium Romanorum; tum quod Romæ, & in facie Sedis Apoſtolicæ nemo publice defendere audeat Probabiliſmi doctrinam; tum Epiſcoporum plurium conſpiratio; tum Cleri Gallicani declaratio; tum ex omnibus Eccleſiæ Ordinibus inſignium Theologorum conſenſus. Et, ut alios omittam, certo ſcio, aliquos eſſe in Societate bene paratos ad oſtendendum efficaciter, præcipua Probabiliſmi capita jam eſſe in eo ſtatu, ut ſint proxime damnabilia ab Apoſtolica Sede, ſi ipſi ita expedire videatur. Si autem illi, qui Societatem voluerunt infamare, tantam illi moleſtiam intulerunt, ex aliquibus Probabiliſmi ramis jam damnatis; quid fiet quando præcipua capita damnabuntur? Quis Jeſuita ſine intimo dolore, & lacrymis tantam Societatis labem ſuſtineret? Suſtineret autem, ſi ſententia illa in Societate prævaleret, aut nimis communis eſſet. E contra vero erit Societati valde decorum, ſi Orbis agnoſcat, quantum in ipſa Probabiliſmus decreverit, antequam ejus falſitas infallibili Sedis Apoſtolicæ judicio definiatur.

IX. 3. Ratio. Quamvis a peccato excuſentur illi Auctores, qui bona fide judicarunt, Probabiliſtarum ſententiam eſſe veram, ideoque inculpabiliter illam ſecuti ſunt ſpeculative; nemo tamen, niſi probetur, cenſendus eſt adhibuiſſe talem doctrinam in praxi ad dirigendam conſcientiam ſuam, aut alienam, quia ſemper, & ubique fuit, eſt & erit formaliſſimum peccatum, talem doctrinam prædicare. Ratio eſt facilis, quia falſitas ſententiæ reflexæ Probabiliſmi in eo conſiſtit, quod dicat, non dari peccatum, ubi datur peccatum; quod dicat fieri bona fide id, quod re ipſa non fit bona fide; quod dicat, fieri cum bona conſcientia id, quod re ipſa fit vel ſine ulla conſcientia bona, vel contra propriam conſcientiam. Unde totum pondus Auctoritatis, & Rationis, quod efficaciſſime probat, ſententiam illam eſſe falſam, pariter probat, non excuſari a peccato formali eum, qui operatur juxta illam; cum in hoc conſiſtat ejus falſitas. Eſt ergo ſententia illa occaſio innumerabilium peccatorum, & damnationis animarum. Omnes enim qui tali ſententia confiſi operantur in materia capaci malitiæ gravis, graviter peccant; & leviter in materia levi. Sic aliqui ante decretum Innoc. XI. inculpate docuerunt, ſpeculative prudenter operari eum, qui operaretur confiſus probabilitate tenui; & tamen certum eſt, ſic operantem nunquam potuiſſe operari prudenter; in hoc enim conſiſtit falſitas illius ſententiæ damnatæ in Propoſitione tertia, quod diceret, non dari imprudentiam, & peccatum, ubi dabatur, & ſemper dabitur imprudentia, & peccatum; quod diceret, dari excuſationem a peccato, ubi peccatum erat inexcuſabile. Hoc ſuppoſito, & ſuppoſita exiſtimatione, quam fideles communiter habent de probitate & doctrina Societatis, ejuſque zelo in proximorum ſalute procuranda; ſi illi ipſi fideles videant ſententiam Probabiliſmi defendi a Jeſuitis pro religione, pro aris, & focis, aut in illam nimium inclinare; judicabunt utique plurimi, Religionem adeo ſanctam, & doctam non amplexuram tanto conatu doctrinam Moralem, niſi iſta eſſet certiſſime tuta; unde operabuntur in praxi juxta illam, & peccabunt ſine excuſatione in innumeris, in quibus confiſi auctoritate Jeſuitarum putabunt, ſe habere excuſationem. Inde fit liquido, magnum fore dedecus, magnum piaculum, ſi Societas daret fidelibus fundamentum ad judicandum, ipſam ita amplecti illam ſententiam; quia eſſet fideles ipſos allicere ad practicandam talem ſententiam; hoc autem eſſet, illos conducere ad peccata innumerabilia, niſi certum eſſet

illam

illam Probabiliſmi ſententiam eſſe veram; quæ certitudo longe abeſt; imo jam certum eſt, vel illam ſententiam eſſe falſam, vel ſaltem non eſſe certo probabilem, & eſſe proxime damnabilem, ad minus ut periculoſam in praxi.

X. 4. Ratio. Quamvis ſententiam Probabiliſtarum ſpeculative ſecuti ſint multi bona fide, quando res erat in alio ſtatu; at in ſtatu præſenti jam non erit facile, quod alii Jeſuitæ illam inculpate, & bona fide teneant, & doceant. Antea non affulgebat illa lux, quæ poſtea orta eſt ex Pontificiis Decretis; neque deventum erat ad fundum graviſſimæ controverſiæ; neque patefactæ ingentes æquivocationes, fallaciæ, & falſæ ſuppoſitiones, quibus nititur Probabiliſmus; neque collecta tot, tanta, & tam manifeſta abſurda; neque occurrerant Auctoribus Probabiliſtis efficaciſſima argumenta auctoritatis, & rationis, quæ poſtea aliis occurrerunt. Quæ omnia nunc ſunt examinanda, niſi quis velit ignorantia voluntaria laborare, & veritatis curam omittere: quod, & in Magiſtris præſertim, & in omnibus non contingeret ſine graviſſimo peccato, quod eſſet cauſa plurium aliorum peccatorum, & ſuorum, & alienorum. Et quando ex omnibus Eccleſiæ gradibus, & ordinibus, tam multi ſunt, qui animadvertentes periculum, receptui canunt; *Fœda nimis res eſſet, quod Jeſuitæ ſeſe, & alios in præcipitium urgerent:* Præſertim cum ab ipſo Societatis ortu, & in corpore Inſtituti ſui, a S. Sede toties confirmati præſcriptum voluerit Noſter Optimus Pater S. Ignatius, qui par. 4. Conſtitutionum cap. 5. §. 4. ita præſcribit: *Sequantur in quavis facultate ſecuriorem, & magis approbatam doctrinam.* Unde S. Pater non ſuſtineret minus ſecuram, & ſimul minus approbatam: Cum poſtea P. Mutius Viteleſchi Præpoſitus Generalis toti Societati per litteras circulares præſcripſerit: *Omni itaque ſtudio perficiant, ut qui docent, ſcribuntque, minime hac regula, ac norma in delectu ſententiarum utantur: TUERI QUIS POTEST: PROBABILE EST: AUCTORE NON CARET: verum ad eas ſententias accedant, quæ tutiores, quæ graviorum, majoriſque nominis Doctorum ſuffragiis ſunt frequentatæ, quæ bonis moribus conducunt magis, quæ denique pietatem alere, & prodeſſe queunt, non vaſtare, non perdere.* Idem præſcripſit P. Goſvvinus Nikel, ut ſatisfaceret ardentibus votis Summ. Pont. Alex. VII. per hæc verba graviſſima: *Conemur omnibus quibus poſſumus modis, calumniis iſtis anſam præſcindere: Meminerimus, quod ſuis omnibus præſcripſit S. Pater Noſter in Conſtitutionibus* p. 4. c. 5. §. 4. *ſcilicet: SEQUANTUR IN QUAVIS FACULTATE SECURIOREM, ET MAGIS APPROBATAM DOCTRINAM. Et cum ſcopus doctrinæ omnis in Societate, uti monet idem S. P. N. initio cap. 5. par. 4. ſit ſuis, & proximorum animis, Dei favore aſpirante, prodeſſe, ſectemur in praxi ſententias utiles potius, quam jucundas; & in dirigendis conſcientiis, tam voce, quam ſcripto ſtudeamus prodeſſe proximo magis, quam placere.*

XI. Idem ſtatuit ſæpe tota Societas in Congregationibus Generalibus V. XI. & XII. Decretum Congregationis quintæ allegatur, & confirmatur a Congregatione XI. Dec. 22. quod ſic habet: *Complurium Provinciarum poſtulatio fuit, ut cum Societas ita nunc paſſim male audiat, & traducatur, quaſi nimis laxas in Moralibus opiniones doceat, & in praxi ſequatur, aliquod adhibeatur efficax tanto malo remedium. Congregatio, amplexa judicium Deputatorum pro ſtudiis, ſtatuit: Primo monendos ſerio Profeſſores Theologiæ Moralis, caute omnino ut doceant, neque quod aliquid probabile reputent, illico ſibi licere arbitrentur, illud in publicum ſcripto, verboque protrudere; ſed ad id attendant maxime, quod monet Congregatio V. Dec. 41. an communi Scholarum ſenſui congruat; ac præterea ſcandalum, vel offenſionem aliquam uſpiam parere poſſit. Superiores autem ſi quos novitatum amantes, aut parum cautos in docendo compererint, a munere docendi ſubmoveant, ſpeque omni illius privent, pœnis etiam aliis; ſi forte opus iis eſſe ſenſerint, coerceant.*

Decretum 28. Congregationis XII. idem præſcribens: *Quamvis contra novitatem, laxitatemque opinionum præſertim in rebus Moralibus abunde proviſum ſit, & Præpoſitorum Generalium ordinationibus, & Superiorum Congregationum Decretis, & Conſtitutionibus ipſis, quibus jubemur ſequi in quavis facultate ſecuriorem, magiſque approbatam doctrinam, in re tamen*

tanti

tanti momenti, poſtulante pro ſuo zelo Patre Noſtro, omniumque conſpirantibus votis, nihil prætermittendum rata Congregatio præſens, Decretorum, quibus novæ illæ laxioreſque opiniones doceri typiſque mandari prohibetur, vim totam renovat, roborat, & confirmat. Commendat præterea in primis Patri Noſtro, ut non tantum tranſgreſſores loco, & Cathedra amoveat, aliiſve gravibus, pro modo culpæ, pœnis ſubjiciat; ſed ipſos etiam Superiores, ſi quando in cohibenda liberiori illa opinandi licentia negligentiores fuerint, ſevere puniat.

XII. Denique (quod nobis præcipue obſervandum eſt) cum Sedes Apoſtolica præſertim per Summos Pontifices Alex. VII. & Innoc. XI. ſatis aperte inclinationem, & voluntatem ſuam ſignificaverit: licet prædictum Innocentii XI. mandatum, & S. Inquiſitionis Decretum ad ejuſdem Societatis notitiam non pervenerit.

Hæc omnia, & alia omittenda brevitatis cauſa, me relinquunt ſine libertate, Beatiſſime Pater, & omnino cogunt, ut humillime petam a S. V. auxilium Paternæ Providentiæ ſuæ: quod videtur futurum eſſe efficaciſſimum, (pro comperta mihi Noſtrorum reverentia erga S. Sedem, & ſingulari gratiſſimæ, & humillimæ benevolentiæ affectu erga SS. Perſonam B. V.) ſi Sanctitas Veſtra dignetur ſerio commendare Superioribus Societatis, ut diligentiſſime invigilent, & provideant quieti, paci, & honori Societatis, tamquam rem S. V. gratiſſimam facturis: ut in ipſa promoveant ſtudium impigrum Doctrinæ Moralis, & ſignanter hujus capitalis controverſiæ: ut ſumma ſollicitudine caveant, ne Jeſuitæ in lectionibus, Theſibus, aut libris aliquid doceant, aut defendant contra illos ſenſus, in quos Sedes Apoſtolica inclinare viſa eſt; contra mentem S. Ignatii P. N. in Conſtitutionibus expreſſam; contra ordinationes, & Decreta Præpoſitorum, & Congregationum Generalium; quod ſit alienum ab Evangelica ſimplicitate, & SS. Patrum doctrina, ex quo poſſit erumpere Chriſtianæ vitæ corruptela, & pernicies animarum gradientium per viam laram, quæ ducit ad perditionem; & quod in Societatem ipſam refundere poſſit, & culpam, & pœnam, & dedecus, ipſamque reddere minus utilem ad ſuum finem, qui unice eſt inſervire Deo, & Sanctæ ejus Eccleſiæ, & quærere toto corde cum Divina gratia, ſalutem, & perfectionem propriam, & cum eadem impenſe in ſalutem, & perfectionem proximorum incumbere.

XIII. Teſtor, Beatiſſime Pater, Chriſtum Jeſum Dominum Noſtrum, & Societatis Ducem, qui ſcrutatur renes, & corda, & in cujus tremendo judicio accuſari nollem, ut ſervus infidelis, & negligens; teſtor, inquam, me ad hoc ardenter deſiderandum, & humillime petendum unice moveri ex finibus prædictis; ut conſulam, quantum poſſum, conſcientiæ meæ, & Societati mihi a Domino commiſſæ, ac ingentibus ejus obligationibus, & propter majorem Dei gloriam, & propter reverentiam erga Apoſtolicam Sedem, & propter ſalutem æternam proximorum, ipſorumque Jeſuitarum, & propter ipſius Societatis pacem, quietem, & honorem. Spero autem firmiſſime, S. V. gratum eſſe futurum hoc deſiderium meum; & Beatitudinem Veſtram pro Paſtorali cura totius Dominici Gregis, & pro ſingulari Benignitate Sua erga minimam hanc Societatem, electuram illud medium, quod Sanctitas Veſtra judicaverit magis efficax, & expediens, ut Societas a prædictis periculis liberetur, & juxta Inſtitutum ſuum utiliter in vinea Domini laborare pergat. Deus Opt. Max. SS. Perſonam B. V. pro ardentiſſimis votis meis diutiſſime felicitet, & incolumem ſervet in culmine Apoſtolatus, & tandem ad Cæli culmen feliciſſime perducat. Amen.

Addictio facta fuit huic libello ſupplici, & præſentata Suæ Sanctitati a P. Emmanuele Sagarra 4. Septembris in audientia, quam habuit a Sua Beatitudine.

Rem gratiſſimam Sanctitati Suæ facturos Superiores Societatis, ſi præſtent, ut Jeſuitæ abſtineant a docenda, & defendenda ſententia, quæ aſſerit, licitum eſſe uſum opinionis minus probabilis, & minus tutæ: cum Sanctitati Suæ compertum ſit, ita omnino expedire ad incolumitatem, & honorem Societatis.

Illu-

Illuſtriſs. D. D. Fabio Olivieri Secretario Brevium SS. D. N. Clementis XI.

Illustriss. Domine,

CUM valetudine impediar, ne poſſim adire Sanctiſſimum Dominum Noſtrum, ejuſque Sanctiſſimis Pedibus provolvi, humillime peto ab Illuſtriſſima Domin. Veſtra, ut dignetur ſupplicem libellum adjunctum in manus Sanctitatis Suæ deferre; quem ſi Sua Sanctitas per ſe ipſam legere non poſſit, vellem ipſi legi ab Illuſtriſſima Domin. Veſtra; continet enim negotium magni momenti, quod opto ſecretiſſimum, & quod ſoli Sanctitati Suæ, & Illuſtriſſimæ Domin. Veſtræ confidere poſſum, quia hujus libelli offerendi Suæ Sanctitati præter me, & amanuenſem, qui illum deſcripſit, ſoli conſcii ſunt P. Joſephus de Alpharo, & P. Emmanuel Sagarra, qui illum concinnarunt; & ideo debet manere ſecretum, quouſque Sua Sanctitas velit innoteſcere. Rogabo Deum Dominum Noſtrum pro incolumitate Illuſtriſſimæ Domin. Veſtræ, cujus nutibus obedientiſſimum me profiteor. In hac domo S. Andreæ 21. Auguſti 1702.

Illuſtriſs. Dom. Veſtræ.

Tradita fuit hæc pagina cum incluſo ſupplici libello D. Olivieri præfato 23. Auguſti, hora 11. juxta morem Italiæ, qui reſpondit, ſe id executurum, quod fuit ipſe rogatus.

Hum. & Dev. Servus
Thyrſus Gonzalez.

CAPUT XIII.

DOCUMENTUM ALTERUM

Cardinalis de Aguirre, ad Hiſpaniarum Regem ſcribentis pro Generali Gonzalez contra Jeſuitas Probabiliſtas.

Num. II.

D O M I N E.

PAter Generalis Societatis, vir utique integerrimus, doctiſſimuſque, ſicuti Majeſtati veſtræ perſpicuum eſt, quique miſſionibus ſuis, jugibuſque concionibus tam uberes edidit fructus in iſtis Regnis, durius habetur a ſuis. Quamobrem rogavit me, ut aliquid Majeſtati veſtræ perſcriberem in ejus commendationem, ac defenſionem, & quamvis multa facere verba poſſem, tum quod id exigat argumentum, tum quod ego illud apprime calleam; in pauca tamen rem omnem conferam, ne Majeſtati veſtræ moleſtiæ ſim. Horum omnium in cauſa eſt immodica plurimorum recentium Auctorum, maxime vero eorumdem Jeſuitarum ſuorum licentia typis edendi, docendi, exequendique reipſa laxiores, ac liberiores opiniones pro animarum regimine; ex quibus Alexander VII. 45. damnavit; Innocen. autem XI. 65; ac tandem Alexan. VIII. duas alias, unam quidem ut hæreticam, alteram vero ut erroneam, corrumpendiſque bonis moribus aptam. Ut gravi occurreret huic malo, typicis Germaniæ prælis in lucem ipſe librum emiſit, ad cujus editionem a prælaudato S. Pontifice Innocen. XI. impulſus fuit multoties: cumque per maximas illius ſubditi ei gratias habere propterea deberent, tantoque ab errore in ſemitam rectam ſe revocare, in eumdem arma ſumpſerunt tam Pariſiis, ubi ægre ferunt, virum Hiſpanum Societatis Generalem eſſe, quam in hac Aula, ut Pontifex librum ſupprimat cum ingenti Authoris dedecore, & pene univerſali mærore Cardinalium Præſulum, graviumque ex cunctis Ordinibus Religioſorum, quin & nonnullorum e Societate ſingulari zelo, atque doctrina præſtantium, qui noverunt, pro ſuo Generali rationem pugnare, ſed ipſi minime audent pugnare pro illo,

illo, ne longe majori infenſorum multitudine Jeſuitarum affligantur, atque opprimantur. Inſectatores progreſſi ſunt, & progrediuntur eo uſque audaciæ, ut de cogenda Congregatione Generali cogitent deiiciendi ergo a gubernaculis Generalem, iis tamen omnibus, qui non ſunt ab iſtorum partibus, conſentientibus, a Sancto Franciſco Borgia Generalem digniorem hoc Societati neminem præfuiſſe. Dictitant nonnulli ex ipſis, Janſenianum eumdem eſſe, graviſſimam hanc injuriam inferentes ipſi utpote cui nihil ſit commune cum damnatis Janſenii propoſitionibus, imo ſuis in libris acerrime illas oppugnaverit. Verum nemo eruditus rationem habet hujus calumniæ, cum notum, ac pervulgatum ſit apud omnes, Jeſuitarum quamplures probroſum hoc indidiſſe Janſeniani nomen Sanctiſſimo Pontifici Innocentio XI. qui proſcripſit tot laxas eorumdem propoſitiones; eamdemque etiamnum inurere notam Præſulibus Doctoribus, Scriptoribuſque, doctrina præditis, ac pietate (qui ſunt innumeri) quotquot ſcripſerunt, ſcribuntque contra laxiorem ipſorum Ethicem, ut iſtorum penes imperitum vulgus elevent authoritatem, cum apud Eruditos id aſſequi minime valeant. Sed præter hæc omnia illud mirabilius eſt, quoſdam ex præcipuis adverſariis ejus in eadem Societate Hiſpanos eſſe, & ex ipſa quidem ejus Caſtellana Provincia, illinc adverſus illum ſcribentes; cæteriſque præcellere Patrem Canedam Provinciæ ejuſdem Procuratorem, hic commorantem; fidem namque ſuperare videtur ipſius furor in eumdem ſuum Generalem, cui divinis, humaniſque de cauſſis ſtudia debebat generis longe diverſi. Alii autem ac præcipue Commiſſarii Galli, quos hic detinet Pater La-Croiſe, a Confeſſionibus Regis Galliarum, Cælum, terramque miſcent, ut in præceps miſerum agant Generalem, ejuſque apud Pontificem minuant exiſtimationem, ſuadeantque Sanctitati ſuæ, ne viris ex cunctis Ordinibus, qui illius cauſam tuentur, aures præbeat. Ad abſterrendum ab ejuſmodi pervicacia Patrem Canedam, vel ſaltem ad prohibendum quominus negotium faceſſere pergat ſuo Generali, hoc remedii ſolummodo occurrit mihi, quod videlicet Oratori ſuo diſtricte præcipiat Majeſtas veſtra, ut honeſto aliquo nomine curet, ut hinc abſcedat in ſolitarium quempiam locum, ubi nemini nocere queat: Cujus quidem rei deſiderio etſi flagret Pater Generalis, eam tamen perficiendo ſolus eſt impar ob thecnas & molitiones Patris Canedæ, ut illi ſit impedimento, nec non aliorum conſpirantium Jeſuitarum, maxime vero Patris Segneri Concionatoris ad Pontificem, quem in ſingula momenta exſtimulat contra ſuum Generalem; licet ipſe talis vir ſit, qui nunquam in vita ſua ſive Philoſophiam, ſive Theologiam prælegerit, quemadmodum eſſet neceſſarium ad conſequendum intellectu argumentum tam arduum, ac tam ſublime, cujuſmodi eſt nuper indicatum. Ingenue, ac minime cupide ſententiam meam aperui Majeſtati veſtræ, cujus Catholicam Regiam Perſonam incolumem Deus ſervet, ac prorſus fortunet populo Chriſtifideli.

Romæ IV. Kalendas Maii 1693.

Domine.

Cardinalis de Aguirre.

Admonetur Benevolus Lector, eum, qui Documenta exſcripſit, hiſpanice ſcripta, haud eſſe hujus idiomatis peritiſſimum. Quare ſi quod leve irrepſiſſet erratum, illius venia exoratur. Quoad narrationis veritatem metuendum non eſt, ne omnia accurata non ſint; ſed ad interpretationem quod attinet, vel alicujus verbi haud ſatis aptam expreſſionem, forte aliquis potuiſſet error obrepere; qui tamen, ut dixi, nullo plane modo Hiſtoriæ officit veritati.

§. UNICUS.

Nonnullæ breves animadverſiones in documentum ejuſmodi.

I. Aſſervatur pariter Monumentum hoc alterum in D. Cardinalis Fabroni Bibliotheca, Piſtorii exſtructa, ubi unicuique integrum eſt, autographum recognoſcere, cum publico Civium illorum ea pateat commodo. Certa eſt igitur hujus epiſtolæ fides. Quod ea continetur, nequit non eſſe majoris momenti, habita ratione ſive illius, qui eam ſcripſit, Viri, ſive Regis,

gis, ad quem fuit ſcripta. Sapientia, probitas, fama Cardinalis de Aguirre, qui inſignis Ordinis Benedictini ſplendor extitit, & ornamentum, omnem ſuperant obtrectationem invidiæ. Quod inſcripta fuerit Regi hæc epiſtola quæ in Miniſtrorum tradenda erat proinde manus, ſubdendaque ſeveriori cenſoriæ virgulæ; adjuncta qvædam hęc ſunt, veritati narratarum rerum auctoritatem conciliantia. Cæterarum nexus rerum, quę narratę ſunt, & narrabuntur, majorem adiicit iis evidentiam omnibus quę ſcripto tradit incomparabilis Cardinalis. Quod Pater Paulus Segneri unus fuerit ex Ducibus, Generali ſuo Gonzalez magis infenſis, indubia res eſt, a Cardinali Noriſio confirmata, *tribuſque epiſtolis*, ab eodem Patre Segneri adverſus ipſum Superiorem ſuum lucubratis, refertis & falſis doctrinis, & dicendi modis nimium Generali proprio injurioſis, Pontificiis Cenſoribus Operis Theologici Gonzalez, ipſique Pontifici Innoc. XI.

II. Evangelica meditatio quam vos inſtituere debetis, o Rev. Patres Probabiliſtę, hęc eſt. Si potis fuit Probabiliſmus pii viri veſtri Patris Pauli Segneri menti caliginem offundere, ejuſque animum in ſuummet Generalem concitare; ita ut primus fieret eorum Dux, qui hunc inſignem Generalem veſtrum geſtiebant a ſua dignitate detrudere; coniicite hinc, qua polleat efficacitate, qua, ut ita dicam, magica vi Probabiliſmus ad humanos animos in mortuas leges commovendos, ſi Subditos in viventes legiſlatores, in eorumdem Superiores maximi habendos, maximeque colendos inflammet. Viri pietate maxime inſignes, Miſſionarii ſtudio maxime flagrantes, ac tam clari nominis, bellum indicunt bona fide ſupremæ eorumdemmet Generalis auctoritati. Proh quale humilitatis argumentum, Reverendi Patres, demiſſionis chriſtiani timoris! Quid non pariet mali Probabiliſmus in iis qui non ſunt totidem Pauli Segneri? Hic, teſtimonium perhibente Cardinali de Aguirre, nec Philoſophicas unquam nec Theologicas Prælectiones habuerat. Nihilo tamen minus contra unum ex doctiſſimis Societatis Theologis auſus fuit ſcribere; quodque pluris refert, contra ipſum ſuum Generalem. Probabiliſmus invincibili ſua ignorantia munitus, vel ſua Pyrrhonica audacia, nullus veretur cum quovis congredi; quoniam ſi majorem oſtentaverit probabilitatem Adverſarius, ſatis habet, ſibi minorem non deeſſe.

III. Alterum Meditationis graviſſimæ caput eſt ſumma quæ dominatur in vobis Probabiliſtis, facilitas illos omnes traducendi ut Janſenianos, qui laxis obſiſtunt doctrinis veſtris. Perpendite, Reverendi Patres Antigonzalianæ Sectæ, deceſſores veſtros Probabiliſtas criminari velut Janſenianum ſuummet Generalem Gonzalez, etiamſi tam ſtrenue refellerit errores Janſenii. Recolite, o Religioſæ mentes, hanc Janſeniſmi labem Confratres veſtros Probabiliſtas inuſſiſſe (noſtis Cui?) ſcilicet venerabili Dei famulo, a Sanctiſſimo Innoc. XI. quemadmodum certiores vos facit Cardinalis de Aguirre teſtis omni exceptione major. Atram hanc notam Elizalde quoque oppoſuerunt, Camargo, totque aliis Antiprobabiliſtis ſapientibus Jeſuitis. Pro unico meditationis fructu cohibendum in vobis decernite peſſimum hunc animi impetum, familiarem adeo Probabiliſtis. Vos metipſos interceſſioni Venerabilis Innocentii XI. commendate, ut opere tam Sanctum propoſitum perficiatis; ſimulque illum exorate, ut veſtris Confratribus veniam impetret admiſſi criminis in eo traducendo velut Janſeniſta. Brevis ſpiritualis lectionis loco vobis hic trado epiſtolam pii, ac docti Cardinalis de Aguirre.

CAPUT XIV.

DOCUMENTUM TERTIUM.

Hiſpaniarum Regis mandatum ad D. Ducem Medinam-Cæli de Societatis Generali, Patre Thyrſo Gonzalez.

Num. III.

Documenti exemplum, in Bibliotheca Sanctæ Sabinæ Romæ inter Cardinalis Ferrari M. SS. extantis.

CUM certior factus ſim de gravibus, ingentibuſque moleſtiis, quibus Societatis Jeſu Generalis afficitur ab Aſſiſtentibus ſui Ordinis, nec Hiſpano quidem excepto, propterea quod in lucem edere librum velit, quamplures refellentem opiniones, conſcientiæ pernicioſas; cumque pro comperto habeam, eo tendere

dere illorum ſtudia, ut ipſum a ſua dignitate ſubmoveant, Vicarium Generalem nominando: cujus rei cauſa in hoc ſollicite incumbunt, ut, qui eligentur, Procuratores Provinciarum ſint animi ab illo averſi, ut ſuffragia ferant pro cogenda Generali Congregatione, qua una voti compotes fieri poſſunt: quod ſubinde in maximum Generalis dedecus redundaret, in gentis ignominiam, in aliorum Religioſorum Ordinum exemplum gravium malorum; viſum eſt mihi, Duci Medinæ-Cæli committere, ut taliter ſe habeat, ut in neutram propendeat partem, nec officioſe quempiam conveniat, nec meam interponat authoritatem in iis, quæ controverſum ſpectant librum, in omnibus ſeſe confórmans ad Sanctitatis ſuæ mentem; ſed ut tuendus, defendenduſque ſuſcipiatur meo nomine Societatis Generalis, utpote Hiſpanus, ac ſubditus tam benemeritus, dignuſque meo patrocinio; utque Pro-regibus Neapolis, Siciliæ, ac Sardiniæ, Mediolani Præfecto, aliiſque in meis Ditionibus Adminiſtris commendetur, ut ſic agant, ut, qui Romam pergent, Provinciarum Procuratores, eo ſe conferant, de Regia mea voluntate certiores facti, cum relata declaratione formulæ ac rationis, qua gerere ſe debebunt in Generalis ſui defenſionem. Promulgabuntur in Conſilio hæ litteræ, atque pro earum executione ita fiet.

Matriti Poſtridie Nonas Julii 1693.

CAPUT XV.

Documentum Quartum.

Auguſtiſſimi Imperatoris Leopoldi Epiſtola ad R. R. P. P. Adſiſtentes Societatis Jeſu, quibus ſuadet, ut proprio conſentientes Generali ſint, utque diſſidii radices evellant, quo, magno animi ſui mœrore, flagrat Societas.

Num. IV.

EPISTOLA

Cæſareæ Majeſtatis ad PP. Aſſiſtentes Societatis Jeſu.

NOſtra in Ordinem Veſtrum ſingularis propenſio, non uno ſpecimine probata, ita vobis nota, compertaque eſſe debet, ut de illa nullo modo dubitare poſſitis. Nos certe non ignorantes, Societatem Jeſu ſub protectione Sereniſſimæ domus Noſtræ natam, ſub eadem adoleviſſe, propriaque, & Prædeceſſorum noſtrorum experientia abunde edocti, novo per hanc Familiam ſubſidio Militantem Eccleſiam ita roboratam, ut paſſim de hæreſibus, aliiſque mortalium vitiis glorioſos reportaverit triumphos; eorumdem Prędeceſſorum Noſtrorum veſtigia, etiam nonnunquam ultimis voluntatibus firmata ſecuti, nullam emolumentorum, atque incrementorum hujus, S. Eccleſiæ Dei uſque adeo utilis, & nobis dilectæ, Religionis promovendorum occaſionem elabi permiſimus, quin eam cum gaudio amplecteremur, hujus Religionis incrementum, Orthodoxam ſimul fidem, ac pios mores creſcere, arbitrati. Ex hoc noſtro erga vos cordiali affectu æſtimare facile poteſtis, quantum nobis attulerit animi dolorem enata nuper caput inter, & membra apud vos controverſia, quæ in publicum delata cordi quidem noſtro peracerbum vulnus inflixit, huic vero ſacræ Familiæ adeo ſiniſtram peperit famam, ut ea debilioribus amicis aut ſuſtulerit, aut imminuerit conceptam erga hunc Ordinem æſtimationem, ſolidioribus attulerit juſtam dolendi anſam, hoſtibus autem, præcipue hæterodoxis, auxerit cavillandi materiam, tanto animarum damno, quanto eorumdem

emolumento ſemper fuit hujus Religionis condigna æſtimatio, atque hominum de ejus non ſolum doctrina, & moribus, verum etiam ipſo Societatis nomine ſignificata animorum conſenſu concepta ad eumdem confidentia. Nolumus equidem intima hujus diſſidii abdita, quæ ad aliud ſpectant forum, perſcrutari, quamvis nunquam cenſuerimus, hujus diſſenſus materiam tantum in Orbe Chriſtiano ſtrepitum meruiſſe. Credimus nihilominus, nos nec noſtro erga hunc Ordinem affectui, nec ejuſdem erga nos meritis, nec (quod caput eſt) ſingulari ad propagandam Orthodoxam fidem, cujus Religio veſtra in Imperio Romano, Regnis, & Provinciis noſtris præcipua conſervatrix, atque promotrix eſt, zelo ſatisfeciſſe, ſi malo huic non Ordini veſtro ſolum, ſed & Catholicæ fidei, cujus nos præcipua angit ſollicitudo, admodum præjudicioſo, pro poſſe occurrere non adlaboremus. Hinc eſt, quod vos, quos Cæſarea in primis complectimur gratia, hiſce benigne requiſitos, atque adhortatos cupimus, ut, nulla interpoſita mora, priuſquam ſiniſtræ de Ordine veſtro hac occaſione enatæ perſuaſiones profundiores radices agant, eas in ipſa origine, ſepoſito omni affectu, extirpare ſtudeatis. Et, quod unice vobis neceſſarium arbitramur, rem totam unanimi cum Capite veſtro conſenſu, quantum quidem, vulnerata jam non nihil cauſa, fieri poteſt, intra domeſticos parietes ſine Forenſi, aut alio in publicum emanaturo ſtrepitu, ne noviſſima fiant pejora prioribus, componere ſatagatis: Illud potiſſimum animadvertentes, nullum, quod ex compoſitione domeſtica metuere poſſetis, malum, hac ipſa in ſubjecta materia diſſenſione eſſe majus. Nec vobis, ſi modo velitis, difficilis erit cum Capite veſtro compoſitio. Virum enim hunc, quem non ſine Societatis, & veſtra ſingulari laude, graviſſimis in illum, Spiritus Sancti inſtinctu, conſpirantibus ſuffragiis, in Generalem Præpoſitum elegiſtis, a prudentia, doctrina, & humilitatis præcipue virtute a graviſſimis viris celebrari, intelligimus. Juvabit Optimus Deus, cujus majorem gloriam, poſthabita propria, cum Sancto Patriarcha veſtro præ primis ob oculos habetis, ut ad concordiam veſtram extraneis potentiis opus minime habeatis; facietque Romæ vobis propitius Clementiſſimus Salvator, ut ad Orbis ædificationem fiat inter vos tranquillitas. Nec ullum nobis eſt dubium, pacem inter vos, poſtpoſitis omnibus minoris momenti rationibus, perfacile ſtabilitum iri, quos pro viris cordatis, ſuæque Religionis (cui per omnes gradus virtutem veſtram probaſtis) unice amantibus, hoc eſt, hominibus bonæ voluntatis, benigne ſemper habuimus, & habemus. Ut vero id ipſum etiam deſiderium noſtrum vobis ſine ſtrepitu proponeremus, noſtras ſuper hæc in bonum veſtrum, atque Divinæ Majeſtatis gloriam directas cogitationes devoto nobis dilecto Patri Friderico VVolff. veſtræ Societatis uti profeſſo, ita, quod propria didicimus experientia, perquam amanti, aliis de cauſis Romam miſſo prolixius coram aperuimus: qui proinde illas vobis exponet. Cæterum vos in Sanctis Sacrificiis, & precibus publicarum Chriſtianitatis neceſſitatum memores eſſe benigne cupimus, & gratiam noſtram Cæſaream vobis clementiſſime confirmamus.

Dabantur in Reſidentia noſtra Viennæ . . . . . Septembris 1693.

Regnorum &c.

LEOPOLDUS.

CAPUT XVI.

Documentum Quintum.

Num. V.

EPISTOLA AUGUSTISSIMI CÆSARIS ad P. Præpoſitum Generalem Societatis JESU.

Honorabili, Religioſo, Devoto, Nobis dilecto P. Thyrſo Gonzalez, Societatis Jeſu Præpoſito Generali,

LEOPOLDUS, divina favente Clementia, electus Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus.

Honorabilis, Religioſe, Devote, Dilecte. Quanto nos dolore affecerit ſuborta nuper, & per Orbem Chriſtianum divulgata vos inter, & PP. veſtros Aſſiſtentes, non ſine dedecore, & ſalutis animarum pernicie jam multo tempore

pore protracta controverſia: quam perbenigna etiam ſollicitudine illam, cujus continuatione hiſce in circumſtantiis Religioni veſtræ nihil infortunatius accidere potuiſſet, quocitius, & quidem ſine ullo ſtrepitu, inter domeſticos parietes componi peroptemus, id ex noſtris, magna erga ſic afflictam Familiam veſtram, Nobis ſemper dilectam, compaſſione plenis ad prædictos Aſſiſtentes datis, (quarum copiam occludimus) colligere poteritis. Quum itaque memoratos PP. Aſſiſtentes, utpote viros, Divinæ Gloriæ, & ſuæ Religionis apprime ſtudioſos, ad ſtabiliendam hanc ſumme neceſſariam domi pacem, nullum omnino conatum intermiſſuros, perbenigne confidamus; Vos etiam, ex ſingulari erga Societatem, & veſtram in primis perſonam affectu, clementiſſime requirimus, ſine mora omnem operam eo conferatis. In quem finem, ulteriores quoque ad Dei Gloriam, nec non Ordinis veſtri proſperitatem unice directas, intentiones noſtras Societatis Veſtræ Sacerdoti P. VVolff. uti Profeſſo, ita amanti, aliis de cauſis Romam miſſo, benigne aperuimus, qui non minus eas exponet, quam de noſtra ſingulari æſtimatione, & gratia Cæſarea vos reddet certiores.

Datum in Noſtra Reſidentia Cæſarea Viennæ die decima octava Septembris, Anno milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo tertio, Regnorum Noſtrorum, Romani trigeſimo ſexto, Hungarici trigeſimo nono, Bohemici vero trigeſimo octavo.

Subſcripſit &c.

LEOPOLDUS.

Henr. C. de Strabman.

§. UNICUS.

Meditatio in duo ſupra relata documenta ab iis, qui a Probabiliſtarum partibus ſunt, facienda.

I. DUO ſunt capita, quæ meditationis veſtræ argumentum erunt, o Reverendi Patres Probabiliſticæ Sectæ. Quoad primum, intento animo cogitate, quanti faciant, & quam honorifice ſentiant de Societate veſtra præcipui Europæ Reges, ac Principes. Memoriam repetite doctrinæ, eruditionis, Operum in lucem a Majoribus veſtris emiſſorum. Auguſtiſſimus Imperator Leopoldus vobis ob oculos ponit ardens parentum veſtrorum in propaganda Religione Catholica ſtudium, glorioſos de hæreſi reportatos triumphos, proſtrata vitia, virtutes excultas, ingentiaque commoda, Eccleſiæ Romanæ allata puritate doctrinæ, morumque ſanctitate. Hæc ſunt duo arma, doctrinæ *veritas*, ac morum *ſanctitas*, queis Ordo veſter apud omnes celeber adeo evaſit. Etiam, atque etiam conſiderate, num a veritate hæc doctrina recederet, num iſti mores langueſcerent; num majorum veſtrorum paupertati divitiæ ſuccederent, magnique ſumptus; num bonorum omnium Apoſtolicæ communioni, ab ipſis examuſſim obſervatæ, peculiares ſubrogarentur proventus, commoda, rerumque omnium copia, unicuique propria; quid tum eveniret? Hic mentem defigite, o Reverendi Patres, graviſſimis mediationibus veſtris: cujus rei gratia cæleſte implorate lumen.

II. *Caput alterum*. Teſtificatur Auguſtiſſimus Imperator Leopoldus, veſtrum Generalem Thyrſum Gonzalez a viris doctis fuiſſe celebratum ſingulariter ob ipſius doctrinam, prudentiam, humilitatem. Ejus doctrina palam erat a Probabiliſmo averſa. Ejus prudentia humanis non innitebatur occultis conſiliis, gloriam mundanam non intendebat tanquam finem, ſed incumbebat veritati, ac nonniſi Dei gloriam ſpectabat. Funeſtam pacem illam minime fovit, quæ legibus regitur mundanæ politices, ac fatali diſſimulatione, qua in rebus omnibus connivetur, noxiaque indulgentia, qua mos geritur hominibus ſingulis. Ejuſmodi pax amaras eliciebat ab oculis David lacrymas, cum tabeſceret *pacem peccatorum videns*. Pax victrix, parta contradictionibus, ac jugi bello adverſum ſanctæ Dei legis hoſtes. Prudentia, cælicæ hujus pacis moderatrix, eſt prudentia divina, prudentia a Deo infuſa, qui eam Superioribus impertitur illis, quos ipſe ad Religioſorum morum regimen vocavit, atque aſſumpſit; eamdemque iis denegat, qui doloſis artibus, humaniſque adminiculis ad ejuſmodi conſcendunt dignitates. Quemadmodum hi car-

carnis prudentia, politiciſque obſcuris rationibus hujuſcemodi invadunt munera, ſic falſæ cavillationibus prudentiæ, ac degeneris Politices commentis Deus illos permittit. Pater Gonzalez, inſcius, agente Jeſu Chriſti Vicario Innocentio XI. Generalis fuit renunciatus; ideoque ſe totum pro hac re devovere non renuit, ut in ſuo refloreſceret Ordine apud omnes ſubditos ſuos vera doctrina; veritus non eſt, ſicut ſicut infra videbimus, ſeſe diſcrimini ejectionis e Generalatu objicere, ut veritatem in integrum reſtitueret. Veræ hujus hæreditatem prudentiæ vobis precor, o Reverendi Patres, qui pro aris, & focis tuemini contrarium Generalis veſtri doctrinæ ſiſtema. Altera, in Patre Gonzalez omnium celebrata ſermone, virtus ſancta humilitas fuit, evangelicæ paupertatis germana ſoror. Religioſus de Clauſtro vir, humilis, ac dives chimæta eſt adeo repugnans, ut inviſa hactenus fuerit. Si vos igitur, o Reverendi Patres, humiles eſſe cupiatis, ſanctam illam colite paupertatem, quam ſtabilivit Jeſus Chriſtus, ceu primum perfectionis evangelicæ fundamentum, ac Sanctus Patriarcha veſter Ignatius poſuit, ceu propugnaculum Societatis Jeſu. Si deſit virtus hæc, impar eſt omnis Mundi Politice ſuſtinendo ædificium ſublime. Clientelæ, adminiſtrationes, facultates, Aulæ, brevi quidem tempore oculorum aciem perſtringere queunt, fallacemque tranſmittere lucem; ſed prohiberi diu nequit ædium ruina, ſi, quæ præſcribit Evangelium, deficiant fundamenta. O digna quotidiana meditatione effata!

CAPUT XVII.

Documentum Sextum.

Epiſtola, qua Pater Thyrſus Gonzalez, Societatis Generalis, Auguſtiſſimo Imperatori Leopoldo reſcribit.

Num. VI.

EPISTOLA P. Thyrſi Gonzalez Præpoſiti Generalis Soc. Jeſu ad Auguſtiſſimum Imperatorem LEOPOLDUM.

Reverentiſſime oſculatus ſum eas litteras, quas Sacra Majeſtas Tua ad me dare dignata eſt clementiſſimas, & omni ſenſu pietatis, & pluſquam paterna erga noſtram Societatem, atque erga me, undequaque indignum, charitatis pleniſſimas. Agnoſco in Sacra Majeſtate Tua ſpiritum principalem Magni Conſtantini Imperatoris, quo Patribus Concilii Nicæni Pacificatorem ſe præbuit, ſpiritum ſapientiæ, & pietatis, paciſque arbitrum, & conciliatorem potentem, cujus ſuaviſſima vi ego quidem ſenſi, amorem pacis, & charitatis, qui alióqui ſemper mihi hæſit indelebilis, exardeſcere uſque adeo, ut voluptati mihi eſſet juris mei apices ad Chriſti Crucem figere, &, quoad fas eſſet, ex illorum judicio me fingere, quibus amplo jure præeſſe conceſſum mihi eſt. Ad pacem, & tranquillitatem, ſine ſtrepitu foris ſonante, conſequendam quid meditatus ſim, egerimque, & quo denique ſucceſſu, exponet Sacræ Majeſtati Tuæ ſedulo P. Fridericus VVolff. qui partes ſibi impoſitas hic gerit induſtrie, & cum laude. Effectus ipſe ſi non omnino reſpondit Sanctiſſimo Deſiderio Majeſtatis Tuæ, ſpes mihi eſt certa, Divinam Bonitatem per inveſtigabiles vias Providentiæ ſuæ eo dirigere humana hæc ſtudia, quæ nos exercent, ut denique Majeſtatis Tuæ votis quam cumulatiſſime ſatis fiat, plena reſtituta Societati pace, non ſine fructu inſignis ſalubritatis ex hac ipſa commotione, quam lugemus, perficiendo. Mihi quidem decretiſſimum eſt, eo conferre, quantum in me eſt facultatis, & virium, atque in rem tanti pretii expendere, quidquid mihi eſt charum, vitamque adeo ipſam, & vitæ ſpiritum omnem, idque iis conſiderationibus, quas mihi ſentio & divinitus inſpiratas, & mirum quantum confirmatas ſublimi ſapientia, & graviſſimo judicio Sacræ Majeſtatis Tuæ. Interim in ſpiritu humilitatis, & demiſſa veneratione judiciorum Divinorum, certum habeo, ſuſcipere de manu Domini, quæ mihi ab ipſo, & Filii ſui æterno conſilio ſunt ordinata, & magno auctore Apoſtolo, ejuſdemque ſenſus conſorte S. Ignatio Fundatore noſtro, per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam, ut caſtigatus, & non mortificatus, contendere ad hujus minimæ Familiæ, mihi commiſſæ, perfectionem abſolutam cum cæteris bonis, tum illa pace, & tranquillitate, quæ tam juſtis de cauſis Sacræ Majeſta-

jeſtati Tuæ eſt cordi. Spes mihi magna eſt primum quidem in Miſericordiis Domini, qui de tantis periculis nos alias eripuit, & eruit, in quem ſperamus, quoniam & adhuc eripiet; tum vero in potenti Pietate, Charitate, & Protectione Sacræ Majeſtatis Tuæ, pro quibus eidem ad extremum eas gratias ago, habeoque, & meo, & totius Societatis Nomine, quas animo demiſſiſſimo ſentire intime poſſum, verbis idoneis exprimere non poſſum, ſuppleturus hunc defectum, quoad licebit, Sanctis meis, meorumque ſacrificiis, pro longa incolumitate, multaque proſperitate Sacræ Majeſtatis Tuæ.

Romæ 21. Novembris 1693.

Epiſtolæ hujus Autographum inter M. SS. Cardinalis Ferrari in Bibliotheca Sanctæ Sabinæ reperitur.

§. UNICUS.

Pii Generalis Gonzalez ſpei minime reſpondit eventus.

I. Semel ac in hominum cętum irrepſerit conſuetudo aliqua, partium ve ſtudum, ęgre admodum ab imis radicibus extirpatur. Omnes 30 circiter annorum ſpatio ſtudioſi Generalis conatus, omnes Venerabilis Pontificis Innoc. XI. perſuaſiones non fuerunt ſatis e Societate Probabiliſticum zizania evellendo. Supplicem libellum attentius conſideravimus, a Patre Generali Gonzalez prope vitę ſuę metam oblatum eximio Pontifici Clementi XI., implorandi ergo ipſius pręſidium. Nobis tamen gratię ſunt agendę Providentię Divinę, quę ſervavit ſemper in Inſigni Societate, ac ſervet verę doctrinę ſpiritum, a doctiſſimo Generali Gonzalez vindicatæ: quocirca, ſi Adverſarii non deſinr, vindices quoque non deſunt, qui Apoſtolica promovent conſtantia ſanioris praxim doctrinæ. Verum de hac re infra redibit ſermo.

CAPUT XVIII.

Documentum Septimum.

Libellus ſupplex Pontifici Innocentio XII. a quinque Societatis Adſiſtentibus porrectus adverſus proprium Generalem Gonzalez. Facultatem enixe ab eo petunt generalem cogendi Congregationem, abdicandi ergo dignitate, ac munere Geralem, quem traducunt veluti turbas in Societate cientem.

Num. VII.

BEATISSIME PATER.

Aſſiſtentes Societatis Jeſu, pedibus Veſtræ Sanctitatis humiliter proſtrati, ejus juſtitiam, auctoritatem, & paternam benignitatem implorant in graviſſimo Societatis periculo, & perturbatione. P. Thyrſus Gonzalez Generalis jam a duobus annis, & amplius totam Societatem laceſſit: 1. Prætextu cujuſdam libri, quem ſcripſit de opinione Probabili, olim rejecti a P. Oliva tum Generali, & Reviſoribus Societatis; deinde furtim editi Delingæ in Germania; poſtremo, ut dicit, emendati a defectibus doctrinæ & prudentiæ, qui in illum irrepſerant. 2. Illegitima plane, & irreligioſa agendi ratione, quam hactenus exhibuit in hoc negotio, quod, cum privatim tractari oportuiſſet, late ceu incendium undequaque ſparſit.

De libro, Sanctiſſime Pater, aut parva, aut nulla erit inter Generalem, & Societatem contentio: Nam, cum Veſtræ Sanctitatis juſſu datus ſit eruditis Reviſoribus examinandus; quidquid Veſtra Sanctitas, illis auditis, pronunciaverit, pro Oraculo habebimus ingenita illa obedientia, qua doctrinam, & Inſtituta noſtræ Religionis Sedis Apoſtolicæ judicio, & arbitrio mancipavimus. Reviſorum, quos Veſtra Sanctitas nominavit, erit videre, 1. An Doctrina P. Generalis ſit illi privata, & ſingularis, an communis Auctorum, qui eamdem cum illo ſententiam amplectuntur, & docent. 2. An illa obedientiam Eccleſiaſticam, & Religioſam offendat, ac pene convellat. 3. An Moralem doctrinam coerceat, aut potius laxet. 4. An illam proponat ſine abſoluta damnatione

tione alterius ſententiæ, quam plures numero, & maxime inſignes doctrina, & virtute viri defendunt: quæ ſi a libro P. Generalis abſint, nihil eſt, quod ejus publicationi obſiſtamus, accedente maxime irrefragabili judicio Veſtræ Sanctitatis, cui nos plene, planeque ſubjicimus.

Alterum, quod dolemus, Beatiſſime Pater, eſt proceſſus, & agendi ratio P. Generalis, quam emendari, corrigi, coerceri a Veſtra Sanctitate enixiſſime poſtulamus, eo affectu, quo noſtram Societatem (quæ Aſſiſtentibus quoque commiſſa eſt, ut Generali) conſervatam optamus, & integram.

1. Hic enim, ut paucis multa complectamur, libellos famoſos, & incredibiliter maledicos ſpargit, & per ſuos Fautores ſpargere pergit contra noſtram Societatem, quibus non modo Delingani ſui operis falſitates, & contumelias complectitur, ſed etiam auget, & amplificat.

2. Hic præcipuas Inſtituti noſtri leges convellit, quod ſigillatim, ubi jubebit Veſtra Sanctitas, demonſtrabimus.

3. Hic potiſſimam libertatem, factam ex Inſtituto cogendi noſtras Congregationes Generales, aperte ſuis ſcriptis impugnat, qua ſublata, totam Societatem ruere neceſſe eſt, cum unicum hoc remedium habeat ad compeſcendos Religionis motus, & moderandam Generalium poteſtatem, ſi forte aberrarent. Quod hactenus inauditum, & inviſum in viris maximis, qui Societatem ſumma æquitate, charitate, prudentia gubernarunt.

4. Hic interceſſionem virorum Principum, (quod in omni Religione, ſed in noſtra maxime, nefas eſt) ubique præoccupat, quod Veſtra Sanctitas non ignorat de uno, aut altero Principe, cujus poſtulationes non ſemel accepit.

5. Hic, omiſſa Societatis cura, cui maxima, & exercitatiſſima ingenia vix ſufficerent, totus libris componendis incumbit, de quibus ſit apud eruditos judicium. Sed hoc apud Veſtram Sanctitatem non tacendum, quod furtive pleraque typis mandaverit, ut codicem Delinganum, ut capita quædam, inſerta in ſua Manuductione, ut Commentarios neſcio quos in Controverſia, quam habuit cum Chriſtianiſſimo Rege Galliæ, in quibus veritatem plerumque offendit, ubique prudentiam: quæ furtivæ editiones a Bullis Pontificiis, a Legibus Romanis graviſſimis pœnis vetantur, & puniuntur.

6. Hic ſuos Aſſiſtentes, viros utique innoxios, nullo alio, quam charitatis vinculo colligatus, qui nec ſcriptionibus, nec querelis, nec minima apud quemquam interceſſione Patrem Generalem offenderunt, graviter læſit in ſuis libellis, ut homines partium amantes, ſuæ utilitatis, & gradus nimium retinentes, & propterea timidos, quorum nec conſilia audire, nec datas communi conſenſu deliberationes ſequi profitetur, ubique ſuæ voluntatis & judicii retinentiſſimus, quod in nulla Republica, ſeu Politica, ſeu Religioſa ferendum, Sapientes quique arbitrantur.

Hæc tamen, Sanctiſſime Pater, in ſilentio, & ſpe toleramus, ſemel tantum, atque iterum petita a Veſtra Sanctitate audientia ſine ullo memoriali, voce tenus, eaque ſupplici, & modeſta (ut meminit Veſtra Sanctitas) qua nihilominus offenſus Pater Generalis ſcripta illa ſparſit in Societatem, non tamquam Pater, ſed infenſiſſimus adverſarius, & iis telis armatus, quæ in nos olim atrociſſimi quique Scriptores contorſerunt. An ſit hoc Patrem Societatis agere, Veſtra Sanctitas judicabit.

Interea tenemur ex officio, & conſcientia, Veſtræ Sanctitatis pedibus iterum advolvi, ſupplicantes, 1. Ut illam Patris Generalis acerbitatem, & conatus, qua poteſt, auctoritate coerceat.

2. Ut a Scripturis, & libellis abſtinere jubeat, quos amaritudinis felle, & invidioſo nomine in Jeſuitas proſeminat. 3. Ut quæ ſcripſit contra veritatem, & famam Societatis in dictis libellis, revocet, aut revocari velit in integrum. 4. Maxime vero ab interceſſione Principum abſtineat, odioſo nomine protectionis Regiæ, quaſi ea tutela indigeret in oculis tanti Pontificis, ſub cujus ſapientia, & tutela reſpirat non tantum Societas, quæ minima eſt, ſed Orbis, quantus eſt, Chriſtianus.

Et, cum Veſtra Sanctitas non ignoret, jam multum in ea parte peccaſſe Patr. Thyrſum Gonzalez, obteſtamur Veſtram Sanctitatem, ut ſuos Nuncios, in Curiis Principum agentes, moneat, ne quid a Juſtiſſimis, & Potentiſſimis Principibus decernatur, quod noſtræ Societatis in Comitiis cogendis libertatem, in ferendis, aut ex-

explicandis noſtris legibus jus, & potentiam, in conſervando noſtro Inſtituto diligentiam offendere poſſit.

Quæ ſi Veſtra Sanctitas nobis humillime ſupplicantibus annuat, imperabit ventis, & mari, & in momento conticeſcent; bene memores, Beatiſſime Pater, & hoc eſſe proprium Pontificiæ Auctoritatis, turbas compeſcere, pacem imperare, animos, aliunde modeſtos, & obedientes flectere: quam gratiam objecta iterum, atque iterum ſuis Pedibus Societas Jeſu, tanti beneficii nunquam futura immemor, cum Apoſtolica Benedictione per ſuos Aſſiſtentes expoſuit.

Joannes Bomier, *Aſſiſtens Galliæ*.
Julius Balbus, *Aſſiſtens Italiæ*.
Antonius del Rego, *Aſſiſtens Luſitaniæ*.
Euſebius Truchſes, *Aſſiſtens Germaniæ*.
Pachanus de Caſanucua, *Aſſiſtens Hiſpaniæ*.

Foris.

Beatiſſimo Patri.

Pro Aſſiſtentibus Societatis Jeſu.

Authographum, propria cujuſque manu ſubſcriptum, extat inter MSS. Cardinalis Ferrari in Bibliotheca S. Sabinæ. Et ego manu propria illud reſcripſi ann. 1745. die 29. Decembris.

§. UNICUS.

Patris Generalis Gonzalez Apologia brevis, qua crimina ei a Patribus Adſiſtentibus objecta, diluuntur.

I. UT autem a prima criminatione ducatur initium, hæc ſponte ſua evaneſcit. Acta a Gonzalez ſancta vita cum in Apoſtolicis Miſſionibus ſuis plurium luſtrorum ſpatio, tum in celebrioribus cathedris, decretoria eſt damnatio criminis, ab Adſiſtentibus eidem objecti. Poſito etiam Opere adverſus Probabiliſmum, quod uſque ab anno 1674. Cenſoribus ſubjecit; poſitis etiam jacturis omnibus, quas ob exagitatum Probabiliſmum fuerat paſſus; nihilo tamen minus adeo ſingularis ejus probitas erat, adeo ſublimis ejus ſapientia, ejus prudentia adeo gravis, ut Generalis ſupremo dignatus fuerit honore, ac reipſa inſignis adeo Ordinis Generalis fuerit deſignatus. Jam porro vir Religioſus talis ingenii, virtutis tantæ a ſe ipſo repente deſcivit, ſuæque Societatis evaſit hoſtis ac inſectator? Omnium ejus criminum ſumma hæc fuit, Dilingana videlicet ejuſdem Operis Sinopſis editio? Verum enimvero hujuſcemodi editio laudi tribuenda illi erat ab Adſiſtentibus, nihil autem incommodi exinde ipſi erat referendum. Venerabilis Innocentius XI. copiam fecerat Patri Gonzalez typis edendi ubivis Opus ſuum totum integrumque. Prudentiſſime maluit ipſe ejuſdem periculum facere unius Compendii editione, ut Societatis mentem cognoſceret. Laudem igitur in re hac promeritus fuit, non iniquas criminationes.

II. Dicitur in altero querelæ capite, nullam de Opere controverſo quæſtionem habitum iri; ſed inanes ſubtili calliditate objiciuntur cenſoriæ notæ, jam uſque ab anno 1674. eidem a Probabiliſta Patre Eſparza inuſtæ. Monentur Pontificii Cenſores de quatuor ſedulo ab ipſis ponderandis, nimirum de ſingularitate doctrinæ cum religioſa obedientia pugnantis, Ethicam Chriſtianam laxantis aliorumque ſententiam damnantis. Gonzalez Doctrina cum Delingæ, tum Romæ impreſſa obedientiam promovet, laxam probabiliſticam Ethicem coercet, & quam modeſtiſſime id genus ethicem improbat. Theologorum defendentium Probabiliſmum authoritas eumdem haud efficit meliorem, quam ſit. Etiam Patres Adſiſtentes probi, doctique viri fuerunt: attamen ipſorum accuſationes, utique falſæ, propterea non ſunt veræ.

III. Multo criminoſius eſt criminationum alterum genus. *Libellos famoſos, & incredibiliter maledicos ſparſit.* Nunquid Pater Gonzalez Generalis Præpoſitus Societatis? *Et per ſuos Fautores ſpargere pergit contra noſtram Societatem, quibus non modo Delingani Operis falſitates, & contumelias complectitur, ſed etiam auget, & amplificat.* Integram exſcribere volui hanc periodum, ut culpam una ſimul removerem & a Patre Generali, & a Patribus Adſiſtentibus. Quemadmodum in Probabiliſmi Hiſtoria ex teſtimonio Patris a Camargo obſervatum eſt, Reverendi Patres Probabiliſtæ notant, veluti obtrectationes,

Digitized by Google

& contumelias, omnes locutiones illas, quæ laudationes non ſunt Probabiliſmi, quem diligunt. Perlegantur Delingana, & Romana Editiones, nec ullum offendetur verbum quod non præſeferat modeſtiam, prudentiam atque pietatem. Quænam ſunt ergo hæc loquendi rationes incredibiliter maledicæ? En illas. *Probabiliſmus eſt Doctrina laxa*. Hæc eſt phraſis incredibiliter maledica. *Probabiliſmus eſt ſententia commoda & facilis*. Heu! quam impudens convicium. Proh Superi! quale oblocutionis genus incredibiliter immitis, minimeque ferendæ? Conjiciet hinc humanus Lector cum Generalis, tum Adſiſtentium innocentiam. Probabiliſtici ignarus ſermonis offenderetur in cernendo Societatis Generalem, inſtar Auctoris librorum incredibiliter maledicorum depictum: & in audiendo poſtea, maledicta hæc omnia poſita eſſe in damnando falſitatis, laxitatis nomine Doctrinam probabiliſticam, ab omni redditur immunis offenſione. Loquuntur Probabiliſtæ litigantium illorum more, qui mutuo injuſtitiæ, ſævæ oppreſſionis incuſant partem adverſam, jus poſtulantem, imo ab ipſis Judicum ſententiis, tanquam injuſtis ad ſuperius tribunal appellant.

IV. Secundum, ac tertium alterius hujus criminationum generis capita eo pergunt pede, quo primum. Obſtitit Pater Generalis convocationi Generalis Congregationis, quod eſſet intempeſtiva, & quod iniquum ſpectaret finem, proprii nempe Generalis integerrimi a dignitate depulſionem. Neceſſariam juſtamque defenſionem ipſum naturæ jus præſcribit. De Congregatione iſta habendus infra erit ſermo.

V. Graviſſima omnium eſt num. V. expoſtulatio. Perverſe agit Superior ſi conſcribendorum librorum cauſa, miniſterii ſui negligat adimpletionem. *Miniſterium tuum imple*, monitum eſt quod uniuscujusque Superioris obverſari ſemper ante oculos debet. Pauci ſunt libri, quos, cum eſſet Generalis, elucubraverit Pater Thyrſus. Quas conſcripſit pro neceſſariis libri vindiciis, lucubrationes tantæ molis non ſunt, ut neceſſarium ad ſui Ordinis regimen ei poſſent tempus ſurripere. At veniamus ad illud, quod eſt in accuſatione præcipuum, videlicet quod furtim libros ſuos typis mandaverit. Ecquem typis librum abſque facultate commiſit? Anne Delinganum? Sed nonne a Pontifice ampla poteſtate donatus fuit? Commentarii pro Apoſtolica Sede in lucem emiſſi adverſus præſumpta Gallorum jura his a vobis notantur verbis: *Commentarios neſcio quos?* Commentarii dictitantur Controverſiæ cujuſdam, quæ illi fuit cum Chriſtianiſſimo Gallorum Rege: *in controverſia, quam habuit cum Rege Galliæ?* Religioſus vir, licet Generalis etiam Jeſuitarum cum Rege Galliarum venit in contentionem? Itane tandem ſcribunt quinque Reverendi Patres Adſiſtentes? Sed quid, ſi Commentaria hæc conſcripſiſſet Pater Gonzalez ſuadente atque impellente Apoſtolica Sede? Opportune compertum id fiet, quod juſtis de cauſſis modo non licet patefacere. In his Commentariis *veritatem plerumque offendit*; *ubique prudentiam*. Supplicis hujus libelli citra dubitationem Auctor fuerit Joannes Bomier, Aſſiſtens Galliæ qui primo ſubſcripſit loco. Quomodocumque ſit, in publicis Bibliothecis extant Commentaria: quicumque autem ea legerit, ſicut ego legere volui, comperiet, maxima laborare falſitate, quicquid aſſerunt noſtri Reverendi Patres Adſiſtentes.

VI. Poſtrema accuſatio num. VI. quod nempe Pater Generalis male de ſuis Adſiſtentibus meritus fuerit, illius eſt ſimilis quam nos retulimus ſuperiori num. III. Quia Pater Generalis exagitavit Probabiliſmum, illum evertit, ad nihilum argumentorum ſuorum vi illum redegit: ideo *læſit*, vulneravit, oppreſſit ſuos Adſiſtentes, viros criminis expertes & caritate flagrantes. Semper hic fuit, & ſemper hic erit ſermo Jeſuitarum Probabiliſtarum. Quotquot Probabiliſmo adverſantur, Jeſuitarum famæ infenſi ſunt, ſunt Societatis hoſtes. In ſingulis libris atque libellis, in lucem emiſſis a frequenti Jeſuitarum Probabiliſtarum legione adverſus Patrem Concinam, eadem canitur, ac recinitur nenia: *Societatis hoſtis eſt*: *Jeſuitarum calumniator eſt*; quia refellit Probabiliſmum, ab Jeſuitarum Probabiliſtarum partibus propugnatum. Hæc igitur accuſatio cæteris firmior non eſt. Reverendi Patres Adſiſtentes Probabiliſticæ Factionis erant Duces. Ipſi loquebantur atque ſcribebant juxta Patris Martini Eſparſa principia, qui ſub Deceſſore Generali Patre Oliva

librum

Digitized by Google

librum Patris Gonzalez rejecerat. Principia illa tenaciter in Aula Generalis hæſerunt & qui ſucceſſerunt Adſiſtentes, eadem adoptarunt. Quamobrem eorum ſcribendi modi, nimis equidem audaces, in ſenſu probabilistico debent intelligi, ac veluti a probis, doctiſque religioſis viris profecti, ſed præventis tamen Probabiliſmi præſtigiis, ſubindeque venia digniſſimis.

CAPUT XIX.

DOCUMENTUM OCTAVUM.

Quinque Societatis Adſiſtentium Libellus ſupplex ad Innocent. Papam XII. in quo gratiæ Pontifici aguntur, quod Patris Gonzalez librum ſuppreſſerit; obſervaturque, ut firmo, conſtantique animo in ſententia permaneat.

Num. VIII.

BEATISSIME PATER.

QUinque Adſiſtentes Societatis Jeſu, Oratores humillimi Sanctitatis veſtræ, quemadmodum totius Societatis nomine plurimas Sanctitati veſtræ gratias agunt pro beneficio maximo, quod Religioſo huic elargita eſt Ordini, edicere dignata, ut ſuppreſſus, ac ſilentio involutus maneret Patris Generalis liber de Probabilium opinionum uſu, donec, Procuratorum coacta Congregatione, illud maturius deliberari poſſit quod magis Dei cultui expediat; ita modo enixis rogant precibus, ejuſdem Societatis nomine, de cujus mente per epiſtolas certiores plane facti ſunt ipſi, ut collatum beneficium iiſdem conſervare dignetur, licet novis moleſtiis, ut probe ſciunt iidem Adſiſtentes, obſtrepatur Beatitudinis Veſtræ auribus; coram qua humillime provoluti ſacros oſculamur pedes. Quam Deus &c.

Foris.

Sanctitati D. N. Papæ Innocentii XII.

Pro quinque Patribus Adſiſtentibus Soc. Jeſu.

Supplex hic libellus reperitur inter Cardinalis Fabroni MSS. in Bibliotheca Piſtorienſi apud Patres Oratorii S. Philippi. Jure hi Reverendi Patres Adſiſtentes Pontifici ſupplicabant, ut conſtanti, ac firmo eſſet animo in protrahenda libri editione, uſquedum Congregatio Procuratorum coiret; cum enim de ſuo gradu in iſta Generalis deiiciendus eſſet, res cito conficeretur. Mira eſt horumce Patrum Adſiſtentium ſolertia qui probe *ſciebant*, novis moleſtiis Beatitudinis ſuæ aures obtundi, prohibendi ergo Procuratorum convocationem. Illorum tamen ſolertia, uti videbitis, inanis fuit; ſiquidem editus fuit liber, Procuratorum Provincialium Congregatio coacta non fuit, Jeſuitarum Probabiliſtarum factio devicta ſuccubuit, & per ſuum Ducem Thyrſum Gonzalez triumphavit Societas. De iſta Congregatione Generali mox verba faciemus.

CAPUT XX.

DOCUMENTUM NONUM.

Præſentis celebris negotii ſtatus, in quo varia exponuntur capita, docilem Patris Generalis mentem ſpectantia in ſubmittendo Cenſoribus librum ſuum. Obfirmatus Adſiſtentium animus in enitendo, ut is ſupprimatur, Patris Pauli Segneri apud Papam authoritas, ejuſque vehemens conatus, ut Generalis convocetur Congregatio; & adverſus quidem ſuum Generalem.

Num. IX.

Status præſentis famoſi negotii.

PRimo pergit P. Generalis eſſe paratiſſimus corrigere librum ſuum, tollendo, addendo, minuendo, ex judicio PP. Aſſiſtentium, ſalva ſubſtantia doctrinæ de recto uſu opinionum Probabilium.

2. Pergunt Aſſiſtentes ſtare firmi in recuſanda omni compoſitione controverſiæ, & poſtulanda abſoluta libri ſuppreſſione.

3. Hæc res eſt Societati invidioſiſſima, ſtomachantibus amicis, etiam Cardinalibus, ad perſecutionem doctrinæ tam piæ, & neceſſariæ, & inſultantibus inimicis, quod nunc demum Societas agnoſcat pro ſua doctrina contrariam, quam antea multis Apologiis negavit eſſe ſibi propriam.

 4. Im-

4. Importuniſſima Societati accidit gratia P. Pauli Segneri apud Summum Pontificem. Illum Patrem mox Aſſiſtentes adſtrinxerunt ſuis partibus: ille omnes conatus Cardinalium, & aliorum illuſtrium Virorum ad compoſitionem controverſiæ hactenus evertit.

5. More, Romæ uſitato, adoratur vulgo a ſuis P. Segneri, ut gratioſus apud Summum Pontificem, de quo & Purpura donando ſermo eſt: unde & factum putatur, ut in nuperrima Congregatione Provinciali Romana plurimis ſuffragiis electus ſit Procurator, cujus proinde erit judicare cum Procuratoribus aliarum Provinciarum, proximo Novembre congregandis de cogenda Congregatione Generali contra Generalem.

6. Ad hanc electionem obſtupuerunt Romæ omnes æquitatis amantes, qui intelligerent, quæ res ageretur: quippe quum viderent, Virum in præſenti controverſia tam notorie declaratum eſſe judicem de cogenda Congregatione Generali adverſus eumdem Generalem, occaſione quidem controverſiæ; præcipue quum conſtaret, per ipſum ſtare, quominus pax eſſet.

7. Electo hoc Procuratore, facile fuit præſagire, qualis futura eſſet ſententia ejuſdem Congregationis Provinciæ Romanæ de cogenda Congregatione Generali. Sed & machinationes adhibitæ navantur ad pertrahendos Congregatos in ſententiam de cogenda. Denique ſuffragiis 33. judicata eſt cogenda, quum non niſi novem judicarent non cogendam.

8. Hoc judicium Congregationis Romanæ Provinciæ, valde tempeſtive celebratæ, putatur magni exempli vim habiturum apud Congregationes multarum Provinciarum, quæ reſtant celebrandæ.

9. Verum eſt, ad proximam congregationem Procuratorum, Romæ celebrandam proximo Novembri, pertinere Decretum deciſivum de cogenda Congregatione Generali: ſed in Congregatione Procuratorum magnum pondus habere ſolet judicium Congregationum Provincialium; uti & judicium Aſſiſtentium, qui non omittent, extremam vim exercere, ut decernatur cogenda Congregatio Generalis. Etſi vero is, qui hæc ſcribit, non judicet, aut ſuſpicetur, fore ut illi in hoc ſtudeant ſuo intereſſe: quia ſi ex Decreto Procuratorum, condendo proximo Novembris, celebretur Congregatio Generalis menſe Novembri 1694. vel menſe Junio 1695. evitabitur Congregatio Novennalis, quæ alioquin ex Decreto Innocentii X. celebranda eſſet menſe Junio 1696. & in qua ex eodem Decreto præſentes Aſſiſtentes deberent defungi officio, atque eligi quinque novi Aſſiſtentes, ita ut nullus ex Aſſiſtentibus præſentibus eſſet eligibilis.

10. Vix ſpes apparet, ut non decernatur proximo Novembri Congregatio Generalis, niſi ante Congregationem Procuratorum componatur controverſia inter Patrem Generalem, & Aſſiſtentes. In Patre Generali nulla eſt mora, ut exploratum eſt num. 1. Patres Aſſiſtentes non inducentur ad compoſitionem, niſi Summus Pontifex declaret, ſe eam deſiderare. Omnia molietur Pater Paulus Segneri, ne declaret Summus Pontifex, adeoque videtur non declaraturus, niſi gratia P. Pauli Segneri apud Pontificem vincetur majori pondere ſeu gratiæ, ſeu auctoritatis.

11. In hoc rerum ſtatu digna eſt commiſeratione Societas. Hæc enim, ſi tantam incurrit invidiam, & ignominiam, per totam Europam ex ſola conjectura cogendæ Congregationis Generalis, ut notum eſt; quid cogitandum, ubi conſtabit certo, decretum eſſe ſolemniter? Quid etiam quum ex omnibus Europæ Provinciis Romam verſus ſe movebunt Provinciales, & deputati ad celebrandam Congregationem illam contra Generalem; idque cauſa libri Præpoſiti Generalis, tantillum ſtringentis laxitatem doctrinæ, & ſi mere diſputative, & relicta cæteris libertate docendi, quod verius videtur in materia Probabilitatum.

Atque hic quidem eſt ſtatus famoſi negotii.

Documentum iſtud in Bibliotheca præfata Cardinalis Fabroni Piſtorii exſtat.

§. UNICUS.

Breves nonnullæ Meditationes ſuper uno, vel altero, ſupraſcripti Documenti capite.

I. TErtium documenti caput gravium conſiderationum materiem præbet. Cum Paſchalis, Nicolius, Arnaldus, aliique Janſeniani Probabiliſmum Societati adſcripſere, maxime injuriæ, atque igno-

miniæ

minię id ſibi hęc duxit, quemadmodum uſque ab initio animadverti. Gravem adeo propulſaturi calumniam, in aciem prodierunt Des-Camps, Annatus, Fabri, Daniel, atque alii pręſtantiores Societatis Scriptores. En, inquit Jeſuita Author documenti, damnant reipſa Jeſuitę, Probabiliſmo faventes, Scripta, Vindicias ſuorum Majorum. Quid tot motus, quid contra proprium Generalem tot tumultus, impediendi ergo confutationem Probabiliſmi? Probabiliſmus hic ſeditiones commovet, clarioriſque nominis Jeſuitas provocat ad arma ſumenda in proprii eorumdemmet Generalis librum. Jam vero poſt hęc erit, qui homines ad credendum inducere audeat, hujuſmodi Probabiliſmum nequaquam adoptari, ceu proprium fundum, ac patrimonium? Cujus inquam, proprium? Societatis? Abſit. Proprium Sectę Jeſuitarum Probabiliſtarum. Societas ſub Generalis ſui Gonzalez vexillo triumphavit: Generalis immotus manſit in ſua ſtatione: & Jeſuitæ, doctrinæ a S. Patriarcha Ignatio præſcriptæ, veri hæredes, ſemper Generali ſuo adhæſerunt, hodieque ad majorem Dei gloriam eſſe pergunt fideles tanti Magiſtri diſcipuli.

II. Tergiverſationes, atque effugia Jeſuitarum Probabiliſtarum, ipſimet ſuo Generali adverſantium, nimis ſunt inepta, & inania. Animum præſeferunt cupiditatis omnis expertem, quod attinet libri ſummam, ſimulantque, ægre ſe ferre nonnullas dumtaxat dicendi rationes. Ipſa celebris negotii conditio nimium ridicula eſſe prodit talia commenta. Patri Generali cordi erat genus doctrinæ. Suis in Miſſionibus experientia didicerat ingens malum, quod Probabiliſtica Doctrina pariebat. Perniocioſiſſimæ Doctrinæ hujus confutatio ejuſdem Apoſtolici zeli erat ſcopus. Haud pluris faciebat ipſe hanc loquendi rationem, quam aliam. Nonne ſtultus revera exiſtimaretur Auctor ille, qui valde ſollicitus de typis evulganda graviſſimæ cauſæ actione, animum obfirmaret adverſum cenſores ſuos, nolletque flecti ad hanc delendam, vel illam phraſim, enuntiationem hanc, vel illam, quæ ſine eſſentiali cauſæ ſuæ detrimento deleri poteſt? Audebuntne Jeſuitæ Probabiliſtæ in hanc referre claſſem Patrem Thyrſum Gonzalez, ab univerſa Societate electum ſuum Generalem, totique Orbi notum præ ſingulari prudentia, ac humilitate? Præterquamquod in cunctis lucubrationibus ſuis nonne profitetur ille, Cenſorum judicio ſuorum ſeſe omnino ſubjicere? In ejus opere tam Dilinganæ, quam Romanæ editionis ineſtne quidquam reprehenſione dignum? Nihilo tamen ſecius nequivit ille a Societate veniam impetrare: Authoritate Pontificia fuit opus. Æque igitur, ac lux meridiana, perſpicuum eſt, doctrinæ genus Probabiliſticæ Factioni Jeſuiticæ diſplicere. Profligati penitus dilecti Probabiliſmi aſpectus anſam præbebat acerbo dolori, ſacemque tot tumultibus, ac bellis civilibus ſubjiciebat.

III. Studium, quo Pater Paulus Segneri cauſſæ adeo malæ ſavebat, cunctis admirationi eſt hominibus. Hoc ejus ſtudium Scriptores omnes contemporanei teſtantur, quin etiam idemmet Pater Paulus Segneri ſuis tribus epiſtolis, contra ejuſdem ſui Generalis doctrinam ſcriptis. Jeſuita, documenti hujus Author, compertum nobis facit, Patrem Segneri eſſe præcipuum Ducem, ac Rectorem factionis Probabiliſticæ. Liber ipſius ad Pontificem aditus, Apoſtolici Concionatoris muneris gratia, ipſius probitatis fama, ingens parti, cui ſtudebat, pondus addebant. Hinc plurimorum ſuffragiis Procurator deſignatus fuit Romanæ Provinciæ, deliberandi cauſſa in Procuratorum Congregatione cogendane foret Congregatio Generalis. Vim meditaminor, Reverendi Patres Probabiliſtæ, qua viget Probabiliſmus, vel ipſis piis, ac probis viris fucum faciendi. Ex Patris Segneri pietate, probitateque profecturos vos forte ſperabitis in rem Probabiliſmi. Alii tamen contremiſcent, & expaveſcent, dubitantes, quin Patri Segneri eſſe detrimento quiverit Probabiliſmus. Hic in litteraria concertatione perduelis fuit adverſus ſuum Superiorem: Unus fuit ex præcipuis Ducibus factionis, Generali infenſæ. Quam tuitus fuit, cauſam conſecuta eſt reprobatio Congregationis quinque Cardinalium, a Papa inſtitutæ, ut partis utriuſque cauſſam cognoſceret. Fide bona pius Pater Paulus Segneri pugnavit, ſeque ad id præſtandum compelli religione, perſuaſum habens. Haud abſimili ratione Sanctos Viros inter ſe pugnaſſe, jam novimus. Pro certo nobis habendum eſt, pium Patrem Segneri,

de

de errore ſuo factum certiorem, ſevere a ſemetipſo pœnas ſumpſiſſe.

CAPUT XXI.

Documentum Decimum.

Aliquot Romanæ Provinciæ Jeſuitarum ad Papam Innoc. XII. ſupplex libellus.

Num. X.

Aliquot Societatis Jeſu Patres Provinciæ Romanæ, qui debent Provinciali intereſſe Congregationi proxime die Jovis, nona Menſis hujus, inchoandæ, deliberandi ergo, an Generalis Congregatio ſit cogenda, ut impendentibus Ordini noſtro calamitatibus adhibeatur remedium, humiliter ad Sanctitatis veſtræ pedes ſeſe abjicientes, eidem reverenter exponunt, non deeſſe, qui etiam ſcriptis ſuadere nitantur neceſſum minime eſſe eam convocare: cumque in more ſit poſitum, rem hujuſmodi in Provincialibus Congregationibus deliberare, latis voce ſuffragiis; fieret inde, ut qui tempeſtate hac noſtra ſuffragio refragaretur, ſeſe in diſcrimen conjicere poſſet patendi moleſtiis plurimis; idcirco humiliter Sanctitati veſtræ ſupplicant Oratores, ut mandare dignetur, utendum in hac Provinciali Congregatione eodem ritu, qui circa rem hanc in Congregationibus Procuratorum totius Ordinis ſemper ſervatur; agendum videlicet, quoad hoc caput, deliberandumque in præſenti quoque Provinciali Congregatione per ſecreta ſuffragia, tabellis inſcripta: nempe ut cuique ſit liberum, ſatis conſcientiæ ſuæ facere abſque metu: quæ omnia &c.

Quam Deus &c.

Extra.

Sanctitati D. N. Papæ Innocentii XII.
Pro aliquot Patribus Societatis Jeſu.

CAPUT XXII.

Documentum Undecimum.

Libellus ſupplex quinque Societatis Jeſu Adſiſtentium ad D. Fabroni a Supplicibus libellis.

Num. XI.

Illuſtriſſime Domine, Dom. noſter Colendiſſime.

Innata benignitas, ac benevolentia, Ordini noſtro, quotieſcumque res poſtulavit exhibita, animos ſufficit nobis ad implorandam tuam fidem, ut haud modica quadam levemur cura nobis injecta ex munere, quod vi Religioſi Inſtituti ſuſcepimus, ipſius videlicet rebus, & commodis ſedulo, alacriterque inſerviendi. Jure, ac merito ambigitur, num Pater noſter Generalis deſtiturus ſit a perſequenda via aliqua nova editionem impetrandi ſui libri, typis jam cuſi, in quo de Opinione Probabili agitur, præveniendo hujus diſcuſſionem argumenti, a Sanctitate ſua jam demandatam proſſimæ Congregationi Procuratorum, qui ex Europæ Provinciis advenient cum magno eorum malorum metu quæ ex hujuſmodi promulgatione prævidentur conſecutura. Ex Patre Generali paucos ante dies accepimus hac de re Sanctitatis D. N. alium fuiſſe ſuplicem libellum porrectum; cumque Adſiſtentes facti a Paternitate Sua non fuerint de reſponſione certiores, quæ iiſdem ſcitu eſt neceſſaria, ut eidem conforment, quæ in hoc negotio agere debent, ne obedientiæ atque obſequio erga Sanctitatis Suæ voluntatem, necnon ſuo erga Ordinem officio deſint, propterea ex communi ſententia conſilium cepimus humiles porrigendi Dominationi ſuæ Illuſtriſſimæ preces, ne dedigneris nos commonefacere, ſicuti pro tua eximia prudentia viſum tibi fuerit, de Sanctitatis Suæ mente per tuam Illuſtriſſimam Dominationem eidem Patri Generali ſignificatam, vice Reſcripti ſupplici præfato libello. Hoc autem beneficio, arctiori ceu vinculo quodam, nos tibi devincies, cui devotos jam addictoſque profitemur eſſe nos ſinguli; demiſiſſime chirographo noſtro tales eſſe nos comprobantes, quales reipſa ſumus.

Dominationis Tuæ Illuſtriſſimæ

Ex Domo Profeſs. Jeſu.

III. Nonas Septembris 1693.

Extra.

D. Fabroni a Supplicibus libellis.

Umiliſs. Devotiſs. ed Oblig. Servi
Joannes Bomier, Aſſiſtens Gallicus.
Antonius de Rego, Aſſiſtens Luſitanus.
Julius Balbus, Aſſiſtens Italiæ.
Euſebius Truchſes, Aſſiſtens German.
Pachanus de Caſanucua, Aſſiſtens Hiſpan.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXIII.

DOCUMENTUM DUODECIMUM.

Patris Thyrſi Gonzalez, Societatis Jeſu Generalis, ad D. Fabroni libellus ſupplex, in quo difficultatem, ab Jeſuitarum Probabiliſtarum factione objectam, diluit.

Num. XII.

ILLUSTRISS. DOM.

TRanſmitto V. Illuſtriſs. Dom. Opuſculum, in quo breviter expono meam ſententiam; ex quo conſtabit, objectionem, factam contra meam ſententiam, eſſe inefficacem. Si ego ſciam, plurimos, & graviſſimos Auctores aſſerere, aliquem contractum eſſe licitum, non ſatis eſt, quod mihi ex proprio cerebro occurrat aliqua peculiaris ratio, ſuadens eſſe illicitum, ut tenear ab illo abſtinere; quia prudenter poſſum ſuſpicari, illam rationem fuiſſe conſideratam ab illis viris ſapientibus, & ab illis fuiſſe contemptam, & totam vim, quam in illa experior, provenire ex mea ignorantia, & imperitia, ac proinde poſſum per prudentem reflexionem me conſtituere in ſtatu, ut plus debeat valere apud me auctoritas tot illuſtrium Doctorum, quam illa ratio privata, quæ mihi occurrit. Unde tunc, contempta illa ratione, poſſum prudenter judicare, rem illam eſſe licitam ob auctoritatem tot illuſtrium Doctorum. At quando ratio, quæ mihi ſuadet, & perſuadet, contractum illum eſſe illicitum, non eſt a me ſolo excogitata, ſed ſcio, plures & graviores auctores, quam ſint illi, qui favent libertati, illa ratione motos fuiſſe ad judicandum, contractum illum eſſe illicitum; & ego, ſine paſſione, & præcipitatione rationem illam expendens, experior, me vehementius impelli ad aſſenſum per illam, quam per rationes ſententiæ benignæ, tunc prudenter judicare non poſſum, illum contractum eſſe licitum, ſed vel debeo prudenter judicare, eſſe illicitum; vel manere prudenter dubius, an ſit licitus, vel illicitus, & in utroque caſu debeo ab illo abſtinere: nec poſſum tuta conſcientia in operando ſequi ſententiam faventem libertati, niſi illam faciam meam per prudentem aſſenſum. Hunc autem aſſenſum prudenter formare non poſſum in circumſtantiis, in quibus agnoſco pro parte contraria adeſſe auctores graviores, vel ſaltem æque graves; & citra paſſionem experior me fortius impelli ad aſſenſum per illorum rationes, vel ſaltem æque fortiter. Atque adeo, ut tuto poſſim ſequi ſententiam faventem libertati adverſus legem, debeo mihi prudenter perſuadere, illam eſſe veram, vel quia video pro illa plures, & graviores auctores, & majora momenta rationis, vel ſaltem quia video, pro illa ſtare auctores Claſſicos æqualis, vel ſere æqualis auctoritatis cum auctoribus ſententiæ tutioris; & aliunde conſiderans illorum momenta rationum ſine paſſione, & præcipitatione, manifeſte experior, me fortius impelli ad aſſenſum per illa, quam per fundamenta ſententiæ tutioris, & idcirco mihi prudenter perſuadeo, ſententiam tutiorem eſſe falſam, & imponere mihi onus, quod Deus non impoſuit. Hæc raptim potui ſignificare, ſed in meo tractatu iſta fuſe ponderantur.

Maneo ad obſequium D. V. Illuſtriſs. paratiſſimus.

Romæ 10. Junii 1693.

D. V. Illuſtriſs.

Rogo V. Illuſtriſs. Dom. ut, poſtquam Opuſculum cum otio conſideraverit, mihi dignetur ſigillatum reſtituere.

Obligatiſs. & Devot. Servus
Thyrſus Gonzalez.

Documentum hoc exiſtit Piſtorii in Bibliotheca Fabroni, in qua Opuſculum quoque reperitur, cujus exemplum penes me extat, quod fortaſſis ſub finem proferetur.

FINIS PRIORIS PARTIS.

PARS ALTERA.

CAPUT XXIV.

DOCUMENTUM DECIMUMTERTIUM.

Wolfangi Prienzonii Canonici Epiſtola ad Patrem Thyrſum Gonzalez, Societatis Generalem, in qua eum deterret a committendo Librum ſuum prælo.

Num. XIII.

Rev. D. D. Colendiſs.

1. EGO uſque a puero enutritus lacte litterarum, & Spiritus Societatis indoleo maxime ob nuntia recentia, e quibus intelligo, ſchiſmata, & turbas propter ſcripta P. Veſtræ Rev. divexare uſque ad intima Societatem. Vidimus Analyſim libri famoſi P. V., vidimus & Scripturam hiſtoricam; ſed, omnibus bene penſatis, & magis angimur, quia deprehendimus, fundamentum maximum niti falſo ſuppoſito, quod homines Societatis, in comparatione opinionum ad aſpectum obligationis legis, tenent, poſſe nos ſequi minus probabile, quamvis credant falſum, & minus tutum, & quod in Miſſionibus Hiſpanicis cognoverit P. V. neceſſitatem tenendæ opinionis tutioris, & probabilioris. Sed, bona venia, deprehendit P. V., ut in Miſſionibus moris eſt, aperta peccata mortalia, adulteria, & ſtupra, & cætera hujuſmodi. Scimus, quod in Hiſpania paſſim, exceptis aliquibus, nullus poſtulabat hoc opus P. V. Ad quid ergo excitare quæſtiones de opinione tutiori?

2. In Italia vero, & alibi nulla erat neceſſitas talis libri. Omnia in Italia ſilebant, ut hic in Germania quinquaginta fere jam annis: Flebant & Lovanienſes, exceptis aliquibus paucis cum Janſeniſtis, cum Doctore Paſquali, & Arnaldo: Et propterea dolent amici Societatis, quod P. V. ſequatur iſtos Authores; & hinc brevi excudetur liber, qui oſtendet, P. V. deſumere omnia ſua principia, & fundamenta a Janſeniſtis, qui reducunt praxim opinionum ad impoſſibile.

3. Hac occaſione notum etiam facio P. V. quod modo ſcribitur liber, edendus Francfurti, vel Auguſtæ nomine Janſeniſtarum, & aliorum Hæreticorum, qui gratias habent P. V., eo quod ſit modo cum illis; & deducit liber conſequentias ex doctrinis P. V. ſuis ſectis conſimiles; Deinde gratias referunt, quod P. V. ſit pro illis in ferendo vulnus lethale diſcordiarum Societati inimicæ.

4. Sed viri prudentes, & juſti Catholici, qui tenentur vinculo communis Fidei Orthodoxæ, & ſciunt, quæ perfectio requiritur in Capite Societatis, angore premuntur inſanabili, & neſciunt, quo ſpiritu P. V. ducatur. Dicunt, quod neque Layuius, neque Aquaviva, neque Caraffa, neque piiſſimus de Noyele, quia humiles, hoc agerent: ſi P. V. haberet humilitatem ſpiritus Societatis, eo ipſo quod PP. Aſſiſtentes repugnaverunt, deſtitiſſet ab inceptis, & agnoviſſet, vel dixiſſet: Deus forſitan a me non exigit hoc opus, & forſitan erravi, exiſtimando neceſſitatem mei laboris. Deus alios ſuſcitabit juxta ſuam providentiam.

5. Animadvertat ulterius P. V., quod PP. Aſſiſtentes in hac differentia ſumma unione ligantur, quod mirum eſt ex diverſitate Nationum. Sed videat idcirco, quod vox una Dei hæc eſt, & quum repræſentent Societatem, debuiſſet P. V. ferri ſpiritu illo Societatis, non vero ſpiritu proprio, fere invincibili, ut dicunt, & tenaciſſimo.

6. Quare videat P. V., an ſit magis tutum ſequi ſpiritum privatum, an ſpiritum Societatis, & an ſit magis probabile: melius ne ſit ferri humilitate, cedendo proprio judicio, ne turbetur tanta Communitas virorum pietate, & doctrina inſignium; an dare anſam Lutheranis, qui volunt deducere ex facto P. V. & præcipue ex doctrina Libri poſſe quemlibet duci ſpiritu privato: quidam enim ſcriptor Hæreticus hoc deducit fere evidenter; nam quum teneat P. V. poſitum inter probabiliorem, & tutiorem opinionem, debere ſequi probabiliorem, quia talis ſibi videtur; ergo ſequetur quilibet hoc modo ſpiritum privatum, ut ſibi videbitur.

7. Notat alius Doctor, quod impoſterum nullus ex Societate poterit impugnare

Jan-

Janſeniſtas, qui reducunt ad impoſſibile obſervantiam legis, ſuppoſita ab illis lege ſtrictioris obſervantiæ, quia timeant ſatis ſibi objici eumdem librum P. V., qui per ſequentias eo deducit.

8. Inſuper, ut laudant P. V. ſpeculativum ingenium, quod parum refert in Moralibus, ita practicum non laudant; immo videbit P. V., Moraliſtas multos, qui, deſpecta majori P. V., reducent quæſtionem ad minorem, quæ in praxi Moralium attenditur, quum dicitur: ſed ſic eſt, quod modo operor probabiliter tute; vel e contra: pendet enim in praxi tota ratio agendi a circumſtantiis particularibus, quæ in majori univerſali non conſiderantur.

9. Videat ergo P. V. quod neque ratione finis, neque ex ſecuritate Doctrinæ, neque ex neceſſitate Eccleſiæ vulgandus eſt liber famoſus, ſed potius ſupprimendus, ut exigit charitas, humilitas Societatis, & prudentia. Ne detur anſa Hæreticis, qui gratias agent P. V., quæ trahat poſt librum ſuum dedecus & Religionis Catholicæ, & Nationis Hiſpanicæ, & Societatis, quam nihil amat P. V. Tamen non ſic deſpicienda eſt Societas ex privata ſatisfactione genii proprii, vel obſecundatione hoſtium Societatis. Multi, quorum iſthic Romæ P. V. laudant, urgent, animant, ſed amicis ſuis ſcribunt gloriabundi, & quaſi triumphantes, quia Regnum diviſum, ut dicunt, deſolabitur.

10. Sunt vero multi, qui referunt, (ut finem, & intentionem P. V. videndi libri politicam, & ambitioſam aperiant) quidquid interceſſerit tempore Innocentii XI. inter P. V., & Dominos aliquos Romæ, quorum fides, quum eſſent amici Doctoris Arnaldi, eſt dubiæ fidei politicæ in intentionibus ſuis.

11. Poteſt inſuper P. V. hic recurrere memoria ad Annales Eccleſiæ, & aperte cognoſcet, quid deliberandum eſt, & quomodo. Quid ergo viſiones revocandæ, ut ajunt, in favorem P. V., quæ, ut fertur, nititur viſioni cujuſdam tirunculæ ſpiritus, quæ P. V., pro aſſerenda opinione probabiliori, a Deo electam venditabit? Quid ergo? P. V. operetur in hoc negotio juxta conſilium prudens PP. Aſſiſtentium, & viſiones relinquat fæmellis.

12. Sciet, quæ differentia evenerit inter Euſebium Epiſcopum, & Luciferum Calagurritanum, & quod tandem approbatus ſit ab Eccleſia, & a Deo zelus probabilis, & ſpiritus diſcretus Euſebii; Spiritus vero, licet tutior, & probabilior, ſed indiſcretus, & ſtrictior Luciferi in hæreſim Luciferianam erupit. Intelligenti pauca.

13. Sed plurima omitto, quæ poſſent opponi, non minus obſervanda, quam timenda a P. V. Unum non poteſt reticeri, quod multi inſimulant peccati mortalis reum Scriptorem cujuſdam Notificationis: Status famoſi negotii: in qua taxantur PP. Aſſiſtentes, & politice datur conſilium minuendæ auctoritatis P. Segneri apud Summum Pontificem. Quod, ſi vere in hoc mortaliter peccatur; quæ noxa fuit adhibere auctoritatem Regis Hiſpaniæ ad ligandam libertatem Societatis? Quid ſi Rex Galliæ contraponeret ſuam pro Societate? Quid ſi Imperator ſuam? Nonne Europa turbabitur? Et cui infamia tot turbarum addicetur? Nonne P. V. horret animus ex iſta cogitatione? ac precatur P. V., ut ex humilitate Societatis paci, famæ, & Sanctæ Fidei conſulat.

14. Addo, quod, ut cognovi ex diſcurſu doctoris cujuſdam vere in Moralibus, ut in Canonicis, & Hiſtoriis Eccleſiaſticis exculti, patat ſe doctor ille inſcribere librum, quo oſtendet duo: Primum P. V. nimis eo ſuo principio pro ſubjectiva probabiliori laxare conſcientias; ſequetur enim quiſque, quod ſibi videtur probabilius. Secundum exinde ab alio principio obligationis ſequendi tutiorem, & probabiliorem, ex charitate ſalutis propriæ, arctare nimis conſcientias, ſi applicetur principium minori: & ſic oſtendet, P. V. de conſequenti relinquere dubiam ſalutem tot Pontificum, & Epiſcoporum ob diſpenſationes, indulta &c. pro quibus non ſtat tutior, & probabilior; & ob collationes beneficiorum in ordine ad digniores &c. ſic ob regulas Cancellariæ, Datariæ &c. Quotque Simoniaci, quotque irregulares, ſuſpenſi &c. juxta Sacros Canones deprehendentur? Immo ex vi libri P. V. etiam Sanctos, & Canonizatos in dubio ſalutis vertet, qui probabilem pure in multis actionibus ſuis ſecuri ſunt.

13. Addo, præcipue diſplicere ſenſatis, piis, ac catholicis viris, quod nuperrime P. V. tantopere laudetur ab Hollandis in

Digitized by Google

ſuis liberculis, qui inter arguitas, & ſales nova & vetera vendunt. Cur tam adeo importuna laus P.V.ab illis venit? vel quia per ſequentias a principiis ſtrictioribus (ſunt enim Janſeniſtæ, & ejuſdem farinæ aſſertores) deducunt, quod reducenda ſit legis obſervatio ad difficile, & fere impoſſibile, & ſic P. V. cum illis ſentire; vel quia intendunt artificioſa laude oſtendere Mundo, quod P. V. Societatem ſuam, illis inviſam turbando, pro illis vindictam faciat; vel quia demeruit P. V. talem laudationem, eo quia citavit in ſuo libro ſcripta Vendrochii, qui Epiſtolas Provinciales famoſas latinas fecit; quæ tamen ſcripta Pariſiis a Carnifice combuſta ſunt. Sed tale Hæreticorum encomium nemo non videt. Si ſola P. V. non videt, quale opprobrium inurit famæ P. V., & triſtitiam Societati infligit?

16. Neque reticere valeo, quod P. V. non accommode citet Textus Janſeniſtarum, indicando, quomodo Societati laxitatem imponunt, & præcipue eos accipiendo a Litteris Provincialibus, quæ dæmoniaca verſutia ſcriptæ ſunt. Sed duo hic notanda. Primum, quod Hæreticorum iræ, & contra Societatem latratus ſunt Societatis panegiricus; neque illis ſtandum, qui ſenſus Societatis Auctorum falſant, neque citant, niſi mutilos, & ſibi accommodatos, & reſpondere faciunt dialogice a Patribus Societatis inſulſa, & debilia, quæ certe non reſponderunt in reſponſione, quæ typis videtur, & eſt antidotum illius veneni; & ideo debebat P. V. potius Societatis Scriptores defendere, quam eos confutare, in gratiam, & favorem Hæreticorum, cum tanto hoſtium Societatis triumpho. Secundum eſt, quod politica Janſeniſtica neſciens, quomodo Societatem, ſibi præceteris contrariam, impugnet, quum non poſſit in moribus, tentavit in doctrinis, & reſpexit ad opiniones benignas, quas dicunt laxativas; & ſic ſpecie ſolita pietatis, & apparentia boni animarum (adminiculis adhibitis aliorum) Societatem tentat evertere. Sed P. V. nondum hæc conſideravit.

Valeat P. V. Rev., & ſcribat æternitati, cui vivet, ſi Societatem amaverit, ut ego extraneus, qui dicor.

P. V. Reverendiſs.

Salisburgi 29. Julii 1693.

Humill. & Addictiſs. Servus

Wolfangus Prienzonius Canonicus.

Id extat in Bibliothecis, Fabroni Piſtorii, & Ferrari Sanctæ Sabinæ.

P. UNICUS.

Exſcriptæ hujus Epiſtolæ Author eſt Jeſuita Germanus. Variæ in eamdem breves animadverſiones.

I. QUin relatæ hujus Epiſtolæ Author ſit Jeſuita Germanus, qui eam vel conſcripſerit, vel dictaverit, nullus pene dubitandi remanet locus. Quæ ipſe enarrat, alius nemo, præter Jeſuitam, ſcire poterat, ſicuti plane probabile eſt, Num. 1. Epiſtolæ fit mentio Analyſis, ſive Compendii Operis Gonzalez, nec non Lucubrationis hiſtoricæ de probabilitate. Duo hæc M. SS. extant in Bibliotheca Cardinalis Ferrari apud Sanctam Sabinam, viſiturque aliqua in iis correctio manu Gonzalez. Ambo inedita ſunt. In lucem nunc minime typis eduntur, quod commoditas deſit illa ut exſcribantur, mandandi; cæteroqui vero ſunt Sinopſes Operis prælo excuſi, Pater Gonzalez horumce M. SS. iis dumtaxat copiam fecit, quorum intererat cauſa, uti Patris Ferrari, tunc Magiſtri Sacri Palatii intererat: proinde eſt perquam ſimile vero, illa in Germaniam extra Societatem non permeaſſe, Num. 13. Scriptum commemoratur, cui titulus: *Status famoſi Negotii*, agiturque reus gravis culpæ ſcripti ejuſmodi Auctor, quod imminuendam ſuggerat Patris Segneri apud Pontificem authoritatem in iis, quæ ad hanc Probabiliſmi attinent cauſſam, non autem in reliquis. O Probabiliſtarum inſignem Rigoriſmum in omnibus iis, quæ ab ipſis dilecto adverſantur Probabiliſmo! Quod autem Germanus ſit, fatetur ipſemet Num. 2. Demum, quod ſit Jeſuita Germanus, mitis ingenii, atque animi ingenui, aperte prodit ſcribendi ratio ſincera, ſimplex, pieque Societatis ſtudioſa. Queritur bonus hic Pater, quod Paſchaſius inducat *Dialogice* Jeſuitam loquentem feſtiva, ac leviſſima; ipſe tamen in hac ſua epiſtola dicta nobis quædam ſuppeditat, quæ reſponſis æquiparari valent, ab Jeſuita Paſchali adhibitis.

II. Num. 4. mentionem ingerit noſter Pater neceſſariæ Societatis Generali humilitatis. Proponit ceu typum ſpiritus Socie-

cietatis Generalem Caraffam, qui celebre Patris Tamburini probavit Opus; quin etiam impulit eumdem ad integrum Moralis ſuæ Theologiæ curſum publici juris faciendum. Huic Morali Theologiæ præ cæteris applaudebatur a Patre Eſparza, aliiſque Patribus cum Generalis Olivæ, tum Gonzalez, Adſiſtentibus. Hic autem ſpiritus eſt, quem in Generali Gonzalez optaret Pater Jeſuita Salisburgenſis: *Sic, ſi Paternitas Veſtra haberet humilitatem, & Spiritum Societatis, eo ipſo, quod Patres Aſſiſtentes repugnaverunt, deſtitiſſet ab inceptis.*

III. Num. 5. & 6. contendit noſter Auctor, ſpiritum Patrum Adſiſtentium Probabiliſtarum eſſe Spiritum Societatis; ſpiritum vero Patris Gonzalez eſſe ſpiritum privatum, ſingularem, in ſua pervicaciter obfirmatum ſententia. *Quare videat Paternitas veſtra, an ſit magis tutum ſequi ſpiritum privatum, an ſpiritum Societatis.* Societatis ſpiritus eſt ſpiritus D. Ignatii. Spiritus D. Ignatii hac in cauſſa expreſſe traditur in ſanctis ipſius legibus, quę in controverſiis, præſertim moralibus, ſequi jubent probabiliores, tutioreſque ſententias: *Sequantur in quavis facultate ſecuriorem, & magis approbatam doctrinam.* Ejuſmodi eſt Societatis Spiritus, non abſimili modo, quo Chriſtianę plebis Spiritus ex Evangelio colligitur, non autem ex hominum multitudine. Spiritus Patrum Adſiſtentium ſpiritus erat Factionis Probabiliſticę, quem, bono animo, aptiorem judicabant cum Societatis, tum Eccleſię decori. Spiritus Patris Gonzalez verus erat Societatis ſpiritus, prout declaravit Sanctus Pontifex Innoc. XII., ac nos infra videbimus. Lutheranus privatus ſpiritus, quem objicit Author ex Gonzalez doctrina fluere, nimium inepta res eſt, quam ipſe Gonzalez, & ante ipſum eximius Elizalde, ſatis, ſuperque diflavere.

IV. Qui in ſcenam inducitur, Janſeniſmus Num. 7. modo jam riſu digna evaſit objectio. Janſenii hęreſis, ad alicujus pręcepti impoſſibilitatem contracta, ad univerſę Legis abſolutam impoſſibilitatem protenditur. Poſito, inquiunt, Probabiliſmo, lex univerſa fit obſervatu impoſſibilis, cum Probabiliſmus id unice ſpectet, ut a Legis eximat obſervantia, utque illam proinde minime obſervabilem reddat: Probabiliſmus autem in id maxime intendat, ut homines ad perficiendam legis obſervantiam adducat. Sed noſtrorum Probabiliſtarum effugia ſunt jucunda, & lepida. Quod autem ſpeculativum Patris Gonzalez ingenium, utpote bonum, laudetur, non autem laudetur practicum, quemadmodum Num. 8. indicatur, nihil refert: Probabiliſticum commentum eſt.

V. Cenſura, qua Generalis Gonzalez reprehenditur, quod nullo erga Societatem afficeretur amore, *quam nihil amat*, toti injuriam infert Societati. Nunquid Generalem ſuum hęc virum elegerit, nulla plane benevolentia ipſam proſecutum? Nimium hebetudinis in electoribus illis ponit Pater Salisburgenſis: eo vel maxime quod cępta eſt contentio de ejus libro anno 1674. poſt tria vero luſtra, & amplius, id minime invidioſo libro prohibente, electus fuit Generalis. Singularem itaque fuiſſe, dicendum eſt, ejus virtutem, ejus doctrinam, ejus zelum pro Societatis decore. Verum quidem eſt, Innocentium XI. ejuſmodi ſeſe immiſcuiſſe electioni: ſi tamen Gonzalez dari potuiſſet exceptio aliqua, hanc taciti minime pręteriviſſent Electores, illorum omnium conſcii, quę ſub Generali Oliva, ejuſdemque Adſiſtentibus evenerant. Quę opponitur Num. 10. neceſſitudo inter Gonzalez, nonnulloſque Romanos nobiles viros, cum D. Doctore Arnaldo litterarum commercium habentes, Innocentio XI. Pontifice, luſoria quędam charta eſt, eaque in Probabiliſtico ludo uſitata. Ingenii vis, animique Gonzalez magnitudo in vindicanda adverſum laxam, tutiori doctrina, nullo plane nitebantur modo *Tiruncula*, ſeu mulierculę viſis, ſed Scripturarum, Patrumque doctrina. Qui primus tantum Generalem appellavit *Viſionarium*, fuit pius Miſſionarius P. Paulus Segneri, ſicut ex ipſius circa probabile epiſtolis compertum eſt, atque in Probabiliſmi Hiſtoria fuit obſervatum.

VI. Amplificat Num. 13. veluti immane ſcelus, fidem, atque clientelam, in quam Hiſpaniarum Rex Hiſpanum Generalem recepit, cujus documentum fuit ſupra relatum. Conferunt animadverſiones iſtæ Salisburgenſis Jeſuitæ noſtri ad confirmandam documentorum, quæ allata ſunt, fidem, cum ipſe, ceu teſtis ejuſdem ætatis, ac temporis, mentionem præcipuo-

Digitized by Google

rum injiciat: quamvis certa ſint adeo, ut probationibus non indigeant. Hiſpaniarum Regis præſidium ſibi nequaquam quæſivit Generalis; ſed Cardinalis de Aguirre, ut vidimus.

VII. Doctor cum Canonum, tum Hiſtoriæ peritus, de quo verba fiunt Num. 14., nondum ex charitate librum, quem minitatus eſt, vulgavit. Duo, quæ probanda ſibi ſumit, capita ſunt equidem digna ſcitu: alterum potiſſimum magni eſt momenti, cum dicatur, Gonzalez doctrinam in dubiis relinquere tot Pontificum, tot Epiſcoporum ſalutem ob tot diſpenſationes, tot indulta, ob collationem tot beneficiorum, quæ ſunt dignioribus conferenda, ob regulas Cancellariæ, Datariæ, &c. Verum enimvero quid hic probandum ſuſcipit Reverentia tua? Nunquid Probabiliſmum certam omnium Pontificum, omnium Epiſcoporum ſalutem reddere? Una Evangelii obſervantia, non autem Probabiliſmi, ad Paradiſum certiſſime evehit. Quonam Reverentia tua pacto Cancellariæ, ac Datariæ Regularum ingerit hoc loci mentionem? Anne igitur, tuo quidem judicio, unus Probabiliſmus uſum ejuſmodi regularum innoxium efficere valet? Regulæ illæ a piis, ſanctiſque legislatoribus ſanciuntur. Vitia, quibus humana fragilitas iiſdem poſſet abuti, anne veſtro ſanctificantur Probabiliſmo? minime ſane. Quonam igitur pacto, inquio denuo, ingeritur mentio hoc loci *Cancellariæ*, *Datariæ* &c. *Simoniacorum*, *Irregularium* &c. Admiratione igitur, quicumque nunc tuum inter alios perlegerit numerum, corripietur.

VIII. Quid Patri Gonzalez vertitur culpæ, ſi eum Batavi laudent? At hi ſunt Janſeniani. Quid tum inde? Nunquid nefas eſt a Lutherano laudari Catholicum? Erit autem vituperabile, a Janſenianis laudari Patrem Gonzalez? Hic Vendrochium appellat ex æquo, & bono, atque ubi recte docet Vendrochius, prout ubi venit illi Probabiliſmum refellenti: quidquid autem pravi docet, prætermittit. De Provincialibus epiſtolis nullum facit verbum, cum hæ Carnificis manu fuerint combuſtæ; nec uſquam fuit de iiſdem honorifice Pater Gonzalez locutus, nec, quos in medium affert textus, ex illis deſcripſit. Sed putant boni Probabiliſtæ, tantummodo Paſchali, Nicolio, & Arnaldo præſto fuiſſe oculos ad videndum, mentemque ad intelligendum Caſuiſtas Probabiliſticæ Scholæ. Hac tamen in re nimis aperte falluntur; jamque hactenus debuiſſent errorem abjicere, tot cernentes in lucem prolatos textus, totque detectas rationes, quæ Paſchalem, Nicolium, & Arnaldum fugerunt.

CAPUT XXV.

Documentum Decimumquartum.

Patrum Adſiſtentium libellus ſupplex ad Reverendiſſimum Patrem Ferrari, Sacri Palatii Magiſtrum, adverſus librum Patris Generalis Thyrſi Gonzalez.

I. Adjuncti ſupplicis libelli autographum in Bibliotheca Sanctæ Sabinæ adſervatur, Patris Euſebii Thruchſes manu, quantum quidem conjici poteſt, exaratum. Varia in ipſo attinguntur capita, quæ, habita cauſſæ noſtræ ratione, haud levis ſunt momenti. Nonnulla ex ipſis ego indicabo: aliorum vero penes ſapientem Lectorem judicium eſto.

II. Inter Authores, de prava doctrina ſuſpectos, recenſetur Pater Michael Elizalde, pietate, atque doctrina inſignis. Ipſius liber, ſapientia cœleſti refertus, deſcribitur Inquiſitorum cenſuræ obnoxius. Indigne fertur, commendari a Patre Gonzalez Antiprobabiliſtas Theologos: illi autem Theologi, qui recentem Probabiliſmum oppugnant, in invidiam adducuntur. *Illud quoque animadverſione dignum, quod Auctor eos omnes laudet, ac magni faciat, quicumque benignam inſectentur ſententiam, ut ut alias ſint ſuſpecti. Certe multa exſcribit ex libro Michaelis de Elizalde: quod neque decorum eſt, cum liber ille Societati probatus nunquam fuerit, neque tutum ſatis, cum is ſub Cenſura eſſe dicatur Sacrorum Inquiſitorum.* Ita de Opere ſcribitur, quo nullum melius, imo (abſit verbo invidia) nullum par hoc in genere typis uſque adhuc a quopiam Societatis Theologo editum fuit. Tantum caliginis mentibus ſapientia fulgidioribus offundere valet Probabiliſmus!

III. Alterum, quod ego maximi momenti eſſe arbitror, caput, illud eſt, quod Numero VII. adjuncti ſupplicis libelli ſubjectum eſt. Improbatur hic Pater Genera-

neralis Gonzalez, quod ſanam Antiprobabiliſticam Doctrinam propugnet, oppugnetque Societaris legibus, Congregationum Decretis, Generalium epiſtolis Probabiliſmum. Eo id ſpectat, ut Theologis Probabiliſtis Jeſuitis fides, & auctoritas derogetur. Si violent hi leges ſuas, recenti benignæ Doctrinæ oppoſitas, clam corripiantur, non palam rubore ſuffundantur. Sed quid, ſi quid ſecretæ correctiones minime proſint? Quid, ſi malum in ore, atque oculis omnium verſetur, & ſi commune labeſactet Eccleſiæ bonum? Nonne mandat Jeſu Chriſti Evangelium, palam peccantes redarguendos? Exſcribamus Patrum Adſiſtentium verba: *Denique, cum liber iſte, de quo agitur, publici futurus ſit juris; iis tantummodo argumentis Auctor utatur, quæ, ſi quam habent vim, apud omnes habeant. Non igitur Conſtitutionibus noſtris, non Decretis noſtrarum Congregationum, non Præpoſitorum noſtrorum epiſtolis in benignam ſententiam pugnet.* Quid vobis videtur Reverendi Patres, Gagna, Ghezzi, Lecchi, voſque cæteri Jeſuitæ e partibus probabiliſticis? Almi Patriarchæ veſtri leges, ejuſque doctiſſimorum Sociorum, Decreta a Societate, ſuis in Congregationibus coacta, edita; celeberrimorum Generalium veſtrorum Epiſtolæ, nulliuſne ſunt fidei, nullius apud homines auctoritatis, ſi Buſembau, La-Croix, Viva probabilem reddant ſententiam aliquam? Doctiſſimorum Theologorum, Sanctique Patriarchæ Ignatii leges nunquid apud Chriſti fideles nullius ſunt ponderis? nullius apud Theologos? *Quid enim hæc ad exteros?* Verum enim vero, Reverendi Patres, ſi Societatis univerſæ, ſuas leges ſancientis, auctoritas nullius apud exteros ſit ponderis; quanam valebunt auctoritate apud Deum opiniones Probabiliſticæ, queis moderantur Jeſuitæ Probabiliſtæ Chriſti fidelium conſcientias? *Noſtri ſi adverſus iſta peccarent, non illi, edito in publicum libro, ſed privatis, vel encyclicis litteris monendi, & corrigendi forent.* Dictum jam eſt, in privatis, occultiſque, non autem in publicis erroribus id eſſe obſervandum.

IV. Cenſent Patres Adſiſtentes, opinionem minus probabilem, cui benignitatis larvam adjiciunt, latiſſime in Societate patere, ac pene proſcriptam eſſe probabiliorem. *At enim qua ratione poteſt Pater Generalis contendere ejus ſententiæ patrocinium noſtris adverſari legibus: quæ ſententia in Societate uſque adeo communis ſemper fuit, ut contraria videri propemodum potuerit a Societate proſcripta.* Ah! Quidnam, ſi inter viros degeret Pater Stephanus De-Camps de ejuſmodi diceret aſſertione? Adeo laboravit ille, ut Paſchali oſtendere haud eſſe Probabiliſmum Societati communem ſententiam: nunc autem ipſimet Generalis Jeſuitarum Adſiſtentes affirmant, communem Jeſuitarum doctrinam eſſe Probabiliſmum; eſſe vero Antiprobabiliſmum a Societate fere proſcriptum. Hac ratione litem adjudicant Auctori Provincialium epiſtolarum illarum circa caſuiſticas laxitates quas tantopere deteſtantur, declarantque, cauſa cadere Patrem Des-Camps, ac ſubinde Fabros, Danieles, Rainaudos. Ecce quam neceſſarium erat, in lucem prodire veras Societatis Vindicias. Hi Reverendi Patres Adſiſtentes, cum cernant, a frequenti Caſuiſtarum Jeſuitarum manu defendi Probabiliſmum, eumdem putant Societatis doctrinam eſſe. Ne vero in oculis omnium contemptores legum ſuarum appareant hi Caſuiſtæ, nolunt propterea in Probabiliſmum Patrem Generalem propugnare Sancti Ignatiis legibus, nec ſapientum Generalium epiſtolis, nec Societatis Congregationum Decretis. Verum enim vero vel leges iſtæ adverſantur Probabiliſmo, vel ſecus. Si negent; Generalem, eas proferentem, deſerit fides: ſi aſſerant, juſtum eſt, Jeſuitas Probabiliſtas innoteſcere legum iſtiuſmodi contemptu, Societatemque immunem fieri a labe tuendi Probabiliſmum. Ex allatis Monumentis conſtitit ſemper, Spiritum vi legum, Decretorum, Epiſtolarum Præpoſitorum Generalium, dominantem in Societatem bellum Probabiliſmo intuliſſe. Idcirco nollent Reverendi Patres Adſiſtentes ſuum Generalem ejuſmodi objicere Leges, De rera, & Epiſtolas. Sed inania evaſerunt ipſorum molimina, abrogata fuit fides Probabiliſmo, ac triumphatrix manſit veritas. Legatur ex toto Libellus ſupplex.

Digitized by Google

Num. XIV.

Rev., ac Colend. Pater.

I. SAnctiſſimus Dominus noſter juſſit, nos referre ad Rev. P. V., ſi quæ nobis circa librum Patris Noſtri Generalis occurrerent. Id ergo in præſenti facimus, ea cum fiducia, quam in æquitate, prudentia, & charitate Reverendiſſimæ Paternitatis Veſtræ maximam ſemper repoſuimus.

Equidem ſingularem, ac propriam Patris Thyrſi Gonzalez de uſu opinionum probabilium ſententiam improbarunt olim viri egregie docti: ac hodie quoque complures ſunt, qui gravibus illam laborare incommodis, adeoque non ſatis tutam putent. Illud tamen haud admodum nos habet ſollicitos. Nam, ſi quid revera ſit in ea ſententia non ſatis ſincerum, ac tutum, id certe oculorum, ac ingenii aciem Rev. Paternitatis Veſtræ non effugiet.

Quod ſi operæ pretium videbitur librum hunc prodire in lucem (& erit ſaltem hoc operæ pretium, quod anſam ſit daturus multarum concertationum) prodeat ſane, bonis avibus; ſed prodeat rogamus, quam accuratiſſime caſtigatus. Quæcumque igitur vel amputanda omnino, vel emendanda Reviſoribus viſa ſunt, ea ut emendentur, amputenturve, majorem in modum expoſcimus. Ac quamvis non eadem ab omnibus eſſent notata, ſed quædam ab uno quopiam illorum, quædam ab alio; ſi tamen acceſſerit judicium Rev. P. V., ſuo ipſa jure poterit ab Auctore exigere, ut ea omnia emendet. Juvabit autem Reviſorum notas, non ut a ſingulis quæque profectæ ſunt (nam ſingulorum ille judicia parvi forte pendenda curet) ſed indiſtinctas, atque unam velut in maſſam coactas, ipſi tradi, ut ex earum præſcripto minus gravate librum ſuum emendet.

2. Nos, qui librum, ut ab Auctore recoctus eſt, non vidimus, ſed eum dumtaxat, qui Dilingæ primum fuit typis excuſus, ſumma quædam capita perſtrigemus, quæ Dilingano in Libro maxime diſplicuerunt, quæque proinde ab hoc altero procul abeſſe cupimus.

3. Primum eſt, quod Auctor Libro illi narrationes alienas admiſcuerit admodum odioſas. Si ergo in reformato etiam Libro (quod equidem pronum eſt) aliquæ ſupereſſent ejuſmodi narrationes, eas ut Rev. P. V. prorſus eliminet, etiam atque etiam rogamus. Theologum agat Auctor, non Hiſtoricum; adeoque nec Libri ſui facta recenſeat, nec ipſius Probabiliſmi (ut ipſe loqui amat) ortum, progreſſum, & quinam illum vel retineant adhuc, vel repudiarint, enarrandum ſibi ſumat. Hæc enim & invidiæ cum primis obnoxia ſunt, & demi nullo negotio poſſunt.

4. Illud deinde Dilingano in libro vel maxime offendit, quod in ſententiam benignam de uſu opinionum probabilium tragicis Auctor declamationibus invehitur, ac neque maledictis parcit, neque cenſuris. Pravam omnino eſſe pronunciat & laxarum omnium opinionum animam, adeoque unam omnium maxime pernicioſam, quippe quæ promptum omni fere licentiæ (ut ipſe quidem arbitratur) præſtet patrocinium. Neque dubitat edicere, illam ab Apoſtolica Sede ſerius ocyus confixum iri: quod ipſum eſt anticipare cenſuram. Quin immo illam ab Innocentio XI. jam prædamnatam eſſe contendit, atque in eam recidit ſententiam, quæ 3. eſt inter 65. ab illo Pontifice confixas. Nimirum hoc ipſo, quod e duabus oppoſitis opinionibus altera ſit probabilior, alteram Auctor hic noſter exiſtimat non eſſe probabilem, niſi forte tenuiſſima quadam probabilitate, qualis probabilitas tutam reddere conſcientiam non poteſt. Quamobrem & peccati eos confidenter condemnat, quicumque in agendo, relicta probabiliore opinione, minus probabilem ſequuntur. Mirum autem, quod is nihilominus Theologos, qui hoc licitum eſſe docent, abſolvit a peccato, niſi forte id tantum facit ad minuendam invidiam. Rectius olim, & animoſius, cum ipſos etiam benignæ ſententiæ doctores reos egit peccati; quidni enim peccet, qui alteri eſt auctor, ut peccet.

5. Illud quoque animadverſione dignum, quod Auctor eos omnes laudet, ac magni faciat, quicumque Benignam inſectentur doctrinam, utur alias ſint ſuſpecti. Certe multa exſcribit ex libro Michaelis de Elizalde: quod neque decorum eſt, cum liber ille Societati probatus numquam fuerit, neque tutum ſatis, cum is ſub cenſura eſſe dicatur Sacrorum Inquiſitorum.

6. Veremur equidem, Reverendiſſime Pater, ne priori libro, velut fermento uſus ſit

ſit Auctor ad conflandam maſſam ejus libri, quem nunc offert recoctum. Rogamus itaque, ac vehementer rogamus, ut quidquid eſt ejus fermenti, expurgetur. Satis ſit Auctori, quod ſuam ei propugnare ſententiam conceditur: cæterum cohibeat cenſuras, & maledictis abſtineat.

7. Denique cum liber iſte, de quo agitur, publici futurus ſit juris; iis tantummodo argumentis Auctor utatur, quæ, ſi quam habent vim, apud omnes habeant. Non igitur Conſtitutionibus noſtris, non Decretis noſtrarum Congregationum, non Præpoſitorum noſtrorum Epiſtolis in benignam ſententiam pugnet: quid enim hæc ad exteros? Noſtri ſi adverſus iſta peccarent, non illi, edito in publicum libro, ſed privatis, vel encyclicis litteris (ita enim fieri conſuevit) monendi, ac corrigendi forent. At enim qua ratione poteſt P. Generalis contendere, ejus ſententiæ patrocinium noſtris adverſari legibus, quæ ſententia in Societate uſque adeo communis ſemper fuit, ut contraria videri propemodum potuerit a Societate proſcripta? Quid? Adeo ne fuit excors Congregatio 13., quæ liberum noſtris eſſe declaravit, Benignam, aut Rigidam, prout quiſque mallet, tueri ſententiam; adeone, inquam, excors fuit, ut non modo non viderit priorem illam, quam benignam vocamus, certam eſſe animarum perniciem; ſed neque animadverterit, noſtris eam Inſtitutis, ac Legibus adverſari? Quod ſi tamen hoc illa non vidit, quidni cogatur alia, cui P. Generalis iſta perſuadeat, quæ ipſe ſibi tam firmiter habet perſuaſa? Interim pudori noſtro parcat, nec iſta proferat in medium.

8. Sed neque ſui de hoc libro edendo conſilii eam afferat rationem, quam Dilingano in libro attulit, eluendam videlicet hoc pacto fuiſſe maculam illam, atque ignominiam, qua Societatem adverſarii affecerint, dum molliorem iſtam, laxioremque, ut ipſis videtur, de uſu opinionum probabilium ſententiam Societatis eſſe proprium, dictitarunt. Itane vero diluenda macula? Quid eſt hoc, rogo, aliud dicere, quam ignominioſam eſſe, ac omnino pudendam eam ſententiam. Si enim illa pudenda non eſt, nulla quoque foret Societatis ignominia, nulla macula, quamvis eam ſic eſſet amplexa, tamquam propriam. Nos quidem negamus, hanc eſſe propriam Societatis ſententiam, quia revera non eſt: nam neque primi eam in ſcholas inveximus, neque ſoli tenemus, neque, ut eam tueamur, ulla lege adſtringimur. Non autem iccirco eam nobis propriam non fecimus, quia hoc ſit ignominioſum: nam ſi eſſet, ne pateremur quidem, eam eſſe in Societate communem. Quibus autem pudenda hæc ſententia videtur, uti certe videtur noſtris adverſariis; num illi bene abſterſam putabunt hanc maculam, ſi Præpoſitus Generalis, immotis cæteris, ac in priſtina uſque ſententia perdurantibus, edito libro, profiteatur, ſe non eſſe in ea ſententia? Se quidem ille ab hac, quam putat, ignominia eximet, non Societatem. Quæ cum ita ſint, quamvis aliam potius conſilii ſui rationem afferat, quam iſtam, qua nihil conficitur aliud, quam communem illam noſtrorum, aliorumque ſententiam, ipſius quoque Præpoſiti noſtri Generalis judicio eſſe pudendam: Sin alia non occurrit, nullam afferat: nec enim neceſſe eſt ſcire lectores, cur ille hunc librum edat.

9. Ad extremum deſideramus majorem in modum, (id, quod forte primo loco dicendum fuerat) ut ne liber iſte ipſius P. Generalis nomine prodeat. Haud ægre is quidem omiſſurus videtur titulum Præpoſiti Generalis; quamvis in Dilingano libro non omiſerit. Etenim grave ipſi eſſe non poterit, imitari hac in parte modeſtiam P. Olivæ, qui nullis ſuis libris titulum Generalis appoſuit; præterquam Allocutionibus domeſticis, quas cum ex Præpoſiti officio habuerit ad noſtros, Præpoſiti quoque titulo inſcribendas merito exiſtimavit. At enim nos amplius aliquid a P. Thyrſo cupimus, videlicet ut libro huic ne P. Thyrſi quidem, ſed alterius cujuſpiam e noſtris nomen præfigatur, eo tamen pacto, ut is, cujus præfigitur nomen, in ipſa ſtatim Præfatione omnia iſta e ſcriptis Salmanticenſibus P. Thyrſi Gonzalez a ſe deſumpta eſſe profiteatur. Præſto eſt qui ſuum commodare nomen poſſit, P. Rubius: nec erit invitus, cum totus ſit in ſententia P. Generalis.

Sed nec ipſe P. Generalis cauſam abnuendi habet. Quippe principio ſtatim cum Aſſiſtentes interceſſerunt, ne librum iſtum ederet, quamquam hoc abnuit, tamen ſe Aſſiſtentibus daturum profeſſus eſt, ut, non ſuo, ſed alterius e noſtris, vel etiam nullius certi Auctoris nomine, liber prodeat.

At

At enim ille liber erat ejuſmodi, ut neque, ſi ab alio quocumque noſtri Ordinis eſſet ſcriptus, tolerari poſſet. Ut autem nullius certi Auctoris nomine prodiret, non videbatur committendum, cum id legibus non ſit conſentaneum. Nunc ſi correctus ſit liber, prodeat is quidem, ſed alterius præferat nomen, non ipſius Generalis.

10. Ita conſequetur P. Generalis, quod unum ſemper cupere viſus eſt, ſua ut doctrina prodeat in lucem ad Chriſtianæ ſcilicet Reipublicæ utilitatem; Sed & conſtabit, (ſi hoc quoque cupit) ipſius hanc eſſe doctrinam, quamvis alius eam protulerit in lucem. Duplex autem ex hac ipſa nominis diſſimulatione habebit commodum. Primum quod minorem noſtris dolorem afferet hic ejus liber, quo communis fere omnium impugnatur doctrina; ſi non ipſe illum edat, tametſi ab alio eum edi permiſerit. Alterum, quod ita ſibi magis conſulet. Si enim ipſe palam deſcendat in arenam pugnaturus cum ſuis, in ipſum cadent repugnantium tela: ſi alter, ejus inſtructus armis, in hunc ferentur.

Et prævidemus ſane, non defuturos, qui hunc librum, editis itidem libris, refutandum ſuſcipiant. Quid vero tum aget P. Generalis? Equidem, ſi ſuo nomine librum emiſerit, putabit quoque, ſuarum eſſe partium (nam ita eſt ingenio comparatus) quæ contra ſint ſcripta, refellere. At enim hæc pugna, præterquam quod parum decora ſit futura, multum quoque incommodabit Gubernationi; nullus enim erit ſcribendi finis. Si reſpondendi vices alteri commiſſurum ſe dicat; recte illud quidem, ſed quanto ſatius foret, nunc librum prodire alterius nomine, quam ut alius tum demum prodeat in circum, cum ipſius P. Generalis auctoritas, & exiſtimatio jam fuerit vel protrita, vel detrita?

11. Rogamus itaque, quanta poſſumus contentione, Reverendiſſimam Paternitatem Veſtram, hoc ut efficiat, ne liber ille prodeat ipſius Patris Noſtri Generalis nomine inſignitus. Facile vero id efficiet, ſi quas nos attulimus rationes, ſuo ipſa calculo apud Summum Pontificem approbaverit. Deus Optimus Maximus Reverendiſſimam P. V. diutiſſime ſervet incolumen, & omni bonorum genere cumulet.

Ex Domo Profeſſorum 7. Septembris 1693.

CAPUT XXVI.

DOCUMENTUM DECIMUMQUINTUM.

Epiſtola Patris Euſebii Truchſes, Germaniæ Adſiſtentis, ad Patrem Ferrari, Magiſtrum Sacri Palatii.

Num. XV.

Reverendiſſime Pater.

HEri veſperi, & hodie mane, Paternitatem Tuam Reverendiſſimam veni allocuturus; ſed, cum haud mihi, ut te invenirem, contigerit, ad conſcribendum hoc epiſtolium neceſſitate compellor, ſignificandi ergo Paternitati Tuæ Reverendiſſimæ, valde prolixam Generalem noſtrum Præfationem eo conſilio adornaſſe ut ſuo eam libro præmitteret. Porro ejuſmodi Præfatio, quantum conjicere nobis licuit, a noſtris Reviſoribus non fuit recognita: valde tamen eget ipſorum operæ. Verum eſt quidem, Patrem Generalem familiariter eam tradidiſſe viſendam Patri Adſiſtenti Galliæ: ſed hic teſtatus fuit, ſe non alia ratione, quam amicitiæ eamdem luſtraturum eſſe; tot nihilominus, quæ ſibi nequaquam arridebant, adnotavit, ut iis integram chartæ plagulam impleverit; eamque tradidit Patri Generali. Jam vero cum ex officio recognoſcenda ſit hæc Præfatio, ſinat Paternitas Tua Reverendiſſima, ut ego in memoriam revocem tibi commune Patrum Adſiſtentium deſiderium, qui cupiunt, ne Auctor in Præfatione profiteatur, ſe, tanquam ſuum, non habere iſtiuſmodi librum, in Germania ſuo ſub nomine impreſſum, nec alia, quæ circumferuntur, de eodem argumento ſcripta. Cauſſas non repeto, cur id nobis videatur eſſe neceſſarium, cum eæ ſatis, ſuperque in libello ſupplici Paternitati Tuæ Reverendiſſimæ porrecto, fuerint explicatæ. Id unum addo, revera quoddam ex illis ſcriptis, hunc præferens titulum: *Vis rationum*, fuiſſe Venetiis procuſum, ſi titulo habeatur fides, vel Neapoli, ſicut diverſa produnt indicia. Poſtremo te obſecramus, ut D. N. ſignificare velis, illud expetere Patres Adſiſtentes, ne prodeat liber, Generalis noſtri inſignitus nomine: idque propter cauſas

ſas in *noſtro* quoque *ſupplici libello* explicatas. Paternitas Tua Reverendiſſima jus ra noſtra, quæſo, ſuo confirmet patrocinio. Gratuiti beneficii loco habendum eſt, ſi Generali permittatur, ut denuo ſuum hunc librum ei liceat prælo ſubjicere, quamvis emendatum, cum antea eumdem recudendum mandaverit ſine Paternitatis Tuæ Reverendiſſimæ facultate. Non erit igitur, cur ille queratur, quod in lucem ſuus liber non emittatur, niſi certis quibuldam conditionibus. Humili obſequio Paternitati Tuæ Reverendiſſimæ ſalutem dico, tuæque eximiæ charitati, atque prudentiæ omnia commendo.

Ex Domo S. Andreæ ad Quirinalem VII. Idus Octobris *1693*.

Extra

Ad Rereverendiſſimum Patrem, P. Magiſtrum Sacri Palatii Apoſtolici.

Humillimus Servus
Euſebius Truchſes.

Exiſtit Autographum inter Cardinalis Ferrari M. SS. in Bibliotheca Sanctæ Sabinæ.

Epiſtola hæc id unum habet peculiare, quod conſtantem, obſirmatumque Patrum Adſiſtentium animum in repugnando contra ſuum Generalem in hac controverſia prodat.

CAPUT XXVII.

Documentum Decimumsextum.

Procuratorum Provinciarum Congregatio fuit habita deliberandi ergo, an foret Congregatio Generalis indicenda, ex qua pendebat ſors Generalis Gonzalez, eo quod Probabiliſmum oppugnaverit.

I. POſt tot moleſtias, diſceptationes, negotia, atque tergiverſationes habita fuit tandem Generalis Congregatio menſe Novembri anni 1693. Romana Provincia, quæ Procuratorem ſuum delegit inter primas, cæteris exemplo ſuo haud levem tribuit impulſionem. Pater Paulus Segneri, præfatæ Provinciæ renunciatus Procurator, auctoritatis plurimum Factioni Probabiliſticæ conciliabat. In Caſanatenſis Bibliothecæ M. SS. notato *Num.* 33. dicitur, una cum Patre Segneri electum fuiſſe Patrem Alemani, & a Secretis Patrem Marchino. Hujuſce M. SS. Authorem ipſemet ait Jeſuitam eſſe. Ego quidem, ad me quod attinet, neque Jeſuitam eſſe Authorem cenſeo, neque vera eſſe illo contenta, ea præſertim, quæ pii Patris Segneri obſunt exiſtimationi; qui ſi ferventi, conſtantique ſtudio pro cauſa pugnavit Probabiliſtica, ita egit, ut juſtam propugnaret cauſſam, frequentiori Jeſuitarum ſuorum Probabiliſtarum ſuffultam numero.

II. Plura nobis deſunt documenta huc ſpectantia, eo quod non fuerint ſingula ſive Cardinali Fabroni, tunc temporis a ſupplicibus libellis, exhibita, ſive Cardinali Ferrari, tunc Sacri Palatii Magiſtro. Latent tamen ſingula hæc documenta in Societatis tabulariis concluſa. In Jeſuitarum eſt manu, eadem in lucem proferre ad hanc illuſtrandam Hiſtoriam. Enimvero potiuſquam certos quoſdam typis ederent libros a capite ad calcem ita compoſitos, ut cavillationibus factum aliquod implicent, vel infeliciter aliquod Hiſtoriæ Probabiliſmi perſtringant verbum, deberent Probabiliſticæ cauſæ ſtudioſi, ſingula, quæ ad hanc pertinent controverſiam, publici juris facere documenta, ut plenum eidem lumen afferrent. De Probabiliſmi queruntur Hiſtoria Jeſuitæ Probabiliſtæ: innumeras ea contineri falſitates, proclamant. Quare igitur in lucem non proferunt ipſi germanæ, graviſque corpus Hiſtoriæ, cum ſint penes ipſos Documenta?

III. Inter M. SS. Cardinalis Fabroni, in Piſtorienſi Bibliotheca exiſtentia, ad Procuratorum Congregationum ſpectantia, ſequens invenitur documentum, in quo refertur, ex 26. Provinciis, quarum erat judicare, an cogenda eſſet Congregatio Generalis, quatuordecim refragatas fuiſſe ſuffragio: eæ autem nominatim appellantur. Integrum documentum exſcribam.

Num. XVI.

Ex Provinciis 26., quarum eſt judicare de cogenda Congregatione Generali, judicarunt, non eſſe cogendam.

Caſtellana.
Aragoniæ.
Bætica.
Luſitana.
Sardiniæ.
Flandrobelgica.
Gallo-Belgica.
Rheni Superioris.
Germaniæ Superioris.
Auſtriæ.
Bohemiæ.
Poloniæ.
Lithuaniæ.
Toletana ſub conditione, ſi libri controverſia antea compoſita fuerit.

N O T A.

1. Aliquot Provincias nondum celebraſſe Congregationem.

2. Rhenanam inferiorem judicaſſe, eſſe cogendam, ſed uno ſupra medietatem ſuffragio.

3. Aliquot ex ſupradictis Provinciis judicaſſe, non eſſe cogendam, nemine diſcrepante.

4. Hactenus nullam ex omnibus Provinciis, quæ judicarunt, Congregationem Generalem eſſe cogendam, etiam Romanam, alia ratione motam, quam ex ea, quæ petita eſt a controverſia de publicatione libri de recto uſu opinionum Probabilium.

IV. Res graviſſimi ponderis, maximique momenti hęc eſt, quę dilucide patefit hoc loci, quęque alias in documentis cęteris indicatur: nimirum ſolum tuendi Probabiliſmi ſtudium, ſeu mavis zelum unicam fuiſſe, ac prępollentem adeo univerſalis motionis cauſſam. Incredibile videtur tam exiguam favillam potuiſſe tam univerſale incendium excitare; Rempublicam ſacram tam ſapientem, tam doctam, tam de ſuo decore ſollicitam, tam ſolertem in tegendis, celandiſque negotiis domeſticis, eventibus interioribus, haſce omnes pręvalidas proculcaſſe rationes, hoſque omnes fines tranſiliiſſe; ſiuere potuiſſe ad indictum ſe adduci bellum civile caput inter, ac membra, inter ſubditos, ac Prępoſitum. Id genus facinoris ex illorum numero eſt, quę ſatis abunde ſunt declarando imparem omnino eſſe politicem, imparem ſagacitatem reprimendis humanę naturę aggreſſionibus. Cupiditas cupiditatem ſuperat; ſtudium pugnat adverſus ſtudium abſque eo quod infelix mens noſtra percipere ſemper queat, & internoſcere verum a falſo, bonum a malo, ſine ope cæleſtis luminis.

C A P U T XXVIII.

In Generali Procuratorum Provinciarum Congregatione ſeptemdecim captum ſuffragiis conſilium fuit de Generali convocanda Congregatione: ſexdecim autem in contrariam itum eſt ſententiam.

I. Menſe Novembris an. 1693. conventum egerunt Patres Procuratores de magno conſulturi negotio, de cogenda videlicet, aut ſecus Generali Congregatione, in qua corripiendus vel ſuo munere abdicandus eſſet Generalis, prout magis expedire viſum fuiſſet majori Societatis bono. Gratiſſima Societatis lege ſancitum eſt, cogendam eſſe ſingulis novem annis Generalem Congregationem. Hujuſce legis hic eſt finis, in officio continere Generalem cum Adſiſtentibus, in quorum agendi rationem pręcipue inquirendum eſt in ejuſmodi Congregationibus, eaque emendanda, caſtiganda, vel probanda eſt, atque commendanda. Executioni fuit mandata lex hęc ſub Sancto Franciſco Borgia. Iis, qui ſucceſſerunt, Generalibus haud viſum illam obſervare. Ac tandem qui nunc rerum potitur, Pater Reverendiſſimus Generalis Retz Breve impetravit, quo abrogatur pręfata lex. In aliis Ordinibus Religioſis eadem pręſcribitur lex, immo diſtrictius. In Dominicana familia primo ſingulis annis, deinde vero ſingulis trienniis habebantur Generalia Comitia, in quibus de Regulari agendum eſſet diſciplina, ac prętertim de Generalis vivendi, agendique ratione, ut delinquens corriperetur, vel ſua exueretur dignitate, niſi correctionibus flecteretur. Generalis eſt indicere hęc Comitia. Attamen ſi deſidioſus ipſe foret in hoc ſuo munere perfungendo, Provinciarum jus

Digitized by Google

eſt, pleriſque ipſarum in eamdem ſententiam euntibus, poſtulare, ac efficere, ut Ordinis Generalia celebrentur Comitia. Verum refrigeſcente in quolibet Religioſo Inſtituto diſciplinę ſtudio, quantumvis ſanctę ſint leges, quantumvis efficacia antidota, & remedia, ad nullam rem ſunt utilia.

II. Ut ad rem noſtram veniamus, Patribus Procuratoribus congregatis, erant ſuffragia triginta & unum; additiſque Patris Generalis geminis ſuffragiis, jam efficiebantur tria ſupra triginta. Suffragiis initis, ſeptemdecim ſuffragatum eſt, ſexdecim autem refragatum propoſitioni de Generali Congregatione cogenda. Ejuſmodi ſuffragiorum diſparitas anſam prębuit liti graviſſimę, de qua in ſequenti capite ſermo fiet.

CAPUT XXIX.

DOCUMENTUM DECIMUM SEPTIMUM.

Pater Sorba Jeſuita validiſſimis propugnavit Scriptis, ſatis non eſſe ſeptemdecim ſuffragia Generali cogendæ Congregationi. Partium Probabiliſtarum Jeſuitæ alia vulgarunt adverſa Scripta.

I. IN magno verſabatur diſcrimine Patris Thyrſi Gonzalez Cauſſa, niſi Clarus Pater Sorba Jeſuita ei ſuppetias tuliſſet. Contendebant Factionis Probabiliſticæ Jeſuitæ, Decretum Congregationis Procuratorum de Generali Congregatione cogenda, ſeptemdecim nixum ſuffragiis, valere, propterea quod ſexdecim tantum erant ſuffragia oppoſita. Societatis leges nonniſi unum exigunt ſupra meditatem ſuffragium. In numero ſeptemdecim, cum numero ſexdecim collato, uno ſuperatur medietas ſuffragio: Decretum igitur de Generali Congregatione cogenda nullam patitur exceptionem.

II. Strenuus Pater Sorba Generalis Gonzalez, nec non Antiprobabiliſticæ Scholæ Defenſor, efficaciſſimam edidit lucubrationem, in qua argumentis oſtendit, computandam eſſe ſuffragiorum medietatem, habita totalis ſuffragiorum numeri ratione, non autem partium dumtaxat. Totalis ſuffragiorum numerus eſt triginta trium: medietas triginta trium ſunt ſexdecim cum dimidio. Septemdecim igitur ſuffragia comparatione totalis numeri remanent ſexdecim cum dimidio. Societatis leges unum exigunt ſuffragium ſupra medietatem relatam ad totum: ſuffragii dimidium vocari nequit unum ſuffragium, nullius ergo roboris eſt Congregationis Procuratorum Decretum. Haud mihi reperire licuit Patris Sorbæ lucubrationes, quæ procul dubio in Societatis extant tabulariis. At Jeſuitarum aliquis, Societatis Spiritus veræque a Divo Ignatio præſcriptæ heres Doctrinæ, cum ſe operæ pretium judicaverit facturum, in lucem edere lucubrationes hujuſmodi non omittet.

III. Patris Sorbæ animadverſio Jeſuitis Probabiliſtis viſa fuit inanis ſubtilitas: atque ſcripta vulgarunt, Decreti valorem tuituri. Hic unum ego refero, nempe ſequens.

Num. XVII.

Ex jure præciſe Societatis oſtenditur, ambiguum non eſſe valorem Decreti poſtremæ Congregationis Procuratorum de cogenda Congregatione Generali.

UT executioni mandarentur plurium Generalium Congregationum Decreta, maxime vero ſecundæ, & quartæ Menſis Novembris anni præteriti 1693. coacta fuit Priorum Provinciarum Congregatio, eo inſtituta conſilio, ut decernatur, an expediat Congregationem Generalem cogere. Patri Generali, cunctiſque congregatis poſt conſuetas inquiſitiones ratum fuit, Congregationem iſtam legitime coactam fuiſſe, ac ſubinde progrediendum eſſe acta præſcripta citra periculum, ne irrita ſint. In Seſſione ultima, juxta formulæ Congregationis Procuratorum præſcriptum de præcipuo negotio habitum conſilium fuit, nempe *de cogenda vel non cogenda Congregatione Generali;* cumque triginta & unus eſſent congregati *tum jure ſuffragii*, eſſentque ſuffragia tria, ob illa duo, quę Patri Generali competunt, ex inſpectis ad normam juris ſuffragiis prodita ſunt ſeptemdecim *pro cogenda*, ſexdecim autem *pro non cogenda;* ideoque, *nemine contradicente*, tanquam Decreto ſancita habita fuit Congregatio Generalis; ac ipſemet Pater Generalis reapſe Decretum approbavit dicens, *videre ſe voluntatem Dei eſſe*, *ut hæc Congre-*

gatio, (nimirum Generalis) *fieret*; *ſe autem cogitaturum de tempore*, nempe die, ac menſe illam cogendi intra ſpatium anni unius cum dimidio, ſicut præſcribit formula. Immo poſt relatum in Acta laudatæ Congregationis Procuratorum Decretum ab Amanuenſi ipſius, ab eadem Congregatione ad id muneris delecto, (quæ in Generali Ordinis Secreto aſſervantur) obſignatum fuit, ſemel, & iterum præfato Patre Generali jubente, a memorato Patre a Secretis ſigillo Patris Generalis proprio, prout Ordinationes noſtræ præcipiunt.

Ex his omnibus liquido conſtat Patrem Generalem re ademiſſe ipſa dubitationem omnem de valore Decreti, Societatemque deduxiſſe in poſſeſſionem juris cogendi juxta Conſtitutiones noſtras Congregationem Generalem, medendi gratia Ordinis neceſſitatibus; a qua poſſeſſione exturbari nec poteſt, nec debet abſque evidenti ratione. Neque ponenda eſt in Patre Generali hac in re *ignorantia juris*; etenim jam ſecundo huiuſmodi Procuratorum Congregationibus præerat: quocirca eum plane ſcire oportebat, quot ſuffragiis opus eſſet ad validum *de cogenda, vel non cogenda Congregatione Generali* Decretum; eo vel maxime quia in prima quoque Congregatione, habita duobus ante annis, metuere potuit ne id eveniret, quod modo in hac altera evenit.

Nihilominus plures poſt dies, cumque diſcedere jam cœpiſſent Patres Procuratores; auditum eſt Patrem Generalem id, quod jam probaverat, in dubium vocare, operam dando, ut ſcriptionibus confirmaretur nullam ineſſe vim præfato Decreto, ac ſubinde irritum prorſus eſſe Congregationis Procuratorum actum præcipuum cum haud mediocri Congregationis ejuſdem nota: perinde ac juris noſtri ignorantia laborarent omnes Congregati.

Ratio potiſſima, cur ambigendum eſſe de valore Decreti exiſtimetur, eſt ſuffragiorum defectus, eo quod ſeptemdecim ſolummodo fuerint, ideſt dimidium ſuffragii *ſupra medietatem*, cum *plura medietate* eſſe debeant, uti in formula Congregationis Procuratorum cap. I.

Ad hanc rationem, quæ ſeipſa valde inefficax videtur juxta praxim, ac jus commune, non aliud adhibebo hic reſponſum, niſi illud, quod ex Societatis municipali jure colligitur. Ac primo quidem ipſas quoque Generalium electiones fieri edicitur *ad plura medietate ſuffragia*; ſic enim in Congregationis Generalis formula cap. 4. §. 48. legitur: *qui plus quam mediam partem, omnium ſuffragiorum habuerit, Generalis Præpoſitus erit*. Tum vero proxime ſubjungunt: *Si tamen numerus Electorum fuerit impar, ac proinde mediam partem non habuerit; is cenſeatur habere plus, quam mediam partem ſuffragiorum, cui ex duabus partibus major obtigerit*.

Præterea in Formula Congregationum Provincialium cap. 4. §. 27. dicitur: *Semper electio* (iſtorum videlicet, qui ad Congregationem Generalem, vel ad Congregationem Procuratorum mittuntur) *facienda eſt ad plura medietate ſuffragia. Quod ſi numerus ſuffragiorum fuerit impar, major pars ex duabus ſufficiet*. Quænam ſit autem *major pars ſuffragiorum, quando numerus eſt impar*, perſpicuo declaratum invenimus *in reſponſis Generalium Tit. Congregatio Provincialis* §. 15. *de Elect. mittend.* ubi in quodam reſponſo Provinciæ Lituaniæ reddito an. 1636. dicitur *Ad legitimam electionem ſufficiunt viginti, & unum ſuffragia, quia hæc eſt major pars quadraginta, & unum ſuffragiorum*; quot nimirum ſoleant eſſe in Congregationibus Provincialibus ſuffragia: & anno 1623 hæc data fuit Provinciæ Poloniæ reſponſio: *tunc intelligitur numerus omnium ſuffragiorum eſſe impar, ut major ex duabus ſufficiat, quando ſunt ſuffragia ſimul quadraginta, & unum; adeoque major pars ex duabus exhaurientibus totum numerum, ſit unum, & viginti*.

Quod ſi quis obiiceret, Declarationes iſtas in formula Congregationis Procuratorum deſiderari, ubi cap. & §. citatis hoc tantummodo dicitur: *Porro Patres congregati Romæ in ſuffragiis ferendis pro cogenda, vel non cogenda Generali Congregatione ad plura medietate decernent*. Reſpondetur primum ne in formula quidem Congregationis Generalis ubi agitur de Adſiſtentium Electione, et de Admonitione eligendorum *ad plura medietate ſuffragia*, indicatas fieri declarationes; nec tamen uſque adhuc aliquem in hanc incidiſſe cogitationem, quod requirat Societas ampliorem ſuffragiorum numerum, ut Adſiſtentem eligat, vel Admonitionem, quam ut eligat Generalem, *quando vota ſunt imparia*.

De-

Deinde reſpondentur directe, niſi in Congregationis Procuratorum formula expreſſe adhibentur memoratæ declarationes, eas ſubaudiri, quantum ſatis ad rem eſt; ſiquidem poſt verba paulo ante citata: *ad plura medietate decernent*, illico ſubjungitur *juxta decretum* X. *Congregationis* VII. Porro in Decreto X. Congregationis VII. ita legitur: *Quare in poſterum, cum tertio quoque anno de cogenda, vel non cogenda Congregatione in Procuratorum Congregatione agetur; & majori ſuffragiorum parte res eſt decernenda*, in integrum hac ratione omnino reſtituendo, quod conſtitutum fuerat in formula, a IV. Congregatione Generali approbata, ut videlicet *ad plura medietate ſuffragia decerneretur, indicendane ſit Congregatio Generalis*, ideſt, ut exponit Congregatio VII. *ly plura medietate, ſi major Procuratorum pars juxta formulam indicendam*.

Quibus inhærendo Decretis, Cardinalis de Lugo lib. 4. Reſponſ. Moral. Dub. 35. ſic ait: *in quo puncto* (cogendæ videlicet, vel non cogendæ Congregationis Generalis) *Generales, & Aſſiſtentes, & Procuratores Provinciarum habent votum deciſivum per ſuffragia ſecreta; & ſtatur majori parti circa cogendam, vel non cogendam Congregationem Generalem*.

Et Cardinalis Sfortia Pallavicinus in Vindicat. Societ. cap. 44. ita loquitur: *Summa de hoc* (nempe de Congregatione Generali) *ſtatuendi tributa eſt Procuratoribus ſimul, & Aſſiſtentibus, ipſique Præpoſito Generali, qui uno tantum ſuffragio in ea deliberatione cæteris præſtat: res autem ibi non voce, atque aperte conficitur, ſed per vindicem illam, quam Veteres ajebant, libertatis tabellam. Quod ergo pluribus eorum per arcana ſuffragia placuerit, id ratum eſt*.

Ubi obſervandum eſt, diluere citato loco Cardinalem Pallavicinum objectionem, quo Societas premebatur ob auctoritatem, ac poteſtatem immodicam, quam Generali noſtræ videbantur leges elargiri; eam demonſtrando juſtis finibus circumſcriptam, coercitamque facilitate decernendi Generales Congregationes, quæ ipſi Generali præſtant authoritate, valentque ipſum continere in officio; ac propterea hæ Congregationes non ſunt modo reddendæ difficiliores, Decretorum, quæ ad illas faciliores efficiendas conſtituta jam ſunt, nimis metaphyſicis interpretationibus.

Obſervandum quoque eſt, laudatum Cardinalem Pallavicinum Decreta reſpicere Congregationum Generalium IV. & VII. abrogantium Decretum XXIV. Congregationis II., cujus vi ſuffragiorum medietas ſatis decernendo erat, an cogenda erit, nec ne Congregatio Generalis; & *in paritate votorum* pars, a qua ſtabat Pater Generalis, prævalebat, *habente Generali qualitatem præcedendi*. Verum Generalis hac fuit prærogativa orbatus ab indicatis duabus Congregationibus IV., & VII. ſtatuentibus, *ut excedatur medietas*. Eam ob rem Cardinalis Pallavicinus de Generali ait: *qui uno tantum ſuffragio in ea deliberatione cæteris præſtat*; neque dicit *plura medietate ſuffragia*, ſed tantummodo, *quod pluribus eorum per arcana ſuffragia placuerit, id ratum eſt*.

Ex omnibus antedictis colligitur, impugnari a Patre Generali nequire poſſeſſionem, ac jus, quæ acquiſivit jam Societas vi Decreti Congregationis Procuratorum, cujus Decreti vi cogenda eſt Generalis Congregatio ut maxime Maii proximo menſe anni 1695. conſulendi ergo Ordinis neceſſitati. Neque revocari in dubium poteſt a Patre Generali hujuſcemodi Decreti valor, etiamſi haberetur dumtaxat Juris municipalis Societatis ejuſdem ratio, & miſſum fieret Jus commune, quod nobis magnopere ſuffragatur. Quod ſi qua de hoc etiam revera poſſet eſſe dubietas, æquum minime foret, Patrem Generalem tunc eſſe judicem, ſicut hoc ſibi arrogare videtur ipſe, cum iniquum ſit penitus, eumdem judicem eſſe, ac partem maxime vero adeo cupidam, ſuiſque ſervientem rationibus: nec alia deſunt argumenta ad ejuſmodi præſumptum animo jus evertendum.

Illud autem in primis, quod ex Gregorii XIII. Bulla, quæ incipit *Aſcendente*, petitur, in qua poſtquam Societatis Inſtitutum atque Conſtitutiones confirmavit Pontifex, inquit: *Si quid vero dubii de eiſdem* (hoc eſt de Inſtituto, Conſtitutionibus, &c.) *oriri contigerit, ad Sedem prædictam* (nempe Apoſtolicam) *vel ad Generalem Præpoſitum dictæ Societatis, aut ad eos, quibus id ipſe commiſerit* refe-

referatur. En ergo quod dubiorum de Inſtituto, & Conſtitutionibus Societatis deciſio primo loco ad Pontificem pertinet, idque de prima etiam efflagitatione debet intelligi; ac multo magis, quando Generalis eſt pars, quemadmodum evenit in præſentiarum.

Exſcriptum Documentum inter MSS. Cardinalis Ferrari in Bibliotheca Sanctæ Sabinæ exiſtit.

CAPUT XXX.

Sanctus Pontifex Innocentius XII. Cardinalium Congregationem inſtituit, qui celebrem judicarent litem, exardeſcentem inter Jeſuitarum Probabiliſtarum Factionem, ac Generalem Gonzalez, qui cum ſuis fautoribus ſanam propugnabat Societatis doctrinam.

I. SUbditos Jeſuitas Probabiliſticæ factionis inter ac Generalem Gonzalez contentio eo uſque progreſſa fuit, ut Societatis prudentia omnis, ac ſolertia impar fuerit eam continendo intra domeſticorum parietum ſecretos fines. Lites litterariæ fere ſunt tenaciores, vehementioreſque civilibus. Cum res, quæ in controverſiam venit, criminoſa eſt, tunc litigantes in certamine diu non perſiſtunt; ſiquidem pravum rei genus, de qua diſceptatur, crimen exprobrat alterutri partium. At vero cum ſolum ad intellectum ſpectat Diſputatio de re Theologica controverſa, nulla duarum partium rubore ſuffunditur ex propria ſuimetipſius noxa; quin immo ſingulæ partes inflammatum præferunt ſtudium defendendi veritatem, commune promovendi bonum, majoremque Dei gloriam. Innoxiis hiſce præventi ſententiis ambarum partium animi, neque rationibus, neque hortationibus attendunt, ſed pertinaci fortitudine ad extremum uſque ſpiritum certant.

II. Ejuſmodi cum eſſet cauſſa, in certamen adducta inter geminas illas Societatis partes, comprimi intra domeſticos lares non potuit. Erupit in publicum, ſingulisque partibus ſui fuerunt ſectatores. D. Fabroni, nec non Pater Ferrari Dominicanus, Sacri Palatii Magiſter, multum impenderunt operæ in hac ſedanda procelloſa tempeſtate. Sed oleum, & operam perdiderunt.

III. Sanctus Pontifex Innoc. XII. ceu Pater univerſalis, omniumque Religioſorum Ordinum ſupremum Caput, neceſſarium eſſe duxit, ſeorſim conſtituere Tribunal, ad quod deſerrentur, & a quo ambarum partium jura cognoſcerentur. Quoniam vero maxima florebant nominis exiſtimatione ambæ partes, erantque eximiis dotibus præditæ: quinque videlicet Adſiſtentes cum Patre Paulo Segneri hinc plurimas ducentes Jeſuitarum copias; illinc autem Pater Thyrſus Gonzalez cum Provinciis, ſequentibus partes ipſius, aciem explicabant litigantium inter omnes, qui Romæ viſi fuerint, maxime ſpectabilium; propterea Sanctus Pater Innocentius XII. voluit, ut nobilitas Judicum Clientum reſponderet conditioni. Neque Præſules deſignavit, neque Cauſidicos, ſed ſingularem quinque Cardinalium inter cæteros Sacri Collegii celeberrimorum, Congregationem erexit. Fuerunt autem *Mareſcottus*, *Carpegna*, *Spada*, *Panciaticus*, *Albanus*. Inſtitutæ Congregationi ambæ diſſidentes partes ſua jura commemorarunt, quæ pro rei conditione, ac litigantium dignitate, ſedulis, intentiſque animis fuerunt excepta.

CAPUT XXXI.

DOCUMENTUM DECIMUM OCTAVUM.

Supplex Patris Procuratoris Generalis Jeſuitarum libellus Innocentio XII. oblatus, ut præfinitæ, Cardinalium Congregationis tempus protraheret.

Num. XVIII.

BEATISSIME PATER.

PRocurator Generalis Societatis Jeſu, qui aliquot ante dies pedibus advolutus Sanctitatis Veſtræ, congruam humiliter comperendinationem expetivit, eo conſilio, ut jura, quæ in pervulgatam dictæ Societatis controverſiam conveniunt, renunciari poſſent coram D. D. Cardinalibus, ad illam dijudicandam delectis; cum fieri nequiret, ut id præſtari poſſet brevi adeo temporis ſpatio, quale fuit conſtitutum,

tum, ad diem nempe 27. uſque vertentis Julii: nunc denuo exponit, cum egerit ipſe cum aliquibus ſapientibus viris, qui operam navare debent concinnandis opportunis ſcripturis, imbuendiſque memoratis D. D. Cardinalibus neceſſariis notitiis, hos ſignificaviſſe, brevi ſe temporis tractu peragere id negotii non poſſe, utpote aliis diſtentos occupationibus, partim ſcribendo in Cauſſa Leodienſi, partim ſuam operam commodando proxime futuræ Rotæ, ineunte Auguſto, aliiſque obeundis muneribus; cum prius neceſſariis Inſtituti prędictæ Societatis notionibus inſtrui debeant, totque recognoſcere loca, quæ tractant, quæve ad controverſam rem faciunt: ad quod multo nimis tempore eſt opus. Quare, Beatiſſime Pater, cum Sanctitas Veſtra profeſſa fuerit, ſe id unum velle, quod æquum ſit, cumque definiri hoc nequeat, niſi auditis partibus; ipſe Orator, qua maxima poteſt, ac debet demiſſione, enixis precibus rogat, ut congrua unius ſaltem menſis ſibi concedatur prolatio, ut æqua dirimi ratione poſſit ejuſmodi controverſia. Quod &c. *Quam Deus &c.*

Extra.

Sanctitati D. N. Innocentii XII.

Lectum.

Pro Procuratore Generali Societatis Jeſu.

Piſtorii in Bibliotheca Fabroni extat hoc Documentum.

Reverendus hic Pater Procurator Generalis Societatis. Procuratores imitatus, qui Civilis Fori curant lites, tritam inſtitit viam poſtulandi tempus in cauſſa, cujus irreparabilis præſentiebatur amiſſio. In deſperatis hujuſcemodi cauſſis ſolet dilatio ceu unicum remedium putari. Sanctus Pontifex, cui erat illud cordi, ut modus tandem aliquando controverſiæ tam diutinæ imponeretur, ſupplicem libellum rejecit conſueto illo verbo *lectum*. Futiles nimium erant allatæ cauſſæ, ſi jamdiu Scripturæ eſſent abſolutæ, ac nimis etiam controverſia diſcuſſa.

CAPUT XXXII.

Quinque Cardinalium Congregationis Decretorum Judicium contra Jeſuitarum Probabiliſtarum partes, ſecundum vero Patrem Thyrſum Gonzalez Antiprobabiliſtam, Societatiſque Generalem, cujus mentem exhibet in hac Cauſſa.

I. POſt diuturnum, & acre litigium domeſticum, quod viginti trium circiter annorum ſpatio exarſit inter Patrem Thyrſum Gonzalez, tunc temporis Antiprobabiliſtarum Jeſuitarum caput, ac Factionem Jeſuitarum Probabiliſtarum, ſententia lata fuit demum ſecundum Patrem Generalem Gonzalez. Litis ſumma propoſita in Congregatione quinque Cardinalium, Mareſcotti, Carpegnæ, Spadæ, Panciatici atque Albani, quos Sanctus Pater judices conſtituit, ejuſmodi eſt. Congregatio Procuratorum Provincialium Societatis Menſe Novembris anni 1693. habita, deliberandi gratia, num cogenda foret Generalis Congregatio, ut hujus auctoritate a Generalatu abdicaretur Pater Thyrſus Gonzalez, duas ſciſſa eſt in partes. Uti ſupra narravimus, ſuffragia univerſa erant triginta tria. Septemdecim in eo conſenſerunt, ut cogeretur laudata Generalis Congregatio: ſexdecim huic de re diſſenſerunt. Societatis præſcribunt leges, ut unum ſupra medietatem ſuffragium in ſimilibus electionibus rem conficiat. Contentio orta hic eſt inter ambas partes, utrum, cum triginta tria numerarentur ſuffragia, contineatur unum ſupra medietatem in ſeptemdecim: triginta trium quippe medietas ſunt ſexdecim cum dimidio: quam ob rem illud unum ex ſeptendecim debet interſecari, tribuendaque ambabus partibus ſua eſt medietas. Non igitur in ſeptemdecim unum completum inerat ultra medietatem. Pro utraque parte fuerunt editæ vehementes Orationes. Pater Sorba Jeſuita viriliter ſuſtinuit Patrem Generalem cum ipſius aſſeclis. Delata contentio fuit ad Congregationem quinque Cardinalium, Mareſcotti, Carpegnæ, Spadæ, Panciatici, Albani; cumque partes ambæ jura, quibus innitebantur ſingulæ, cum verbo, tum ſcripto diſerte fuiſſent perſecutæ, Pridie Nonas Auguſti, anno 1694. Cardinalium Congregatio nullum

eſſe

Digitized by Google

eſſe pronunciavit Congregationis Procuratorum Provincialium Decretorum. Et ecce victorem cum ſuo agmine Antiprobabiliſtico Patrem Thyrſum Gonzalez, adverſæ autem parti ſilentium perpetuum indictum.

II. Congregationis hujus quinque Cardinalium Acta reperire mihi non licuit, ut hic proferrem illa. Siquis diligentiam adhibere vellet, operamque conferre, facili negotio eadem inveniret. Quicquid tamen dictum a me fuit, certiſſimum eſt. Ad hujus rei fidem exſcribere hoc loci placet celebris Cardinalis Norifii narrationem Tomo 1. Epiſtolarum ad Clariſſimum Eruditum Virum Magliabecchium. Porro hic prope Epiſtolæ 85. finem ita ſcribit.

Hoc unum tibi nunciabo. Exhauſta judicio eſt acerrimæ litis controverſia omnis Patrem Generalem Thyrſum inter, factionemque infenſorum ſupremo Domino, quorum Dux erat bonus Pater Segneri. Poſt veſperas diei tertiæ vertentis Menſis habita fuit Congregatio a Deputatis quinque Cardinalibus, Mareſcotti, Carpegna, Spada, Panciatici, Albano. Sic porro Decretum eſt.

Non conſtare de validitate Decreti Patrum Procuratorum Provincialium; & ideo non eſſe cogendam Congregationem. Die 3. Auguſti, hora noctis pro referente Cardinali Panciatico Sua Sanctitas confirmavit.

Adjecitque Sua Beatitudo: *& non amplius audiantur*. Sic victor remanſit Pater Thyrſus, Patriſque Segneri opinio judicata fuit ceu *minus Probabilis*.

III. Hiſtoricus teſtis eſt de viſu; & quamvis a Probabiliſmo eſſet alienus, hac tamen in narratione eidem præſcribi nequit. Rei eventus indubiam facit veritati fidem. Generalis Congregatio coacta non fuit, perſtititque Pater Thyrſus Gonzalez pacifice ad obitum uſque in Generalatu. Effectu igitur caruit Procuratorum Provincialium Decretum, Jeſuitarumque Probabiliſtarum cohors, Duce Patre Paullo Segneri, cauſſa cecidit.

CAPUT XXXIII.

Societatis Jeſu mens adverſata fuit ſemper Probabiliſmo: Jeſuitarum autem Probabiliſtarum Factio, tam in domeſticis certaminibus litterariis, quam in externis, ſemper victa ſuccubuit.

I. EX Documentis huc uſque allatis compertum fit Societatis mentem fuiſſe adverſatam ſemper Probabiliſmo. Societatis mens non colligitur, ſicuti pluries admonitum fuit, ex multitudine, neque ex frequentiori Jeſuitarum numero, ſed magis ex Sancti Patriarchæ legibus, ex Inſtituti illius Sacri Doctoribus inſignioribus, ac Theologis majoris nominis. Jam vero jubent Divi Ignatii leges, inhærendum, ſacris præſertim in ſcientiis, eſſe opinionibus probabilioribus, ac tutioribus. Teſtimonia ſupra fuerunt in medium adducta. Jeſuitarum Probabiliſtarum interpretationes inanes ſunt nimium, ac ineptæ. Celebres clariſſimique Societatis Theologi ſunt Bellarminus, Suarez, a Ponte, Toletus, Comitolus, Blanchi, Elizalde, Viteleſchi, Nichel, Pallavicinus, Gonzalez, de Camargo, Munieſſa, Malatra, innumerique alii ex hoc Antiprobabiliſtico cœtu. Hic cœtus, Jeſu Societatem referens, per Generales, Sanctum Ignatium, Viteleſchium, Nichel, Gonzalez victor ſemper extitit: ac Generalis Gonzalez, Innocentio XI., & Innoc. XII. Summis Pontificibus, abſolutiſſimam de Jeſuitarum Probabiliſtarum Factione victoriam reportavit. Diſſidentes geminas partes iſtas nos vidimus manu conſerere cum intra domeſticos lares, tum extra coram quinque Cardinalium Conſeſſu, adeo celebris cauſſæ judicum delectorum. Domi Generalis Gonzalez pro cauſſæ æquitate pugnavit cum ſuis commilitonibus, qui, ſi numero deficiebant, at virtute proculdubio ſuperabant. Diuturna fuit pugna, ac diu quidem valde anceps. Procuratorum Provincialium Congregatio cauſſam in locum impulit, & ſcopulum valde periculoſum. Providentia illa, quæ regit univerſa, ea Sancti Pontificis Innocen. XII. mentem perfudit luce, ut quinque Cardinales omnium clariſſimos, ac celeberrimos, judices tam gravis controverſiæ delegerit. Sanæ Doctri-

ſtrinæ ſtudioſi, ab eorum Duce ſtrenue defenſæ, nimirum a Patre Generali Gonzalez, cauſſam decretoriis judicum ſententiis abſtulerunt; qui autem ſtabant ex adverſo, in cauſſa conciderunt. Pater Generalis Gonzalez immortale Opus ſuum typis edidit, quod intra breve ſpatium biennii quaterdecies exiit e prælo. Sapiens de Camargo ſpiſſum emiſit in lucem volumen in Generalis ſui doctrinæ commendationem, Probabiliſmi autem reprobationem. Pater Paulus Segneri, Factionis Probabiliſtæ Coryphæus, tres conſcripſit celebres epiſtolas ad tutelam Probabiliſmi, adverſum ſui Generalis Doctrinam. In altera harumce trium epiſtolarum extat prælo typico expreſſa Hiſtoria belli Civilis in hac cauſſa, ſicuti videre licet Tomo I. Hiſtoriæ Probabiliſmi. Pater Caſnedi publici juris fecit ſuam Bibliothecam Probabiliſticam, quinque Tomis ſemiſſibus foliis comprehenſam. Pater Viva, Pater La-Croix Catalani, totque alii ſuis libris, typis excuſſis Probabiliſmi ſuſceperunt defenſionem. Pater Simonet, Pater Gisbert, Pater Antoine ſui Generalis doctrinam pro virili parte vindicaverunt.

CAPUT XXXIV.

Civile bellum, circa Probabiliſmi Controverſiam in Societate commotum, neutri obeſt parti, quippe quod crederent ambæ partes, æquam ſe cauſſam tueri.

I. MOrum integritas, dignitatis gradus, doctrina, ac plurimæ Patronorum Probabiliſmi dotes, decretorium ſunt bonæ eorumdem mentis in hac cauſſa argumentum. Pater Paulus Segneri unus fuit ex Ducibus ardentiori flagrantibus ſtudio in ſui Generalis doctrinam. Quis porro adducere in ſuſpicionem poterit bonam pii hujus Miſſionarii voluntatem? Equidem nec Theologiam, nec Philoſophiam ſuo in Ordine ille unquam prælegerat. In ſacris Miſſionibus, in concionibus vitæ ſuæ tempus impendit. A Probabiliſmi fautoribus electus fuit ipſe Caput, & Procurator Romanæ Provinciæ, non quod in hac foret controverſia apprime verſatus, ſed quod felicior eſſet a laude italice ſcribendi. Hic nobis res occurrit digna equidem animadverſione. Pater Gonzalez ſuum typis edidit librum latino idiomate. Pater Segneri primus hanc celebrem in vulgus ſermone italico prodidit Controverſiam, ut ſtili ſui nitore, & eloquentiæ ſuæ vi nonnihil afferret adjumenti ſaltem apud ignarum vulgus labenti Probabiliſmo: Primam tamen ex tribus ſuis epiſtolis manu dumtaxat ſcriptam vulgavit Segneri. Jeſuitæ autem, ætate poſteriores, e Probabiliſtica Schola, omnes, & ſingulas tres epiſtolas iſtas typis excuſſas in lucem emiſerunt. Jam vero poſt ſolemnia adeo facinora auſi ſunt Reverendi Patres, Ghezzius, Lecchius, Richelmius, & Gagna exprobrare veluti crimen Patri Concinæ, quod Italica evulgaverit lingua Hiſtoriam Probabiliſmi. Niſi facta hæc typis edita legerentur, nulla videretur adjungi poſſe iiſdem fides. Privilegio, cujus expertes cæteri hominum forent, frui vellent quatuor hi boni Patres typis imprimendi vulgi lingua, ut ad libidinem faſcinarent plebem, ac de more eſſent unguiventuli, nemine contradicente. Ægre tamen hujus fient ipſi voti compotes.

II. Sed ut ad noſtrum redeamus inſtitutum, litterarium duas inter diſſidentes Societatis partes bellum nec Societati perniciem inferre, nec lectoribus parere admirationem debere, ex Sanctorum Doctorum exemplo manifeſte liquet, inter quos litteraria certamina exarſerunt. Neminem fugiunt inter S. Auguſtinum, & S. Hieronymum, inter S. Cyprianum, & S. Stephanum contentiones. Jeſuitarum Probabiliſtarum Factioni propoſita erat veluti ſtudii eorumdem ſcopus, animas ſalvas faciendi facilitas. Erat cœtus hujuſce Patribus, & eſt perſuaſum, faciliorem ad Paradiſum viam reddi uſu ipſorum Probabiliſmi. Timent, ne probabiliorem ſequendi opinionem obligatio laqueus ſit nimiæ ſeveritatis, ad deſperationem compellens; nec oppoſitis acquieſcunt rationibus. Hoc exitati ſtudio frequentiorem Paradiſum faciendi, plureſque ab inferis arcendi animas, firmiter, atque invicta conſtantia perſiſtunt in cauſſæ defenſione, quam juſtam, benignam, humanæque infirmitati judicant accommodatiorem.

III. E contra Jeſuitarum Antiprobabiliſtarum Schola pro certo habet, Probabiliſmum fontem eſſe, unde incredibilia effluunt mala. Suis in Miſſionibus ſacris cladem detexit Pater Thyrſus Gonzalez,

quam opiniones minus probabiles, benignitatis obducta ſpecie, animabus invehebant. Nunquam defuerunt, ſemperque erunt peccata cujuſvis generis, humanæ naturæ corruptionis ratione habita. Ex quo tamen in lucem prodiit Probabiliſmus, vitia multa ſibi virtutis uſurparunt inſigne. Affectatio elegantiæ, theatrales ludi, aſſidua familiaritas viros inter, ac mulieres, fænerationes, injuſtitiæ, intemperantiæ horrorem exuerunt omnem vi novi modi benigne opinandi. Adverſus Siſtema hujuſmodi, jam longe antea a Papa Alexandro VII. expreſſe definitum tanquam malorum omnium fontem, calamum diſtrinxit ſuum Eruditus Gonzalez.

IV. Ambarum igitur litigantium fines partium pietatis ſpeciem præſeferunt, quamvis unus revera dumtaxat verus ſit, unus pius. Duo hinc opus eſt colligere: ac primo quidem nuſquam de alterutra male ſentiendum eſſe Factione, propterea quod utraque ſe æquam tueri cauſſam putabat, eo plane modo, quo vulgo litigatores omnes putant: deinde vero cum nonniſi una ſit veritas, ſi hæc ineſſet parti uni, in altera neceſſario falſitatem latere; ſi verus ſit unius partis zelus, alterius eſſe falſum. Noſtrum non eſt de intimis animi ſenſibus dijudicare ſive hujus, ſive illius partis, ſed tremenda potius Dei judicia adorare, illamque ſententiam, ceu regulam vitæ noſtræ, deligere, quæ ad Paradiſum nos probabilius deducat, quam ad inferos. Ex probis, doctiſque Religioſis viris conſtabat utraque pars; hoc tamen diſcrimine intercedente, quod Generalis Gonzalez vicem gerentis Societatis, pars ſemper fuerit a Sancta Sede protecta, ab Alexan. VII. ab Innoc. XI. ab Innoc. XII. aliiſque Sanctis Pontificibus, ab univerſa Gallicana Eccleſia, a doctiſſimis in Urbe Viris. Nobis igitur eſt adhærendum Societatis menti, expreſſæ ac propugnatæ a Patre Gonzalez, atque ab iis Jeſuitis, qui ſtudent ipſius doctrinæ. Quando Jeſuitarum Probabiliſtarum Cætui excuſationis venia datur, inferendum propterea non eſt lectori, æque tuto licere utrumque ſiſtema ſequi. Catholico Authori cuivis, opinionem aliquam defendenti, perſuaſum eſt, ſicuti æquum eſt credere, illam honeſte agendi aptam regulam eſſe. Ergone unicuique fas eſt illam ſequi? Abſona nimis illatio nae[illegible] ret. Aliud eſt, boni, & æqui facienda nobis eſſe conſilium, ac finem, cætum quempiam moventia, atque excitantia ad ſiſtema aliquod propugnandum; aliud pro vero, aut probabile ejuſmodi ſiſtema eſſe habendum. Ad prius illud officio adſtringimur: quod vero ſpectat ad alterum, tenemur expendere (quantum conditionis noſtræ fert ratio) controverſiæ jura, ut, quod vero ſimilius eſt, amplectamur. Qui autem hæc perpendendo non ſunt idonei, hæreant, oportet, univerſali regulæ, naturali lege omnibus inſitæ, bene videlicet ſentiendum eſſe de omnibus: ſed pro regimine propriæ conſcientiæ illud nobis præoptandum eſt ſiſtema, quod probabilius ad Paradiſum perducit.

CAPUT XXXV.

Vera Societatis Jeſu Defenſio a Paſchalis, Vendrochii, cunctorumque Janſeniſtarum obtrectatione. Vindiciæ adornatæ a Daniele, a Des-Camps, a Frabri aliiſque Jeſuitis Probabiliſtis, infelices ſunt ac inordinatæ.

I. NE quis a me ſuſceptum carpere audeat conſilium vindicandi Societatem Jeſu, effutiendo, plenas eſſe doli vindicias iſtas, ut ſpecioſo, ac ſplendido nomine execrabiliorem Probabiliſmum reddere valerem, liberiuſque de peculiaribus nonnullis rerum capitibus loqui; operæ pretium duxi has vindicias ad opus deducere, fructuſque earumdem inpertiti, experientia ipſa comprobandas. Compertum uſque adhuc feci, Documentis in medium allatis in litterario circa Probabiliſmum domeſtico bello, quod tot annos ſævit duas inter Jeſuiticas acies, Societatis prævaluiſſe ſpiritum a Sancto Patriarcha Ignatio teſtamento relictum. Confirmatum argumentis fuit Spiritum hunc adverſari Probabiliſmi Spiritui, ac Generalem Gonzalez, referentem pro Capitis munere Societatem, in aperto, ac vehementi conflictu prævaluiſſe, ſuperaſſe, viciſſe. Denunciatum fuit, Societatis Spiritum dijudicandum non eſſe ex Caſuiſtarum modicæ ſcientiæ, & mediocris ingenii turba, ſed utique ex regulis

lis a Sancto Patriarcha præſcriptis, ex viris Sanctitate fulgentibus, quos religioſo cultu Eccleſia proſequitur, ex inſignibus Theologis, quos univerſus celebrat terrarum Orbis, & quorum antea meminimus.

II. His poſitis veritatibus, quæ meo ſemper heſærunt hærentque animo; nunquam ego libros illos omnes non putavi maledictis, ſycophantiis, apertiſque calumniis, refertos qui eo ſpectant ut famam elevent Societatis, quæ miros, ex quo lucem hanc aſpexit, fructus edidit pietatis, doctrinæ, zeli. Impotens una odii, invidiæ, cæcitatis cupiditas impedimento eſſe poteſt, quominus utilitates quis fateatur, quibus Eccleſiæ Sacrum fuit hoc Inſtitutum, ardenti Apoſtolicarum Miſſionum ſtudio, honeſta adoleſcentum inſtitutione, tot doctrinæ, pietatis eruditioniſque plenis Operibus ſive adverſus hæreticos ad illos ſuffundendos pudore, ſive pro Catholicis, ad ſanctitatem ipſis affundendam, ſive ad eruditionem Reipublicæ litterariæ, ad illuſtrationem ſcientiarum. Monumenta hæc adeo ſunt illuſtria, adeo ſplendida, ut nonniſi ab excæcatis in dubium vocari queant. Eſt igitur apertiſſimum mendacium, calumnia impudentiſſima hanc objicere Societatem veluti Ethices depravatæ fautricem, veluti laxarum opinionum ſcandalumque parantium Magiſtram. Paſchalis ſuis in Provincialibus epiſtolis præter Janſenianam, qua ſcatent, hæreſim hujus Societatis corpus inſectatur, laxas, offenſionemque præbentes hujus vel illius Caſuiſtæ ſententias, ferme oſtentat ceu totidem canones Societatis. Perſuadere nititur, pravas ſingularium hominum opiniones Societatis eſſe dogmata. Dicentem inducit bonum Jeſuitam ſuum interlocutorem, uti optimæ notæ Patres, tanquam conſcientiarum regulis, laxiſſimorum Caſuiſtarum opinationibus. Paſchalis ſecerneret privatos homines, oportebat, a corpore Societatis, minime autem illos permiſceret cum iſta. Hac in re, meo quidem judicio, graviter ipſe deliquit. Propoſitum item, finemque, quo ſpectarunt Caſuiſtæ in perdocendo Probabiliſmum, opus erat ſejungere ab opinionibus laxis, in vulgus editis. Offenſioni eſt, ac gravi ſcandalo, quam ſæpiſſime audire, mitem Ethicem fuiſſe adinventam ob captandos Proſelytos, ob gerendum ſingulorum animis morem, ob altiores obtinendos dignitatis gradus, eoſdemque in aulis Principum ſibi firmiter retinendos. Religioſos viros, qui nuncium ſeculo remiſerunt, contempſerunt divitias, generis nobilitatem, & quicquid blanditiarum ſufficere Mundus poteſt, voluiſſe de induſtria antievangelicam Ethicem comminiſci, ut animas in fraudem impellerent, res eſt, quæ omnem fidem ſuperat, quæque efferri nequit abſque præcipiti nimis temeritate, ac ſine talia legentium offenſione. Hæc ſunt epiſtolarum Provincialium deliramenta; hæ inter ceteras cauſæ, cur ſint damnatæ; atque hi ſunt errores, quos debebant Vindices Societatis refellere.

II. Societatis Jeſu Vindices, Daniel ſcilicet, Fabri, Moya, Des-camps, aliique non inſtiterunt, ut ego quidem ſentio, ſemitæ rectæ ut probe ſuum Religioſum Ordinem vindicarent. Aggreſſi ſunt ipſi, maxime vero Pater Daniel, ad criminandum Paſchalem veluti mutilatorem, ac falſatorem locorum, quæ ipſe allegavit, exſcripſitque ex Theologis Jeſuitis. Loca in medium allata, me judice, qui eorum pleraque recognovi, fideliter fuerunt, ſincereque reſcripta. Laxas opiniones docuerunt Theologi: Eccleſia vero pleraſque illarum proſcripſit. Hac in re Paſchali aliiſque cum ipſo fæderatis aſſentiri par erat. Minime vero puerilibus diſtinctionibus, fictis pro libidine cavillationibus, ineptiſque rem hanc involvere tergiverſationibus. Admiſſo capite hoc, a veritate non alieno, facile tum erat in eoſdem impetum facere, ac ſtrenue quidem eo nomine, quod inclytæ adſcribere Societati auſi fuerint laxas Tamburini, Baunii, Moyæ, Eſcobarii, aliorumque privatorum Caluiſtarum opiniones. Hæc erat vera ineunda via: hæcque ſemper fuit a Vindicibus Jeſuitis rejecta; ideoque illorum vindicationes etſi verſarentur, ſecundum deſcriptam rationem, in cauſſa juſta, & recta, invalidiæ peritorum judicio, atque imbecilles evaſerunt. Perſeverantia illa in re manifeſtiſſima pernegandi multos, videlicet Morales Theologos Jeſuitas laxam Ethicem typis edidiſſe, pluribus interſperſam damnatis propoſitionibus, gravem ſemper æquæ Societatis cauſſæ jacturam intulit. Repugnantia illa in conſentiendo jure, ac merito, quod nonnulli ex Theologis Jeſu..s fuerint in errores prolapſi, conſilium fui contra jus, & fas temere ſuſceptum, quodque Provinciales epiſtolas nimium ex-

tulit, habita ratione ſolius Caſuiſticorum textuum Hiſtoriæ. Excuſatio altera ducta ex eo, quod a Dominicanis quoque, aliiſque Theologis eædem Caſuiſtarum Jeſuitarum opiniones traditæ fuerint, eſt jejuna nimium, ac frigida. Numquid minus improbandæ ſunt falſæ, laxæque opiniones, quod a pleriſque tradantur? Singula reſponſa hæc ſuggerit philautia, neutiquam vero dictat veritatis amor. Etiam ex Dominicana familia, etiam ex aliis Ordinibus plures Theologi laxas docuere opiniones: ſed veriſſimum etiam illud eſt, Jeſuitas Probabiliſticæ Scholæ hac in re omnibus præcelluiſſe, quemadmodum cerni poteſt in Eſcobario, in Gobato, in Tamburino, in Caſtropalao, in La-Croiſio, in Viva, aliiſque ſexcentis.

IV. Hinc perſpiciens ego, vindicias hactenus ab Jeſuitarum Probabiliſtarum Secta in lucem emiſſas mancas eſſe atque impares comprimendo injuriam, Societati ab Janſenianis illatam, decrevi, tum quod ſim ipſe ſtudio veritatis incenſus, tum ut reipſa declarem quantum tenuitas mea patitur, obſequium, ac obſervantiam ſummam, qua eximiam Societatem colo, has Vindicias conſcribere, quas neſcio, an typis in lucem poſtea editurus ſim. Ego itaque do lubens, plures ex Jeſuitis Theologis itemque ex alio quovis Religioſo Inſtituto, falſas tradidiſſe ſcandalumque præbentes doctrinas. Quid hinc inferre vultis, o Janſeniani, & quotquot eſtis Societatis hoſtes? Falſas ergo doctrinas haſce adoptat, docetque Societas? Societatis ergo Spiritus Ethices laxæ Spiritus eſt? Quidam ſingulares Jeſuitæ Pontificiis Conſtitutionibus, ac Bullis, veri Chriſtiani cultus ſinceritatem jubentibus, haudquaquam parent. Ergo Societatis Spiritus parere Sanctæ Sedis ſanctionibus renuit? Hæ ſunt illationes, non a mente quidem, rationis compote, deductæ, ſed fallaciæ, atque calumniæ, a maligno Spiritu evomitæ. Ne quis igitur in errorem labatur, ſecernat, oportet, Societatis Spiritum, Sanctis in legibus, ac in Generalibus zelo ſuccenſis, necnon in Sapientibus Theologis conſideratum, a cœtu factioſo, licet frequenti, Jeſuitarum Probabiliſtarum. *Bonum a paucioribus, ſicuti & verum.*

V. Nos itaque, certiſſimis, in apertum lucemque prolatis, documentis oſtendimus, Societatis Spiritum veritatis Spiritum eſſe, ac ſanctitatis, legibus Sancti Patriarchæ Ignatii eam dirigentibus. Palam fecimus, Jeſuitarum Probabiliſtarum factionem victam ſuccubuiſſe, penituſque ab adverſa parte, quæ ſub Generali Gonzalez vicem gerit Societatis, everſam. Hæc, ni mea me fallit opinio, juſta, vera, invictaque eſt Vindicatio celeberrimæ Societatis. Me non præterit, Jeſuitas Probabiliſtas gratum habituros non eſſe hujus Vindicationis obſequium, immo iracundia deflagraturos, hoc uno audito, extraneum ſcilicet hominem eo progredi audaciæ ut vindicandam ſibi ſumat Societatem. Quid? Anne virorum, doctrina, atque dicendi facultate præſtantium, qui ob propriæ defenſionem parentis calamum diſtringant, Societas laborat inopia? Satis abunde illi ſuppetunt doctiſſimi, diſertiſſimi, maximeque huic facinori idonei viri. Quis id inficiari queat? Re tamen vera nemo hactenus doctiſſimorum horumce maximeque idoneorum virorum operam locare voluit in æquis Vindiciis iſtiuſmodi in lucem edendis, cum nondum veri nominis, in re Ethices laxæ, Vindicias quiſquam offenderit. Attamen parum mea refert, Vindiciarum harumce mearum humile ab Jeſuitis Probabiliſtis æqui, bonique munus faciendum non eſſe: Satis eſt mihi, æquo idem excipi animo, ſicuti pro certo habeo, hac illud exceptum iri ratione, ab Inclyta Societate, Regularum hærede, atque cuſtode, quas circa doctrinam, ac mores præſcripſit Sanctus Ignatius, nec non Doctrinæ, tam ſtudioſe, ac ſtrenue a Patre Thyrſo Gonzalez, immortali memoria digno, propugnatæ.

C A P U T XXXVI.

Fabuloſæ, commentitiæque Patris Gabrielis Danielis narrationes de geminis Partibus, Adſiſtentes inter, ac Patrem Generalem Thyrſum Gonzalez litigantibus.

I. QUando Jeſuitarum Probabiliſtarum Cœtus in medium afferre quit fragmentum aliquod Patris Danielis, celebris Defenſoris, nec non Dialogorum Cleandrum inter, ac Eudoxum Authoris, licet a Sancto Officio damnatum fuerit hujuſmodi Opus, perinde ac Decretorium referret Oraculum, certam ha-

bet,

bet, compertamque victoriam, ovanſque triumphum canit. Quotieſcumque verba faciunt Jeſuitæ Probabiliſtæ de habitis diſputationibus inter Patrem Natalem ab Alexandro, ac Patrem Gabrielem Danielem, alter palmis, lauriſque eſt ſemper onuſtus, prior vero ſubjugatus, ac plane devictus. Præceptum de mutuo ſilentio a Patre Natali fuit impetratum, non autem a Patre Daniele; idemque paucos poſt annos dictitabunt de implorato mandato, ne liceat Patri Concinæ ad ea reſpondere, quæ objecta ſunt cum a Patre Ghezzio, tum a Sanvitali, tum in famoſa Palinodia. Sed obiter univerſos moneo, ſine ulla prorſus dubitatione imploraviſſe Jeſuitas Probabiliſtas mandata, ne Patri Concinæ fas ſit Palinodiæ reſponſum dare, Patris Nicolai Ghezzii Epiſtolis, immanium errorum, ineptarumque reſponſionum plenis: Patrem autem Concinam, ut ſupremis morem gereret juſſionibus, ſicuti ſuum eſt, conticuiſſe. Jam vero ut nova proferam decretoria argumenta contra id quod in cauſſa Probabiliſtica ſcribit Pater Daniel, exſcribere libet mihi hoc loci typis editas fabellas duabus in epiſtolis, in ſermonem Italicum verſis atque in Urbe Lucenſi anno 1745. rurſum impreſſis. Prædico tamen, præmoneoque, in orationem me ingredi nolle ſive directe, ſive oblique de Patris Petit-Didier Apologia, adverſum quam ejuſmodi ſcriptæ ſunt epiſtolæ. Univerſam Janſeniſticam Sectam miſſam ego facio, ac ſolum legentium ob oculos ſtrictim, curſimque ponere volo, quidquid eximius hic Heros inter Probabiliſmi patronos, ſcribit pro Defenſione Probabiliſmi, ſuæque Societatis Patris Gonzalez, ejuſdemque Adſiſtentium. Ante omnia præclariſſimam argumentationem tranſcribo pag. 100., ubi ſcribit Pater Daniel: *Pervulgata res eſt, ex quo in Theologia Quæſtio de Probabilitate exprompta fuit, hanc ipſi faventem doctrinam communem fuiſſe, ac, pene dixerim, univerſalem in Scholis omnibus, cunctiſque Orthodoxis Academiis, in Divi Thomæ Schola, in Schola Scotiſtica, in Facultatibus Pariſienſi, ac Lovanienſi &c.* Hoc poſito primo principio, ſubjungit pag. 102. *Alterum, quod ex antedictis evidentibus factis conſequitur, eſt, Paſchalem, & Vendrochium, manifeſte ambos calumniæ convinci in eo, quod aſſerunt, Jeſuitas eſſe Probabilitatis Authores, eoſdemque in illa ſuo patrocinio fovenda a reliquis Theologis omnibus diſceſſiſſe: quod hominibus cunctis ſe perſuadere arbitrati ſunt officioſi amici, ut univerſo terrarum Orbi inviſos redderent Jeſuitas.* Sat igitur eſt Probabilitas, ſive Probabiliſmus reddendo Jeſuitas inviſos *univerſo terrarum Orbi*. Monſtrum igitur prodigioſum, horrendum dogma ſit oportet hic Probabiliſmus, qui potis eſt inſignem adeo Societatem inviſam reddere *univerſo terrarum Orbi*. At Paſchalis. & Wendrochius ſolos ſub aſpectum Jeſuitas ponebant, veluti Probabilitatis hujus Auctores. Ecquid propterea? Vel bona eſt Probabilitas iſta, vel mala. Si bona ſit, Jeſuitarum laus eſt haberi ipſos ejuſdem ſolos Authores: ſi doctrina iſthæc mala ſit, non propterea inſontes efficit Jeſuitas, quod ab aliis tradita fuerit. Cernitiſne, quam ſit inanis hujus Probabiliſtarum Ducis argumentatio? Etiam atque etiam argumentum urgeamus. Conſtat inter omnes, ferme a ſeculo laudatam Divi Thomæ Scholam, Lovanienſem, Pariſienſem Univerſitates immo totam Gallicanam Eccleſiam Probabiliſmum execrari, tanquam laxitatum omnium fontem. Si errantibus Scholis iſtis Jeſuitæ olim adhæſerunt, quare non adhærent modo Scholis iſtis ad bonam frugem converſis? Quare in iſto perſiſtunt Probabiliſmo apto ad Jeſuitas reddendum inviſos *univerſo terrarum Orbi?* Ad prementia hæc argumenta nullum fuit unquam datum reſponſum, ſed ridendis tergiverſationibus caligo, ac tenebræ offunduntur mentibus hominum craſſioris minervæ, ut miſera alatur ſperantium turba qui perperam etiam illecti ad proficiendum hac via terrenis in rebus, callide præſeferunt ſtudioſos novi ſyſtematis, falſas ſectantis opiniones.

II. Ad propoſitum accedamus caput de controverſia Generalem Gonzalez inter, ac Societatis Adſiſtentes, de qua hæc ſcribit Pater Daniel pag. 115. *Quod attinet ad Generalis Jeſuitarum a ſuis Adſiſtentibus diſſidium de libro typis edito ab ipſo, cujus argumentum eſt Probabilitatis doctrina, te multo melius inſtructum eſſe, opinor, quam ſit Vindiciarum Author, tibique perſpectum eſſe, quanto in Urbe, decori ipſi fuerit eorum agendi ratio in re iſta. Nil aptius, efficaciuſve afferri poſſe* hæc

Digitized by Google

hac Hiſtoria, ego arbitror, ad omnem ſubvuendam invidi hujus Cenſoris moliſionem.

III. Quænam malevoli Cenſoris foret molitio, neſcio, neque ſum cupidus ſciendi. Illud equidem ſcio, purum putumque Patris Danielis commentum eſſe factum, quod ipſe refert, nempe Jeſuitarum agendi rationem in bello domeſtico Præpoſitum inter ac Subditos Societati emolumento fuiſſe, atque decori. Evangelium ipſum certiores nos facit, diſſidia Regnis vaſtitatem inferre. Quod publicum indictum bellum Adſiſtentes inter, ac Generalem, ſubditos inter, ac Præſidem, Religioſo ſit Ordini gloriæ nota, lepidum hoc eſt noſtri Vindiciarum Authoris commentum. Deſcribere hic pergit pag. 116. novennalem Congregationem, quæ juſſu Innocentii X. ſingulis novem annis cogenda erat in Societate. Fidem ipſe facit, *ex comitate, & charitate omnia tranſigi, omniaque ibi concordi animo peragi . . . Dictu eſt impoſſibile quam clarum virtutis exemplum Roma inde caperet; nec melius unquam potuiſſet intelligi, quantum ſapientiæ virtutis concordiæ corpori ineſſe queat, ex tot Gentibus, ac tam diſſimilibus conſtanti.* Ita res habet omnino: at Pater Daniel alteram cum altera Congregatione confundit. De Ordinaria loquitur ipſe Congregatione, habita duobus circiter annis poſtquam Innocentius XII. Pontifex per quinque Cardinalium Congregationem irritum declaravit Procuratorum Provincialium Decretum de cogenda Generali Congregatione. Quid agere poterat Congregatio Procuratorum, ſi liber Gonzalez typis jam fuerat editus, approbante Pontifice, & poſteaquam Pontifex definivit, quod *non amplius audiantur*? Quod ſilentio prætereat Pater Daniel Congregationem quinque Cardinalium, Mareſcotti, Carpegnæ, Spadæ, Panciatici, Albani, judicum a Papa delegatorum ad cognoſcenda Generalis, gerentis vicem Societatis jura nec non Adſiſtentium: quod tacitus prætermittat celebrem quæſtionem *de dimidio ſuffragio*, Scripturas libellos ſupplices cum a Generali, tum ab Adſiſtentibus porrectos Pontifici, Cardinalibus delegatis, Patri Magiſtro Sacri Palatii, nota eſt venia digna in Jeſuita Hiſtorico, ſcribente *pro domo ſua*. Sed quod colligere hinc velit in eam Probabiliſticæ Cauſſæ emolumentum, arrogantia eſt præter modum audax, vulgique abutens nimium credulitate. Si Gallicanam conſcripſiſſet Hiſtoriam æque accurate, ac Hiſtoriam hanc Societatis ſuæ, labem ſuo nomini inferret. Plurima hac de re ab ipſo ſcriptis prodita, veritati adverſantia rerum geſtarum, quæ in Documenta noſtra retulimus, miſſa facio, ea, quæ cauſſæ noſtræ conjunctiora ſunt, indicaturus.

IV. Scribit ergo pag. 117. *Nihilominus, ſi ad ſingularia malles propius deſcendere, vere dicere potes, diſſidium Generalis ab Adſiſtentibus, quod ad libri ejus impreſſionem attinet, haudquaquam ſpectaviſſe doctrinam. Adſiſtentes, qui libri ipſius obſtiterunt impreſſioni, nunquam tamen deſciſcendo ab obſervantia, viro, ejuſque dignitati debita, palam fuerunt profeſſi, ſibi nautiquam in animo eſſe, improbandam ſuſcipere libri materiem, ejuſque doctrinam de Probabilitate. Plerique Adſiſtentium eorumdem Generali præfuerant Congregationi, cum novem ante annos proteſtata Societas fuerat Innocentio XI., Jeſuitas haudquaquam habere doctrinam Probabilitati faventem, veluti doctrinam Societati propriam.*

V. Ex documentis hactenus adductis, atque ex duobus infra adducendis, nempe decimonono, ac vigeſimo, perſpicuum eſt, meras fabellas eſſe, quæ hoc loci ſcribit Pater Daniel, Adſiſtentes videlicet non obſtitiſſe impreſſioni libri, doctrinæ cauſſa. Facta Innocentio XI. proteſtatio in Generali Congregatione, quod non haberent Jeſuitæ Probabiliſmum, veluti doctrinam Societati propriam, veriſſima eſt: ſed veriſſimum pariter eſt, Jeſuitarum Probabiliſtarum Sectam, in Aula tunc temporis plurimum authoritate, ac gratia valentem, librorum editioni, adverſantium Probabiliſmo, ſemper obſtitiſſe. Elizalde fuit neceſſitate adactos, non ſecus ac Pater Blanchi, ad libros typis mandandos ſub alio nomine. Gonzalez per annos viginti ſuum in lucem emittere librum nequivit. Cauſſas attendamus, queis, teſte Societatis Vindice, permoti Adſiſtentes fuerunt, ad obſtandum impreſſioni libri.

VI. *Quod igitur* (ſcribit Pater Daniel pag. 118.) *compulit Adſiſtentes ad obſecrandum Patrem Generalem, ne prælo ſuum librum committeret, illud fuit, quod eum*

mi-

Digitized by Google

minime decere fuerint rati, in certamen, atque diſcrimen venire, quicumque demum is foret, cujus gratia ſeſe ipſe conjiceret in diſputationis periculum; eoque magis averſabantur ipſi ejus certamen, quo erat periculoſius argumentum, de quo tractabatur, quod tamdiu jam tanta patronorum ſtipabatur frequentia. Quod ſi quis librum ejus ſuſcepiſſet refellendum, ajebant, futurum fuiſſe, ut ejus eſſet muneris reſpondere; ac tum quidem, uti uſuvenit in ejuſmodi Theologicis diſputationibus, incaleſcentibus animis tanta conditionis ſuæ caperetur oblivione, ut illam, utpote jam depreſſam, æquam faceret, ac parem Adverſarii ſui conditioni: neutiquam decere, cætus ſpectabilis Generalem cerni manus conſerentem cum privato homine atque impenſe Scholaſticis vacantem diſceptationibus, in quibus fieri vix poteſt, ut ſemper omnia circumſpiciantur, nec debitis officiorum rationibus aliquando deſit alteruter: quod mala homines non imbuere opinione de Societate non poſſet.

VII. Hoc ſingulare fragmentum eſt egregiæ fabuloſæ narrationis, ab uno Patris Danielis ingenio confictæ. Facilis negotii eſt, illius falſitatem evidentiſſime compertam facere. Certiſſima veritas eſt, Patris Gonzalez librum fuiſſe ab Adſiſtentibus cenſoriis notis diſpunctum, viſumque iiſdem fuiſſe, prælo committendum non eſſe ſub Generali Oliva uſque ab anno 1674. Pater Gonzalez anno 1687. renunciatus fuit Generalis. Fierine potuit tredecim iſtis annis, ut Adſiſtentibus, qui libri editioni refragati ſunt, in mentem cauſſæ non venirent, quas ſomniatus eſt Pater Daniel? Tredecim iſtis annis imminebatne periculum æquam, paremque faciendi Præſulis dignitatem Adverſarii ipſius conditioni? Licebatne tredecim iſtis annis prælo librum ſubjicere abſque metu, *ne cætus ſpectabilis Generalis cerneretur manus conſerens cum privato homine?* Quid plura? Infra in documento vigeſimo in medium cunctæ offeruntur Reviſorum cenſuræ, atque cunctæ doctrinam tangunt. Quocirca tredecim annorum curriculo æque, ac meridiana lux, patet, prætextas cauſſas, a Patre Daniele adductas, pura putaque eſſe ſomnia ipſius. Ex quo juſſus fuit Generalis, ullone in ſcripto, ullone in ſupplici libello ex allatis ſuſpicioni vel leviſſimæ locus datur indicatarum commentiarum cauſſarum? Ad hæc. Tres celebres epiſtolæ a celeberrimo Jeſuita, Probabiliſtici agminis Duce, videlicet a Patre Paulo Segneri conſcriptæ adverſus librum Generalis Thyrſi Gonzalez, nonne tria ſunt illuſtria documenta queis aperta revincitur eorum omnium falſitas, quæ hac de re ſcribit Pater Daniel? Quid tribus in epiſtolis iſtis oſtenditur? Numquid *minime decere, cætus ſpectabilis Generalem cerni manus conſerentem cum privato homine?* At reapſe privatus hic homo calamum ſumpſit, a quinque Adſiſtentibus confirmatus, atque incitatus in ſuum Generalem. Privatus hic homo, Pater Paulus Segneri cunctis eloquentiæ ſuæ nervis in ſingulis tribus epiſtolis ſuis doctrinam refellit ſui Generalis; eam carpit veluti ſingularem, nunc ut laxam, nunc vero ut rigidiorem: modo Generalem ſuum tanquam *inanibus ſpectris illuſum* traducit, modo tanquam periculo proximum in *Janſeniſmum* ruendi. Tres epiſtolæ nunc temporis typis jam editæ proſtant: Patris autem Danielis ætate circumferebantur manuſcriptæ.

VIII. Quid reſponſi affert Pater Daniel ad facta tam pervulgata, ac tam luculenta? Ipſum audite. *Quod autem mirabilius eſt adhuc* (ſcribit ille pag. 123.) *quodque efficacius evincit, quanta ſit Societatis adhæſio Probabilitatis doctrinæ, adſcripta . . . , Jeſuitis*, (magni momenti eſt hoc: tu autem ſatage, ut id etiam, atque etiam conſideretur) *illud eſt, inquam, nec ante, nec poſt Congregationem Generalem, cum de hoc ageretur negotio, nullum, quod ego ſciam, viſum fuiſſe librum ullius Jeſuitæ huic faventem doctrinæ. E contra prodierunt undique libri ad eamdem, juxta mentem Generalis, impugnandam. Ex iis viſi ſunt apud Italos, Gallos, Hiſpanos, Germanos.*

IX. Narratione iſta continentur cum vera, tum falſa. Vera, puta in qualibet Europæ Religione aliquem Jeſuitam tueri Patris Generalis doctrinam, verumque Societatis Spiritum, in capite ſequenti manifeſtabimus. Falſa ſe ipſis comperta ſunt. Memoratæ Patris Segneri Epiſtolæ adverſum Gonzalez doctrinam, Romæ conſcriptæ, ſub Generalis aſpectu Romæ in vulgus editæ Manuſcriptæ, Patris Danielis redarguunt narrationem: *poſt Congregationem Generalem nullus viſus fuit liber*

ber

ber ullius Jeſuitæ, huic favens doctrinæ. Audiıæne ſunt aliquando tabuloſæ ſimilis generis narrationes? Pater Claudius La-Croix, qui illa vivebat ætate, nonne litteris mandat, Probabiliſmum defendere *Auctores fere omnes e Societate? Lib.* **1.** *num.* 169. Pater Viva, Scriptor ferme ætatis ejuſdem, nonne Probabiliſmum ipſemet propugnat? Pater Carolus Caſuedi nonne quinque Tomos ſemiſſibus foliolis in lucem pro Probabiliſmo typis edidit? Hi, & alii quamplurimi nonne ſerio Patris Generalis Gonzalez doctrinam oppugnant? Hæc facta ſunt ita perſpicua, ut probationis non egeant; iterumque propterea Authorem, ſic pag. 120. diſſerentem, audiamus.

X. *His Adſiſtentium rationibus minime obſtantibus, bona ſemper cum venia, ſicuti æquum erat, ſuo Generali expoſitis ille . . . . ſatius duxit, libri ſui ut editio procederet, ſinere, ad id ſequentibus impulſus rationibus, quas ab eodemmet Patre Generali ego accepi. Prima ratio petita fuit ab injuria, quam noverat ipſe fieri Jeſuitis, paſſim diſcerptis, tanquam Auctoribus, ac Vindicibus Doctrinæ perinde ac eſſet ipſorum propria, cum tamen innumeris ſit communis Doctoribus, ac Theologis magni nominis, primique ſubſellii in Eccleſia, quomodo in libri ſui Præfatione Generalis ipſe profeſſus eſt.*

XI. Duo magni ponderis, maximique momenti conſideranda hic nobis occurrunt. En primum. Rurſum igitur confirmatur, Generalem noviſſe, injuria dilacerari Jeſuitas, *tanquam Authores, ac Vindices doctrinæ, perinde ac eſſet ipſorum propria, cum tamen innumeris ſit communis Doctoribus.* Igitur (denuo illationes, ſuperiori loco deductas colligo) immane monſtrum eſt Probabiliſmus, *ſolos Jeſuitas* inique dilanians, cum tamen innumeros habeant ipſi rei hujus conſortes. Si foret Probabiliſmus decora, nitida, pura, ſuaviſſima illa doctrina, quæ illuſtres animas ad Cælum evehit, clamarentne Jeſuitæ cum voce, tum prælo, ſe eximiæ adeo doctrinæ Authores non eſſe? Putarentne Jeſuitæ, ſe infamia, obtrectationibus, calumniis oppreſſos, cum decantantur veluti Authores, Fautoreſve præcipui recens adinventi ſuaviſſimi jugi? Quænam puerilia, riſuque digna effugia ſunt iſthæc? Si Probabiliſmus ſit doctrina falſa, ac monſtro ſimilis, quid confert ad Jeſuitarum purgationem, alios Theologos eumdem perdocuiſſe? Ergone aſſeritur, Jeſuitas cum aliis Theologis conſentire in propugnanda doctrina, quæ in Eccleſia ſcandalo ſit? Quid reponit tua Reverentia? Si doctrina hæc bona, veraque ſit, cur vos pudet pro illa pugnare ſolos? Cur ad Theologos confugitis aliorum Ordinum? Tantumne humilitatis, ut in Theologorum Fratrum diſciplinam voſmetipſos tradatis? O magnam Probabiliſmi vim! Quid reſponſi redditur? Quænam diſtinctiuncula cuditur? Alterum conſideratu maxime, dignum eſt illud. Poſtquam has litteras conſcripſit Pater Daniel, univerſa Eccleſia Gallicana damnavit Probabiliſmum. Schola univerſa Thomiſtica eumdem improbat. Cuncti clari nominis eruditi viri, non modo Catholici, ſed Hæretici quoque ipſi Probabiliſmum irrident, ceu falſam, pernicioſam doctrinam, nec non laxarum opinionum omnium fontem. Non igitur modo licet Jeſuitis oſtentare Sodales, quos Patris Danielis temporibus oſtentabant. Igitur Jeſuitæ Probabiliſtæ pene ſoli patent lacerationi hujus immitis leonis, nempe Probabiliſmi.

XII. Iterum loqui geſſit Pater Daniel pag. 120. *Altera ratio, eumdem impellens, fuit debita ex reverentia indulgentia Papæ Innocentio XI. qui ſuam ei aperuerat ſententiam, ſuamque propenſam voluntatem in Operis illius editionem cujus tenebantur deſiderio nobiliſſimi Aulæ Romanæ Viri.* Non itaque inficias itur, Papam Innoc. XI. *Viroſque Aulæ Romanæ nobiliſſimos* libros Gonzalez adverſus Probabiliſmum patrocinari. Et ſane quidem Pontificem Innoc. XI. rationem exploraſſe omnem, ut eliminaretur e Societate Probabiliſmus, certiores ipſemet Generalis Gonzalez pluribus in locis nos facit, hacque de re Sancti Patris Decretum nobis idipſum confirmat. Propterea haud minus propria eſſe mihi videtur illa phraſis, Patrem ſcilicet Gonzalez *debita ex reverentia indulgentiæ* Papæ Innocentio XI. gratia ſuum typis in lucem librum emiſiſſe. Dicendum potius videtur eſſe, *debitæ obedientiæ*, potius quam *indulgentiæ*, quippe quod ageretur de ſubdito, collato cum Domino. Hæc perlevis eſſent momenti, niſi a Jeſuita, Societatis Vindice, ſcripta eſſent. Hæc igitur ſit præ-

ſen-

Digitized by Google

ſentis capitis ſumma, ea nimirum, quæ ſcribit Pater Daniel de lite inter Patrem Generalem Gonzalez, ejuſque Adſiſtentes, aperta figmenta eſſe, putidaſque fabellas, eaque ita omnino eſſe, palam evictum fuit documentis a nobis allatis, aliiſque mox afferendis.

CAPUT XXXVII.

Colligitur, quam neceſſariæ forent hæ Societatis Jeſu Vindiciæ adverſus Jeſuitarum Probabiliſtarum Factionem, nec non adverſus Janſenianos. Objectioni reſpondetur, ex eo petitæ, quod ſoli Jeſuitæ vocem extulerint contra Hiſtoriam Probabiliſmi.

I. SE contra duplicis generis Adverſarios vindicavit inſignis Societas Jeſu, nempe contra Janſenianos, Paſchalem, Wendrochium, Arnaldum, alioſque, qui laxas privatorum Caſuiſtarum opiniones in ipſum derivabant Societatis corpus, & contra Jeſuitas, Vindicationum Authores, qui negantes privatos Caſuiſtas Jeſuitas laxas perdocuiſſe opiniones a Paſchali exſcriptas, inefficaces omnes Societatis Vindicias, a ſemetipſis factitatas, reddebant. Quod autem magis, magiſque conducebat, & etiamnum conducit ad commonſtrandas everſas Vindicias quaslibet, hactenus a memoratis Jeſuitis Fabri, Moya, Pirot, Raynaude, Des-Camps, ac Daniele vulgatas, ſunt Caſuiſtarum Jeſuitarum Antilogiæ manifeſtæ. Des-Camps, & Daniel Paſchali præ cæteris ſuccenſent, quod ipſe Societati Probabiliſmum adſcribat. Gloriantur Theologi Jeſuitæ, cunctos ferme Theologos Jeſuitas præfatum condocere Probabiliſmum: *Auctores fere omnes Societatis Jeſu, quorum præcipuos referunt Des-Camps, & Eſparza*. La-Croix *lib. 1. num. 169.* Bartholomæus Fibo atteſtatur, *Societatis totius Doctores* Probabiliſmum docere. *Apolog. cap. 2. §. 1.* Luculenta hæc teſtimonia certiores faciunt Janſenianos, doctrinam Probabiliſticam a Societate ceu doctrinam propriam adoptari. Ejuſmodi falſitas palam a nobis detecta fuit. Documentis fuit oſtenſum, ſemper adfuiſſe in Societate viros ſanæ doctrinæ, Probabiliſmo adverſæ, hæredes. Ipſemet Pater Daniel teſtimonium perhibet, ſicuti vidimus ſupra: *nec ante, nec poſt Congregationem Generalem, cum de hoc ageretur negotio, nullum, quod ego ſciam, viſum fuiſſe librum ullius Jeſuitæ, huic faventem doctrinæ.* (Probabiliſticæ) *E contra prodierunt undique libri ad eamdem, juxta mentem Generalis, impugnandam. Ex iis viſi ſunt apud Italos, Gallos, Hiſpanos, Germanos*. Quodnam certioris teſtimonium fidei afferri poteſt ad evincendum, Generalem Gonzalez ex Jeſuitarum Probabiliſtarum partibus triumphum egiſſe? Quodnam magis decretorium argumentum, Divi Ignatii legem de proſequendo in dubiis controverſiis tutiorem doctrinam, temporibus ſingulis, ſinguliſque in Provinciis doctos, ſanctoſque filios ſemper numeraviſſe, qui eamdem cuſtodiunt, quique, evangelico æſtuantes zelo, calamum pro illius defenſione ſtrinxerunt?

II. Vindiciarum noſtrarum unumquiſque modo neceſſitatem perſpicit, utpote quæ Jeſuitarum Probabiliſtarum legionem devictam aperte demonſtrant ac profligatam ab adverſa Antiprobabiliſtica parte, quæ Sancti Patriarchæ Ignatii legibus, Ducibuſque perdoctis ac piis Generalibus, maxime vero Gonzalez, Societatis ſpiritum refert. Hinc autem neceſſario fit conſequens, falſo Janſenianos ac Jeſuitas Probabiliſtas Probabiliſmum Societati tribuere. Eo autem magis neceſſariæ erant *Vindiciæ* iſtæ, quod omnes uſque adhuc in lucem editæ pro Jeſuitis Apologiæ, nil plane, uti dictum eſt, conficiunt, tum quia vera denegant facta, tum quia facta proferunt falſa. Nos vera facta confeſſi, ac refellentes mendacia, invicta oſtendimus ratione, Societatis Spiritum, Sancti Patriarchæ Ignatii legis rectæ, eſſe Probabiliſmo adverſum, ac veræ oppoſitæ Doctrinæ conjunctiſſimum eſſe.

III. Audio, qui contra me regerat: Rationes ſunt optimæ: legitima ſunt Documenta. At vero quid uſus? Adverſus hic eſt. Quiſnam Theologus Italus Jeſuita poſt Gonzalez obitum ſcripſit in Probabiliſmum? Quinam ex tot Caſuiſtis Jeſuitis adverſarios præſetulerunt Probabiliſmo? Quid plura? Cum publicam Probabiliſmi Hiſtoria lucem aſpexiſſet, quiſnam fuit illi adverſatus, præter Theologos Societatis, Ghezzios, Lecchios, Bovios, Gagnas, Richelmios cum aliis? Quieverunt cuncti: ſoli Jeſuitæ quam ma-

maximo impetu in eamdem conjuravere: hi prodierunt in aciem ſuppetias ruenti Probabiliſmo laturi. Communiter ergo Probabiliſmum Jeſuitæ adſciverunt. Ejuſmodi rurſus confirmare illationem poſſem tot laxarum opinionum uſu ab ipſorum Moralibus Theologis defenſarum. Silentio prætereo evidentem earumdem in conſiliis uſum, quandoquidem Reverendi Patres Lecchius, Bovius aliique Divi Ignatii explicant legem de ſequendo ſententias tutiores in Scholis, minime vero in Exedris ad excipiendas confeſſiones, aut in penetralibus virorum principum.

IV. Huic objectioni nihil eſt cur ullum reſponſum faciam. Ut evaneſcant cum hæc, tum aliæ id genus objectiones, lucubratæ ſunt hæ *Vindiciæ*. Jeſuitarum Probabiliſtarum factio ſemper ab Æra Probabiliſtica conſtitit, vereorque, ne ſemper ſit perduratura. Ghezzii, Lecchii, Bovii, Gagnę, Richelmii hęredes ſunt Adſiſtentium, Generali Gonzalez infenſorum. Quid inde? Nunquid hi Societatem conſtituunt? Hi ſunt adverſi in hac re Spiritui Doctrinę Societatis. Malatræ, Munieſſæ, Camargi, Simoneti, Giſberti, Antoines cum aliis quamplurimis ſunt Doctrinæ Sancti Parentis hæredes. Tot ſapientes, doctiſſimique Jeſuitę, pietate inſignes, atque ſapientia, calamum haudquaquam ſumpſerunt pro Gonzalez, Societatiſque doctrina, quod id minime opus eſſe intellexerint. Redundant Ghezziorum, Lecchiorum, Gagnarum, Richelmiorum libri tot puerilibus nugis, tot gerris, ut nulla indigeant reſponſione: eo vel maxime quia illos in reſponſis ab Authore Hiſtorię Probabiliſmi in lucem editis ita deſcriptos viderint, ut irriſione ęque, ac miſeratione ſint digniſſimi. Societatis ſpiritus in re didaſcalica, non ſecus ac Religionis Jeſu Chriſti Spiritus ex hoc, vel illo ſive homine Religioſo, ſive Chriſtifideli neutiquam dignoſcitur, ſed ex Legibus in Societate a Divo Ignatio conditis, & ex Evangelio, a Chriſto Domino noſtro Evangeliſtis inſpirato. Claudamus cum Auguſtino: *Qualibet Profeſſio ſuos fictos habet*.

CAPUT XXXVIII.

DOCUMENTUM DECIMUMNONUM.

Cenſura edita a quinque Cenſoribus Le Roy, Requieſcens, A Cruce, Dunello, Eſparza in Gonzalez librum an. 1674. Generali Oliva.

I. Tempus eſt jam Cenſuram in medium proferre, editam Generali Oliva a quinque Cenſoribus, in Patris Thyrſi Gonzalez librum an. 1674. XV. Kalendas Sextiles. Mendacia tantummodo Documentum hoc pateſacit, a Patre Paulo Segneri, a Daniele, a Fabri, a Gagna, atque ab aliis Probabiliſticarum partium Jeſuitis evulgata. Duas in partes Cenſura tribuitur. Continet prior pars ſex Capita didaſcalica, ac pręcipua Probabiliſticę Controverſię. Altera Cenſurę pars ſex complectitur abſurda, quę ex libri ejuſdem Editione orirentur. Poſtremum inter abſurda Politicem redolet: eſt autem ſequens: *Non expedit, opus iſtud in lucem edi, ne jactent Adverſarii noſtri, Jeſuitas tandem aperuiſſe oculos, & argumentis convictos, paulatim ab errore ſuo recedere; & qui inter illos doctiores ſunt (ſic enim & ipſi loquuntur) viam aliis monſtrare, quam ſequi debeant*. Rationes, quæ poſtremo loco afferuntur, juxta effatum illud Quintiliani, ni fallor, *fortia, fortiora fortiſſima*, eſſe ſolent validiſſimę, efficaciſſimę, ut, cum vegetiores hęreant Judiciis menti, ſententiam laturi, altius imprimantur, ſintque inſtar notę, ac ſigilli in animum id, quod ſuadetur, inducentis... Num quinque Cenſores in extremum locum, tanquam validiſſimam rationem ſupprimendi Patri Gonzalez librum, rejecerint laudatam Politicę prę-ceptionem, me fugit. Illud quidem ſcio, hanc unam rationem in invidiam adducere pręfatam Cenſuram, ac ſeveriori Criticę quinque Cenſores obiicere.

II. Pater Alpharus Hiſpanus accitus a Generali Gonzalez fuit Innocentii XI. hortatu, qui Generali indicaverat, ut curaret a Profeſſore Theologo Romani Collegii refellendum Probabiliſmum, uti per laudatum Patrem Alpharum ſtrenue pręſtitit. Fuit hic ex fortiſſimis ſubditis unus, qui ſui Generalis doctrinam defendit.

Ejus

Ejus doctrina, ejus integritas immortale nomen in Urbe ei pepererunt; ipſum propterea Innocentius XII. Pœnitentiariæ Theologum inſtituit. Hic igitur Pater Joſeph Alpharus Cenſorum animadverſiones in Patris Gonzalez Opus ſuſcepit diſcutiendas, cumque illas comperiſſet ineptas, atque labantes, prolixum Tractatum compoſuit, inſcriptum *Cenſura Cenſuræ*. Lucubratio hęc nondum fuit edita. Pendebam animis, num eamdem publici facturus eſſem juris in hiſce *Vindiciis*, utpoteque & fuſior ſit, & ad doctrinam pertineat: at poſtquam multa animo cogitaſſem, viſum mihi eſt illius miſſam facere in his *Vindiciis* editionem, non ignaro, quod alio in Opere typis excudetur. Interim ejus fragmentum tantummodo in ſequenti capite exſcribam.

Num. XIX.

JUDICIUM

Patrum Reviſorum Generalis de Libro inſcripto: Fundamentum Theologiæ Moralis, ideſt Tractatus de recto uſu opinionum Probabilium.

Quamvis ingenioſe admodum compoſitus ſit tractatus iſte ab homine docto, & erudito, plura tamen ſunt, quæ videntur obſtare editioni, quorum præcipua ſunt hæc.

Primum enim docet Auctor, nemini licere operari ſecundum opinionem minus probabilem, relicta magis tuta, non ſolum evidenter probabiliore, ſed etiam abſolute, & ſimpliciter, ideſt, quocumque modo exiſtimata probabiliore, licet non evidenter, ut multis probare contendit quæſt. 3.

2. Docet, in pari gradu probabilitatis, non licere operari ſecundum minus tutam.

3. Docet quæſt. 10. Confeſſarium non poſſe contra propriam opinionem abſolvere Pœnitentem, utentem opinione Probabili, imo ſibi Probabiliori.

4. Docet quæſt. 18. non licere homini docto, conſulere, vel reſpondere ſecundum Probabiliſſimam aliorum opinionem, minus tutam, contra ſibi Probabiliorem.

5. Docet quæſt. 29. non probabilitatem communem oppoſitis opinionibus, ſed dumtaxat veritatem, ſaltem exiſtimatam, & prudenter affirmatam, eſſe rectam regulam morum.

6. Nihilominus docet, ad recte operandum non ſufficere veritatem realem quæſt. 10., qua in re videtur contradicere dictis a ſe quæſt. præcedenti. Cum ſit, tantaque doceat hic Author, a communi Scholarum ſenſu abhorrentia, non ſolum Societatis, ſed etiam aliorum Ordinum, & Accademiarum; non videtur, ſecundum noſtras Regulas permitti poſſe hujus Operis editio; præſertim cum multa ex prædicta doctrina incommoda conſequantur, quorum nonnulla ſubjicimus.

Primum, cum Superior præcipit aliquid, quod ſubdito probabilius videtur eſſe illicitum, teneri ſubditum non obedire, & peccare ſi obediat, hoc autem eſt contra Patres, & Spiritualis vitæ Magiſtros, qui docent, verum obedientem debere obedire in omnibus in quibus nihil evidenter Deo contrarium præcipitur. Reſpondet Author, teneri ſubditum quærere rationes, & motiva, quibus probabilior illi fiat Prælati opinio. Sed quid, ſi quærat, & non inveniat? Tenebitur ne obedire? Authoritas, inquit, præcipientis faciet illi probabilius id, quod præcipitur. Quaſi vero authoritas Superioris, qui non raro eſt minus doctus, quam ſubditus, præponderet rationibus in contrarium, & authoritati doctorum hominum, quorum ſententiam ſubditus ſequitur tamquam ſibi probabiliorem.

2. Ex doctrina Authoris ſequitur, falſum eſſe, quod docet S. P. N. Ignatius in Epiſtola de obedientia, ubi ad perfectionem obedientiæ requirit, ut ſubditus conformet judicium cum judicio Superioris in omnibus, in quibus veritatis evidentia vim intellectui non infert. Tunc enim, inquit, poteſt voluntatis pondere in hanc potius, quam in aliam partem inclinari. Ponamus igitur, Superiorem præcipere ſubdito aliquid, quod iſte non evidenter, ſed probabiliter putet eſſe illicitum: debet, juxta S. Patrem, ſubmittere judicium ſuum judicio Superioris, & obedire ex imperio voluntatis, ut in rebus fidei. Hæc autem negat Author fieri poſſe.

3. Sequitur, nullum eſſe proprie, & formaliter Hæreticum, dum errat contra

fidem: Aut enim ſuus error videtur illi probabilior veritate oppoſita, vel e contra. Si primum, aſſentitur errori, qui videtur illi probabilior. Si ſecundum, aſſentitur veritati, & ſic in neutro caſu erit hæreticus. Erit, inquit, quia neglexit inquirere rationes, quibus redderetur ſibi credibilis veritas fidei. Ergo error ipſe contra fidem non eſt peccatum hæreſis, ſed peccatum conſiſtit ſolummodo in illo neglectu quod non videtur ſufficere, ut quis dicatur formaliter hæreticus, & pertinax.

4. Sequitur, non dari judicium temerarium, cum unuſquiſque judicet ſecundum id, quod probabilius ſibi apparet, nec poſſit ex levibus fundamentis judicare ex pravo affectu voluntatis, juxta Authorem; atque ita ruit commune Philoſophorum effatum ex Ariſtotele. Unuſquiſque judicat, pro ut eſt affectus, experientia quotidiana idipſum teſtante.

5. Si requiritur veritas realis, & non ſufficit prudenter exiſtimata, ad recte operandum, ſequitur, eum, qui obedit Superiori, aliquid, quod reipſa eſt malum, bona fide præcipienti, non recte operari, atque adeo perdere meritum obedientiæ. Docet enim Author, quotieſcumque aliquis operatur ex conſcientia erronea invincibiliter, excuſari quidem a culpa, ſed tamen operationem ejus nunquam eſſe meritoriam, & honeſtam; quod eſt contra communiſſimum hominum ſenſum, quamvis Author ex D. Thoma, & Bernardo, male intellectis, id probare contendat.

Poſtremo quis ferat in Authore Societatis, ſummis laudibus extolli homines de Societate male meritos, & novæ doctrinæ partiarios, ut Fagnanum, Sinnichium, Mercorum, Merendam, alioſque, quorum ſententiam præfert tot viris doctiſſimis, & religioſiſſimis in re graviſſima, quam ipſe appellat *fundamentum Theologiæ Moralis*, eoſque peccati damnat, ut qui, nimio affectu placendi hominibus, abſque ſufficienti ſtudio, ſententiam protulerit, ut ait quæſt. 9. fol. 59. n. 37. Nititur quidem Author oſtendere, ſententiam ſuam non adverſari communi: ſed fruſtra. His, aliiſque de cauſis, quas brevitatis ſtudio præterimus, non expedit, opus iſtud in lucem edi, ne jactent adverſarii noſtri Jeſuitas tandem aperuiſſe oculos, & argumentis convictos paulatim ab errore ſuo recedere, & qui inter illos doctiores ſunt, (ſic enim & ipſi loquuntur) viam aliis monſtrare, quam ſequi debeant.

Franciſcus le Roy.
Joſeph M. de Requieſcens.
Franciſcus a Cruce.
Franciſcus Duneilus.
Martinus de Eſparza.

In Collegio Romano 18. Junii 1674.

CAPUT XXXIX.

Patris Joſephi Alphari Hiſpani Animadverſiones quædam in deſcriptam Cenſuram, in qua graviſſima Cauſſa Quæſtio de Probabiliſmo appellatur.

I. Pater Joſeph Alpharus, doctiſſimus Theologus, uti præmonitum fuit, fuſiorem Tractatum edidit in Patrum Reviſorum Cenſuram, ejuſdemque apertiſſime demonſtrat falſitatem. Inſignis hic Theologus pleniſſime planiſſimeque præcipua Controverſiæ fundamenta exponit, gravioreſque evolvit difficultates, ac Patris Generalis Cenſores exhibet, ceu principiis minus ad Chriſtianam Theologiam accommodatis præventos. De hoc prolixo Tractatu certum eſt mihi, brevitatis gratia, quædam ſolummodo referre quæ ejuſdem §. V. ſcribit. Ante omnia teſcribit verba Cenſuræ poſtremo abſurdo contenta. *Quis ferat in Authore Societatis, ſummis laudibus extolli homines, de Societate male meritos, & novæ Doctrinæ partiarios, ut Fagnanum, Sinnichium, Mercorum, Merendam, alioſque, quorum ſententiam præfert tot viris doctiſſimis, & religioſiſſimis in re graviſſima, quam ipſe appellat Fundamentum Theologiæ Moralis, eoſque peccati damnat, ut qui nimio affectu placendi hominibus, abſque ſufficienti ſtudio, ſententiam protulerint. Nititur quidem Author oſtendere, ſententiam ſuam non adverſari communi; ſed fruſtra.*

II. Si Jeſuitæ a partibus probabiliſticis ſtantes, eo, quo conſueverunt, poſſent ſeſe recipere, ajendo videlicet recitatum textum eſſe mutilum, non eſſe ſincerum, id impenſiſſime facerent, opinor. Verum equidem eſt, in magis diſtinctis, ac perſpicuis textibus non pudere iſtos Probabiliſtas, hanc obiicere ipſorum commentitiam

tiam larvam: nihilo tamen minus uti nunc temporis hujuſmodi cavillatione ipſis non licet. Cenſura eſt nitida, abſque eo quod vel antecedentia, vel conſequentia eamdem attemperent; quin imo ſequentia verba longe ſunt aſperiora quemadmodum innoteſcet. A prioribus initium ducamus.

III. *Quis ferat in Auctore Societatis, ſummis laudibus extolli homines, de Societate male meritos?* Author Jeſuita infenſos Societati homines ſummis extollit laudibus! Quiſnam enorme adeo facinus ferre poterit? *Quis ferat?* At quid ſi forent homines iſti bene de Eccleſia, de litteraria Republica meriti? Nihil refert. *Quis ferat?* Infenſi ſunt Societati. Id unum ſufficit, ne laudibus extolli debeant. At enim Evangelium? At religioſa Profeſſio? Hæc prætergrediamur. Verum enim vero quinam ſunt homines iſti novę Doctrinę partiarii, ſummis laudibus a Patre Gonzalez, Authore Societatis, elati? Sunt *Fagnanus*, ſeptem circiter Summorum Pontificum Adminiſter, celeberrimus Pontificię legis peritia, Sanctę Romanę Eccleſię piiſſimus Preſul. *Julius Mercorus*, ſapiens Theologus, Sanctę Inquiſitor Eccleſię; *Merenda* publicus in Bononienſi Univerſitate Profeſſor; *Sinnichius*, Proteſtantium expugnator, ac Lovanii Profeſſor. Attamen *Quis ferat*, iſtos ab Authore Jeſuita extolli laudibus? *Quis ferat in Authore Societatis?* Viri iſti inſignes vocitantur *Novæ Doctrinæ Partiarii*, quod Probabiliſmo adverſantur, a Diana, a Caramuele, a Paſqualigo, a Tamburino atque ab aliis Theologis Moralibus, damnatis ſententiis ſcatentibus, propugnato. Hi autem *viri doctiſſimi*, & *religioſiſſimi* appellantur: cui rei minime repugno, dommodo obſervetur, viros eſſe laxiſſimarum, damnatarumque doctrinarum Magiſtros. Nihilominus Pater Eſparza cum Sociis ſuis ferre nequit, Patrem Gonzalez antepouere antiquam omnium Patrum ac Theologorum doctrinam, quemadmodum ipſemet Pater Amicus Jeſuita confitetur, *tot viris doctiſſimis, & religioſiſſimis in re graviſſima*. Juniores noſtri Probabiliſtæ coram ipſorum ſtudioſis, ac minus peritis dictitant, Probabiliſticam Controverſiam *Quæſtionem* eſſe *de vocibus*, ideoque nihil eſſe, cur ea diſcutienda ſit. Ita plane loquebantur Monothelitæ, Eutychiani, ut preceptum implorarent de *mutuo ſilentio*, & ut liceret cuique, nemine reclamante, promovere proprium Siſtema. Verum a Cenſoribus libri Gonzalez, nuncupatur Probabiliſmus *Cauſſa graviſſima*.

IV. *His, aliiſque de cauſis, quas brevitatis ſtudio prætertimus, non expedit, Opus iſtud in lucem edi, ne jactent Adverſarii noſtri, Jeſuitas tandem aperuiſſe oculos, & argumentis convictos paulatim ab errore ſuo recedere & qui inter illos doctiores ſunt, viam aliis monſtrare quam ſequi debeant.* Verba hæc plurium rerum ſunt gravida. Eorumdem ſignificationes, relationes, conſecutiones percellunt, perturbant mentem. Si ea mihi liberet appoſite declarare, fornita exaggerantis notam ſubirem. Aures Patri Joſepho Alpharo accommodemus.

V. *Sed reſpondeo, hæc videri parum conſiderate dicta; nam procul dubio, ſi Patres Reviſores prævidiſſent ſuam hanc Cenſuram vulgandam deinde fore, & ex ſecreto, & occulto ipſorum libro educendam in publicam lucem, nullatenus auſi eſſent hæc ſcribere; vererentur enim ipſi aliorum judicium & cenſuram.* Æquiſſima animadverſio! Inquiet nonnemo Evangelicæ Doctrinæ ignarus: ſi Cenſura abdita ſit, & occulta, quid eſt quod in apertum proferatur? Quia in primis a dimidio ſeculo, & amplius in publicum prodiit, hoc ipſo quod Cardinalibus, Præſulibuſque fuerit diſtributa, ſitque omnibus patens in publicis Bibliothecis una cum aliis Documentis, prælo typico hic in lucem emiſſis. Non prælo dumtaxat, ſed de unius manu in plurium manus traditione divulgatur Scriptura quelibet. Deinde publici Operis Cenſura ſuapte natura publica eſt. Licebitne Cenſoribus auctoritatem, fidemque infirmare Operum publico bono utilium, ſuis ſcriptis; nobis autem fas neutiquam erit palam omnibus facere ejuſmodi Cenſurarum injuſtitiam? Imo, ut coerceatur impudentia, utque cohibeatur effrænata maledicendi libido, detegere opus eſt iſtas, inſidiarum plenas, machinationes. Non ita pridem Magiſter quidem Theologus Cenſuram ſcripſerat in librum, cui titulus: *Diſciplina Apoſtolico Monaſtica &c.* eamque ſecreto diſtribuerat, deprimendi ergo laudatum librum, ac ſanam doctrinam: Cenſura cum in Authoris *Diſciplinæ* perveniſſet manus, typis fuit edita cum notis

op-

opportunis. Dictitabant nonnulli Magiſtri, ac Baccalaurei, laborantes Evangelii ignorantia, typis committendam non eſſe Cenſuram manuſcriptam: quaſi vero Codices manuſcripti, plurimorum detriti manibus, æque non pateant ſuopte ingenio magis, minuſque, ac typis excuſi.

VI. Verum exſcribamus juſtam reprehenſionem, qua Pater Joſeph Alpharus iſtos omnes perſtringit in ſua lucubratione, inſcripta: *Cenſura in Cenſuram*. Sic pergit ille ſcribere poſt recitata verba: *Oportebat autem, ut eſſent memores laudatiſſimæ illius ſententiæ Ciceron. 2. de Finibus, ubi ſic ſtatuit: Mihi quidem eſſe veræ videntur opiniones quæ honeſtæ, quæ laudabiles, quæ glorioſæ, quæ in Senatu, quæ apud populum, quæ in omni cœtu, conſilioque proferendæ ſunt, ut ei non pudeat ſentire, quæ pudet dicere.* (*ſcilicet publice*) Hanc graviſſimam ii meditentur doctrinam, qui vellent, ut celarentur Opera, Scriptaque, ita comparata, ut fidem abrogent ſanæ Doctrinæ, falſa obducta ſpecie non lædendi Authorum exiſtimationem. Degenerem jactant illi charitatem erga hunc, vel illum Scriptorem; ac una ſimul charitatis expertes ſunt erga humanum genus, falſis deceptum doctrinis. Eloqui denuo cupit Pater Alpharus.

VII. *Certe, quod Patres Reviſores appellent Doctrinæ Partiarios, Fagnanum, Merendam, minime probabitur Curiæ Romanæ, præſertim poſtquam damnatum fuit Caramuelis Apologema... Et quid dicerent Patres Dominicani, ſi viderent Rev. Patr. Julium Mercorum infamari, & traduci tanquam doctrinæ Partiarium?* Aſſueverunt jam Dominicani atras perferre *Rigoriſmi*, *Janſeniſmi* notas ipſis inuſtas a Jeſuitis Probabiliſtis, eo quod ſententiis, Eccleſiæ perniciosis, adverſentur, ſanamque doctrinam propugnent. Alte animo defixus maneat mos liberalium illorum Probabiliſtarum, qui a ſeculo & amplius ſibi jus uſurparunt traducendi, tanquam Novatores, tanquam Hæreticos, nobiliſſimos Sanctæ Eccleſiæ viros, propterea quod in ipſorum noxium ſcribant Probabiliſmum.

VIII. Cenſuram abſolvit ſuam Pater Alpharus hoc pacto: *Jam vero ultima illa ſententia, & ratio, qua decretorie concludunt non expedire, ut liber edatur in lucem, ne ſcilicet jactent Adverſarii noſtri, Jeſuitas tandem aperuiſſe oculos, & argumentis convictos paulatim ab errore ſuo recedere, & qui inter illos doctiores ſunt, viam aliis monſtrare, quam ſequi debeant: ſane, ut libere dicam, quod ſentio, ratio eſt nimis humana, & parum honeſta, & propter quam Reviſores puderet ſi non ſecreto, ſed publice in aliquo Senatu, vel cœtu, aut conſilio proferenda eſſet: nam omnis recta ratio & honeſtas poſtulat, ut eumdem cum Auguſtino ſenſum in hac parte habeamus, & ipſius exemplum imitemur, qui epiſt 7. ad Marc. ita ſentit: Ego proinde fateor, me, ex eorum numero eſſe, conari, qui proficiendo ſcribunt, & ſcribendo proficiunt.*

IX. Non modo nimium politica eſt ratio, ultimo loco a Reviſoribus allegata, impediendi cauſſa libri Patris Gonzalez editionem, ſed ſcandali videtur plena. Ne dicantur Jeſuitæ Probabiliſtæ ſuum agnoviſſe errorem Probabiliſticum, ideone libri Patris Gonzalez permittenda non eſt editio? Dominicani, a quorum uno adinventus fuiſſe dicitur Probabiliſmus atque a pluribus aliquandiu ſuſceptus, ſibi gloriæ duxerunt ſignis infeſtis inferri in ejuſmodi pernicioſam ſententiam. De fuſiori Patris Alphari lucubratione nil aliud exſcribere ſtatuo, ne ſim lectori, nimia prolixitate, moleſtiæ.

CAPUT XL.

Documentum Vigesimum.

Quo continetur Hiſtoriæ ſumma, quod attinet ad Patris Gonzalez librum, ac Patres Aſſiſtentes.

I. HOC pariter Documento continentur notitiæ, ea, quæ dicta ſunt, confirmantes. Jeſuitæ, qui illud elaboravit, cognomentum colligere mihi non licuit. Quin Jeſuita ſit Auctor, ambigi nequit. Sitne Generalis Gonzalez ab epiſtolis, nec hoc quidem aſſerere queo. Illud certum eſt quemadmodum ex ſcripto intelligitur, ipſum a Generali fuiſſe. Copioſior, cujus ille meminit, Hiſtoria extat in Bibliotheca Sanctæ Sabinæ inter Cardinalis Ferrari præfati MSS. qui, celebris diſſidii tempore, Magiſtri Sacri Palatii munere fungebatur, conſiliiſque Generalis Gonzalez intimus erat. Hic cum illo communicabat de ſuis lucubrationibus, quæ ſingulæ exſcri-

ſcriptæ erant elegantiſſime, & alicubi cum ſcholiis additis propria Gonzalez manu, cujus itidem character erat ſatis nitidus, ſicuti dignoſcitur ex litteris autographis, ad eumdem Ferrarium ſcriptis, atque in eadem Sanctæ Sabinæ Bibliotheca aſſervatis.

II. Ego ab obſervationibus in hoc Documentum abſtineo. Scriptum illud eſt ſimplici ſtilo, minimeque fucato. Variæ ſcribendi rationes indicant Jeſuitam Authorem eſſe tranſalpinum. In Jeſuitarum tabularia jam erunt omnia relata. Hoc hiſtorico Documento variæ, ac ſingulares continentur notitiæ, RR. PP. Adſiſtentium ad agendi rationem ſpectantes. Quod in articulo X. ac ſequentibus enarratur, luculentius Adſiſtentium patefacit voluntatem eorumdemque ſtudium in Probabiliſmum. Effatum, quod attingitur in articulo XIX. §. 3. eo in loco, qui incipit: *Dictus Pater Generalis inter alios libros &c.* gravibus, maximique momenti refertus eſt animadverſionibus, quaſ ego juſtis de cauſſis exponere omitto.

Num. XX.

SYNOPSIS

ENarrationis magis amplæ eorum, quæ acciderunt circa librum de recto uſu opinionum Probabilium, Auctore Rev. P. Thyrſo Gonzalez, Theologiæ Profeſſore Salmanticenſi, nunc Præpoſito Generali Societatis Jeſu.

ARTICULUS I.

Prima origo libri.

REverendiſſimus P. Thyrſus Gonzalez annis decem docuerat Salmanticæ Theologiam Scholaſticam, non dubitans de veritate doctrinæ, communiſſimæ noſtra ætate, qua non ſatis determinate, & diſtincte vulgo aſſeritur, licere ſequi opinionem minus probabilem, faventem libertati, relicta probabiliore, quæ favet præcepto.

Occaſionem examimandi Controverſiam curioſius ipſi præbuerunt caſus varii, oblati in Miſſionibus verſanti, valere juſſa Schola Salmanticenſi, quibus dolebat, materiam præberi obtrectatoribus communis doctrinæ.

Æſtivo tempore neceſſe eſt in Hiſpania Menſibus tribus ceſſare exercitia Miſſionum: hos annis conſequenter tribus redeuntes ſeduło impendit examini Controverſiæ, ac denique concinnavit Tractatum, quem inſcripſit *Fundamentum Theologiæ Moralis*. Hoc Tractatu expreſſit, quam ſibi novem menſium otio informavit, ideam in gravi illa Controverſia.

ARTICULUS II.

Idea Doctrinæ.

HOC articulo 2. expreſſam habet narratio non ſolum doctrinam illius Tractatus, ſed etiam quamdam rationem doctrinæ, expoſitis conſiderationibus, quibus potiſſimum ductus fuit Auctor. Hic ſatis erit proponi Capitalem doctrinam. Attamen pluſculum lucis aſſeret Articulus 3.

Cum probabile vulgo dicatur, quod a Sapientibus probatur, ſive approbatur, ſeu quod Sapientibus videtur verum, etſi non omnino certum, favente huic acceptioni Ariſtotele Top. cap. 1., adeoque probabilius reputetur, quod pluribus ſapientibus, aut ſapientia clarioribus viris probatur; & minus probabile, quod paucioribus, aut minus claris: cumque fieri poſſit, ut tibi expenſis mature momentis rationum, & auctoritatum, omnino videatur actio non eſſe ex ſe mala, quæ alioqui pluribus Sapientibus videtur eſſe mala, perſuaſit ſibi Præpoſitus Generalis, eo eventu licere tibi ſequi opinionem minus probabilem, relicta probabiliore, & tutiore.

Quoniam vero, & fieri poteſt, & magis natum eſt fieri, ut, expenſis mature momentis rationum, & auctoritatis, judices, actionem eſſe ex ſe malam, quam plures ſapientes judicant, eſſe malam, etſi quidam judicent, non eſſe malam, perſuaſit ſibi Præpoſitus Generalis, eo eventu non licere tibi ſequi opinionem minus probabilem, relicta probabiliore, minuſque tuta.

Hinc cenſet conſequenter, non licere tibi ſequi opinionem minus tutam, quæ tibi expenſis mature momentis rationum,

& au-

& auctoritatis, videtur ſimilior falſæ, quam veræ, ita ut prudenter judicare poſſis, eſſe falſam, etſi hoc judicium voluntarie ſuſpendas, etſi etiam te voluntarie ſubſtineas, ne judices, opinionem minus tutam tibi apparere ſimiliorem falſæ, quam veræ. Perſuaſit ſibi, ſuſpenſiones hujus generis eſſe nolentium intelligere, ut bene agant.

In his conſiſtit Capitalis Doctrina; plura ſuppeditat Enarratio hoc articulo 2.

ARTICULUS III.

Aphoriſmi quidam Doctrinæ Univerſæ.

NON poteſt intellectus aſſentiri prudenter (forte nec imprudenter) habenti ſpeciem falſi majorem, quam veri.

Intellectus non poteſt aſſentiri prudenter, (forte nec imprudenter) ſi graviora ſint momenta, inclinantia ad diſſenſum, quam ad aſſenſum.

Nec refert, ex quo veluti metallo ſint momenta illa, in quibus ſpectanda eſt gravitas, ſeu vis inclinandi, nec ad rem facit materia.

Si paria ſint momenta inclinantia ad aſſenſum, & diſſenſum, imprudens erit tam aſſenſus, quam diſſenſus; forte & impoſſibilis: ſi non multum diſparia, temerarius.

Arbitraria ſuſpenſio aſſenſus de malitia actionis, ad quem notabili exceſſu prævalent momenta inclinantia, inutilis eſt ad dictamen conſcientiæ excuſantis. Etiam inutilior arbitraria deflexio intellectus a conſideratione illorum momentorum.

Rationes boni, commodi, aut emolumenti, moventes voluntatem, non efficient, ut ſapiens ſit aſſenſus intellectus, ad quem debiliores ſunt rationes veri, quam ad diſſenſum.

Ut ſua quemque conſcientia noxium, aut innoxium conſtituit, & non conſcientia aliena; ita rationes, quemque moventes ad aſſenſum de honeſtate, aut inhoneſtate objectiva actionis, utiles ſunt ad conſcientiæ dictamen, & non rationes alium moventes.

Judicium de honeſtate, aut inhoneſtate formali non poteſt eſſe dictamen conſcientiæ practicum. Si dixeris, eſſe poſſe, convinceris circuli vitioſi.

ARTICULUS IV.

Judicia varia de doctrina lucubrationis, in Miſſionibus concinnatæ.

CONtigit anno 1676., R. P. Thyrſum Gonzalez auctoritate regia avocari a Miſſionibus, quibus tota voluntate ſe dedicaverat, & præfici primariæ Cathedræ Salmanticenſi.

Simul præbere guſtum cœpit doctrina de recto uſu opin. prob. ſimul ſibi repugnari ſentit domi haud ſecus, atque ſi bellum indixiſſet contra doctrinam de efficaciiate gratiæ, per ſcientiam mediam explicatæ. Etiam Reviſores, contrariæ doctrinæ aſſuetos, habuit adverſos, didicitque, caute repugnandum eſſe hoſtibus Societatis, cum jactant ſuſdeque, doctrinam de licito uſu opinionis minus probabilis, minuſque tutæ ſaltem adoptione, & ſtudio eſſe propriam Societatis.

Attamen neque in Hiſpania, neque alibi deerant de Societate perſpicaces Viri, quibus doctrina placeret admodum.

Anno 1679. accepit Eccleſia Decretum Innocentii XI. contra propoſitiones 65. in quibus ſpectabiles erant illæ ipſæ, quas R. P. Thyrſus Tractatu ſuo impugnaverat: ſed in primis, quæ eſt ordine tertia de licito uſu Probabilitatis, *quantumvis tenuis*.

Occaſione hujus decreti, Illuſt. Sedis Apoſtolicæ Nuntius in Aula Madritenſi, nunc Eminentiſſimus D. Cardinalis Mellinus, Summum Pontificem fecit certiorem, eſſe Salmanticæ Theologiæ Doctorem, qui Tractatum ſcripſiſſet pridem de uſu Probabilitatum, quo varia de Propoſitionibus, modo damnatis, valide frangerentur. Mandavit Pontifex, Tractatum ſibi mittendum. Acceptum examinari juſſit a duobus viris apprime eruditis. Unus fuit amborum ſenſus, amplis laudibus extollentium Tractatum, niſi quod alter oſtenderet etiam majorem ſe optare ſeveritatem.

AR-

ARTICULUS V.

Studium Summi Pontificis Innocentii XI. erga librum R. P. Thyrſi Gonzalez, ejuſque doctrinam de recto uſu opinionum probabilium.

AUctoritate Summi Pontificis ad lucem publicam properabat liber, niſi deprecatus eſſet Auctor, cauſatuſque librum, Miſſionario haude indignum fortaſſe, non ſatis decere primæ Cathedræ Moderatorem, niſi majori otio locupletaretur. Hoc ille ex vero cauſatus eſt quidem; ſed magis aliud cordi erat, ut liceret denique libro exire in lucem, bona venia Præpoſiti Generalis, quo palam conſtaret, Societatem non adſciviſſe, ut propriam, doctrinam libro oppugnatam. Huc ille jam tum ſpectabat, pergitque ſpectare ad hunc diem. Ægre quidem; ſed tamen annuit Pontifex, indulſitque ſpatium perficiendi cogitata.

Perfecerat reipſa, cum a Congregatione Provinciæ Caſtellanæ electus eſt anno 1687. ut Romam proficiſceretur ad Comitia Generalia. Romam attulit, quæ commentatus erat, eligendo Generali inculcaturus, quanti intereſſet Societatis, hujus argumenti librum a nobis prodire. Ecce autem, Divina Providentia dirigente Electorum ſcrutinia, Præpoſitus Generalis eligitur ipſemet R. P. Thyrſus Gonzalez.

Summa approbatione Optimus Pontifex accepit electionem, ſuum de ea gaudium conteſtatus palam, ſperans fore, ut, hoc potiſſimum Generali, invaleſceret doctrina moderatior de recto uſu opinionum probabilium.

Quoniam vero non parcam animo Pontificis ſuſpicionem injecerant, non eſſe in Societate libertatem docendi, quod verius videretur, in controverſia illa, non acquievit, niſi condito a præſenti Congregatione Generali XIII. Decreto 18. quo declarata eſt libertas illa.

ARTICULUS VI.

Spatio annorum quatuor, & amplius a Congregatione Generali apparuit, non ſatis momenti eſſe in Decreto XVIII. ejuſdem, ut ſententia benigna non videretur eſſe propria Societatis.

HOcce rerum ſtatu videmus, nihil fuiſſe, quod impediret Rev. P. Thyrſum, ne quidquid ſcripſerat de recto uſu opinionum probabilium, daret in lucem, ſi ſe, ſuaque valde amaſſet. Non erat periculum, ne non bona gratia Præpoſiti Generalis id faceret. Summus ipſe Pontifex Innocentius XI. oſtendere non deſinebat, id ſe optare: nec deerant ſtimulatores e Purpuratis Patribus. Quæ igitur cauſa moræ?

Una inſidebat animo cura, ne Societatis propria videretur ſententia benigna docentium, licere ſequi opinionem minus tutam, minuſque probabilem, pro tali cognitam ab operante, ſive quam operans prudenter judicaret, aut judicare poſſet, ac deberet, eſſe falſam.

A Congregatione Generali XIII. ejuſque Decreto 18. confidebat primum, Noſtris eſſe perſuaſum, non eſſe illam ſententiam Societatis propriam. Hinc porro ſperabat, fore, ut illi de Societate, quos conſtabat non paucos propendere in ſententiam moderatam, & poſſent ſine invidia, & auderent id profiteri palam, & voce, & ſcripto; atque hoc pacto, etiam ad externos manaret perſuaſio illa, & frangeretur calumnia Malevolorum, Societati aſſignantium ſententiam benignam, ut unice inter omnes pertinaci hoc tempore ad ejus defenſionem.

Hac denique ſpe deluſum ſe vidit Generalis; idque certiſſimis argumentis, quorum nonnulla hoc articulo VI. inſinuata habet Enarratio, quatenus ratio decori permittebat. Simul animadvertit, niſi a ſe provideretur, Decretum XVIII. Congregationis Generalis XIII. pro inani cæremonia habendum vulgo eſſe domi, foriſque.

ARTICULUS VII.

Quibus conſiderationibus ſtatuerit Præpoſitus Generalis, grande malum Societatis eſſe, ſententiam benignam ſuum veluti regnum obtinere in Scholis Societatis.

PErſuaſit ſibi, ſententiam benignam eſſe tolerandam in Scholis Societatis, quamdiu eam tolerabit in Eccleſia Sedes Apoſtolica: ſed vero illam ſuum veluti regnum obtinere in Scholis Societatis ea forma, quam explicui art. VI. grande malum Societatis eſſe, ſtatuit his conſiderationibus.

Conſideravit 1., nimis metuendum eſſe, ut ſententia benigna contineat eam puritatem doctrinæ, quæ nos decet; in quam rem plura habet Enarratio artic. II. quæ perſtringitur paucis art. VII. propoſita ſententia benigna ſine fuco, in hunc fere modum.

Vir non tam doctus, quam bono præditus intellectu, & timens Deum, detrectat inire contractum, quem judicat eſſe uſurarium, aut Simoniacum, perſuaſus triginta Doctorum auctoritate, & rationibus. Benignus Theologus ipſi dicit non eſt, quod timeas; Nam tres, aut quatuor Doctores cenſent, contractum non eſſe Simoniacum. At ille: Egone, ut ineam contractum, quem judico eſſe Simoniacum, motus tanta auctoritate, & tantis rationibus? Contra Theologus: At illud tuum judicium eſt mere ſpeculativum ex principiis directis: forma judicium practicum ex principiis reflexis ſupra probabilitatem contrariæ opinionis trium Doctorum: hac nixus judica, contractum hic & nunc tibi eſſe licitum. Ille vero: qui poſſum, ſi abſolute judico, eſſe Simoniacum? Simulne judicare poſſum non eſſe hic, & nunc Simoniacum? Hoc enim, niſi fallor, mihi neceſſe eſt, ut judicem, hic & nunc eſſe licitum. Age, age, inquit Theologus: Suſpende illud tuum judicium ex principiis directis, cum ſit tibi liberum. At interim, ait ille, conſcius mihi ero, me poſſe, & debere prudenter judicare, contractum eſſe Simoniacum. At tu, reponit alter, ſuſpende etiam judicium de hoc ipſo. Tuam fidem excipit alter; quid me juvabunt hæ ſuſpenſiones, ſi ſentire pergo notabiliter majus pondus auctoritatis, & rationum pro Simonia contractus? Theologus denique (aliud non videtur ſupereſſe) ut omni ſcrupulo te eximas, inquiet, averte mentis oculos ab illa auctoritate, & rationibus triginta Doctorum; idque, donec abſolveris contractum. Poſtea ut placuerit &c.

Hæc eſt ſententia benigna, quam improbat Præpoſitus Generalis, & cenſet, non eſſe honorandam, ut propriam Societatis, metuens, ut contineat puritatem doctrinæ de moribus, quæ Societatem decet.

Conſideravit 2., Sententia benigna non determinari, neque determinari poſſe gradum minoris probabilitatis, infra quem depreſſa deſinat eſſe utilis ad praxim, adeoque metuendum eſſe nimiam ejuſdem affinitatem cum Propoſitione 3. ex 65. de probabilitate, *quantumvis tenui*.

Conſideravit 3., vel ex his timendum eſſe, ne quando Sedes Apoſtolica incumbere pergat ad expurgandam Theologiam moralem, proxime expoſita ſit fulmini ſententia benigna.

Hunc timorem ipſi auxit, quod oculis parum benignis eam aſpexerint jampridem Alexander VII. & Innocentius XI., de quo plura in Enarratione.

ARTICULUS VIII.

Concluſit Præpoſitus Generalis, neceſſitatem ſibi eſſe impoſitam non ultra differendi editionem cujuſdam ſaltem ſpeciminis eorum, quæ contra ſententiam benignam Salmanticæ lucubraverat.

GRande malum Societatis videbatur ſententia benigna, non utcumque tolerata, ſed regnum obtinens in Scholis Societatis. Re ipſa, & quidem illuſtri, turbanda erat poſſeſſio tam iniqua. Id vero cum aliunde non eſſet Præpoſito Generali, ipſe a ſe ſibi paratiſſimum videbat ex ſua copia, quam Salmanticæ inſtruxerat.

Attamen & prævidebat, duo quædam opponi poſſe ſuo conſilio: Primum quidem, durum fore Theologis Societatis, a Præpoſito Generali oppugnatam videre doctrinam ſuam. Alterum vero Æmulos Societatis rem accepturos, ut Palinodiam, & inſultaturos Societati.

Ve-

Veramque obtrectationem, valide disjectam, habet ſpecialis ſcriptura, cui Titulus: *Examen rationum &c.* Pauca & hic habet.

Ad primum conſideravit, doctrinam, a ſe oppugnatam, perperam dici communem Theologorum Societatis. Etenim, ſi ſermo ſit de libris Theologorum, multos docuiſſe, licere ſequi opinionem minus tutam, & minus in ſe probabilem, ſeu paucioribus probatam, quæ tamen operanti probetur: quod & ipſe docet; non multos docuiſſe, licere ſequi opinionem minus tutam, ſeu vera, ſeu falſa videatur, nulla cura veritatis ipſius quod ipſe oppugnat.

Si ſermo ſit de Theologis, qui vivant, & loquantur, maximam eorum eſſe turbam, qui Quæſtionem non examinaverint; habeant tamen perſuaſum, licere ſequi opinionem minus probabilem, minus tutam; ſed parum diſtinguentes; qui ſi diſtinctiora legerint, intellecturi ſint, ea ſibi non adverſari. Illos vero, qui ſententiam benignam diſtinctius eſſent profeſſi (haud vane credidit eſſe paucos) nullam habituros cauſam juſti doloris, eam videntes improbatam a Profeſſore Salmanticenſi; ſi infirmæ eſſent diſputationes ſuæ, nihil roboris allaturum munus Generalis, quod illi ſupervenit; ſi firmæ, nihil detracturum, præcipue cum ſibi eſſet animus diſerte cavere, ut ſuum cuique judicium eſſet integrum. Non alibi Scholaſticos Theologos tam eſſe delicatos &c.

Quod attinet ad Æmulos Societatis, Palinodiam interpretaturos, ſic ſecum putavit. Vere ne, an falſo interpretabuntur? Si vere; ergo Societatis propria eſt ſententia benigna; atque hæc denominationem obtinet in ſcholis noſtris, quas proinde vindicari oportet in libertatem, impendio quolibet: idque & voluntate Summi Pontificis, & auctoritate Congregationis Generalis. Si falſo, nimium æſtimamus Calumniatores, ſi ad horum libidinem inflectimus conſilia noſtra. De his plura in Enarratione.

Concluſit, nullius eſſe ponderis, quæ prævidebat opponenda conſilio ſuo, quod neceſſitas gravis exprimeret.

ARTICULUS IX.

Impreſſio libri de recto uſu opinionum probabilium.

Quod faciendum erat neceſſario, non exponendum periculo, ne fieret, improbantibus iis, quorum alioqui judicia magni faciebat, & libenter ſequebatur; ſed ita, ut probe intelligeret, jus eſſe ſibi, imo evenire poſſe, ut neceſſarium ſibi eſſet, illa prætirire alicubi.

Ad hæc intelligebat, Præpoſitum Generalem nequaquam obligari, ut librum, a ſe ſcriptum, & prælo ſubjiciendum, curet cenſendum, & approbandum ea forma, quæ reliquis libris præſcripta eſt in Societate. Quod quidem peculiari ſcriptura demonſtratum eſt luculenter ex Conſtitutione S. Ignatii, decretis Generalium Congregationum, & Regulis Reviſorum. Sed & Enarratio hoc artic. 9. de his habet, quod ſatis eſt.

Attamen, quod convenire intelligebat, ut ſui ſolius judicio in ſua cauſa non ſideret, nequaquam prætermiſit, quin cordatis de Societatis viris legendum librum præberet, cum pluribus etiam communicaret præcipua doctrinæ capita, eorumque judicia exquireret, quæ conſtat valde laudabilia tuliſſe; ut hic non inculcem denuo, librum, quod ad ſubſtantiam attinet, a deſignatis ab Innocentio XI. Cenſoribus approbatum fuiſſe.

De loco impreſſionis non multum fuit ambigendum. Dilingæ præſto erat Typographus, cujus operam habebat ſibi probatam aliorum impreſſione librorum.

ARTICULUS X.

Conſilium Rev. PP. Aſſiſtentium de ſupprimendo libro.

Cum primum intellexerunt PP. Aſſiſtentes Præpoſitum Generalem mandaſſe excudendum Dilingæ librum de recto uſu opinionum probabilium, accepta etiam aliqua libri idea, ut appellabant, concepto libello, omnium nominibus ſignato die 3. Novembris 1691. & poſtridie porrecto eidem Præpoſito Generali, ſuaſerunt, atque etiam ardentius eumdem rogarunt, ut liber ſupprimeretur, ſeu jam

 ille

ille impreſſus eſſet, ſeu non eſſet; id vero ſi facere renueret, ſe cogendos eſſe ex officio Provincias omnes monere de periculo, atque etiam confugere ad poteſtatem ſupremam.

Inter rationes hujus conſilii, quas habet Enarratio, operoſius expreſſerunt, quod maxime improbarent longiſſimam in libro mentionem decreti 18. Congregationis Generalis XIII. Neque enim ignorari, Decretum hoc fuiſſe datum interceſſioni Summi Pontificis Innocentii XI. conceptum fuiſſe verbis valde generalibus, emendatum ſæpe fuiſſe, & ad ſingula verba, & apicem fuiſſe reclamatum. Denique non eſſe verum, quod in libro affirmatur ipſo titulo diſſertationis ſecundæ, Congregationem ad condendum decretum fuiſſe motam illis rationibus, quas habet Diſſertatio.

ARTICULUS XI.

Præpoſitus Generalis plurimum defert conſilio PP. Aſſiſtentium.

PRæpoſitus Generalis, die 8. Novembris 1691. finita conſultatione Generali, primum quidem gratias humaniter egit PP. Aſſiſtentibus pro ſtudio, & zelo boni communis Societatis. Tum vero expoſuit.

Primo. Quod ad impreſſionem libri attineret, eam hoc ipſo tempore fere eſſe abſolutam, inſinuans ſeverum fore mandatum eam ſuſpendendi. In hoc non erravit, ut conſtat ex litteris, ſubinde acceptis a P. Rectore Velingano.

Secundo. Quoniam rationes PP. Aſſiſtentium fere petebantur non tam ex libro, ut eſt hujus Auctoris, edixit, ſe hoc daturum libenter eorum judicio, ut nomen ſuum ſupprimeret.

Tertio. Quod attinet ad Diſſertationem ſecundam ſui libri, ſignificavit, in Titulum Diſſertationis irrepſiſſe errorem, atque ubi legitur: *Rationes, ob quas Societas*, declaravit, exprimendum fuiſſe: *Rationes, ob quas conveniens fuit, ut Societas declararet:* Eſſe vero proviſum, ut Index Erratorum primo loco doceret de hoc Lectorem. De cætero ex ipſo libri Proæmio intelligi, rationes illas primo digeſtas fuiſſe, quam celebraretur Congregatio Generalis XIII.

Si tamen diſplicere pergeret illa Diſſertatio, etiam hoc ſe daturum illorum judicio, ut ei aliam ſubſtitueret nulli obnoxiam invidiæ futuram.

Quarto. Quoniam vero librum adhuc non viderant Patres Aſſiſtentes, curaturum ſe, dixit, duo, vel tria ejus exempla Romam mittenda, ut, lecto libro, certius judicare poſſent de eodem edendo, aut ſupprimendo.

Silentio prætereunda judicavit, quæ PP. Aſſiſtentium libellus habebat varia quæſtionis hiſtoricæ ipſi invidioſa, eaque longe aberrantia a vero, ut ſancte alibi confirmavit, cum poſſet de iiſdem, ut a ſe, vel apud ſe geſtis, rectius judicare.

Intactas itidem reliquit pleraſque rationes PP. Aſſiſtentium, etſi iiſdem frangendis apprime ſe inſtructum, ſentiret.

Verbo licebat mihi abſolvere hunc locum. Plurimum, longeque plurimum detulit Præpoſitus Generalis conſilio PP. Aſſiſtentium. Hoc detulit, ut librum prælo jam expeditum, non mandaverit diſtrahendum in omnes Europæ Provincias; quod & facillimum ipſi erat, & præſentis Controverſiæ moleſtias excluſiſſet. Sed & ſperare poterat, fore, ut eventus ipſe exaggeratos timores refelleret. Non mandavit diſtrahendum; imo cavit ne diſtraheretur.

ARTICULUS XII.

PP. Aſſiſtentes urgere pergunt abſolutam libri ſuppreſſionem.

DIE x. Novembris 1691. PP. Aſſiſtentes declararunt Præpoſito Generali, ſe non acquieſcere iis, quæ detulerat ipſorum judicio, & libello etiam flagrantiori urſerunt abſolutam libri ſuppreſſionem.

Etenim ſuppreſſionem Nominis Auctoris fruſtra fore.

Omiſſionem diſſertationis, in qua eſt mentio decreti 18. Congregationis Generalis XIII. non ſufficere.

Nihil æque ſe improbare, ac libri exempla aliquot Romam mittenda cogitari, ut eum legant PP. Aſſiſtentes: Neque enim ſperari debere, eo lecto, ſententiam mutaturos: optare ſe, petere, & inſtare, ut liber abſolute ſupprimatur: Idque Dilingæ in Germania, ubi natus eſt, ita ut nullum ejus exemplar Romam transferatur.

Nolle ſe conſilia in minas converte-

re, ſed cogi repetere, ſi renueret, ſe audire viros ad hæc Præpoſitos, neceſſarium ſibi fore, inceſſanter adire Supremam Poteſtatem, & deinde Provincias ſuas monere &c.

ARTICULUS XIII.

Præpoſitus Generalis plurimum deferre pergit conſilio PP. Aſſiſtentium.

PRæpoſitus Generalis conſiderato hoc libello, ejuſque ardore perſuaſus, revera & periculoſam ſibi, & Societati fore editionem libri, rebus ſic comparatis apud PP. Aſſiſtentes.

Animadvertebat quoque, irrepſiſſe & in hunc libellum PP. Aſſiſtentium affirmationes, ſibi invidioſas, quas ipſe, ut de rebus, ad factum ſuum pertinentibus, certo ſciret, eſſe a veritate alienas.

Judicavit igitur, non convenire, a ſe reſponderi verbis ſuis; cum & difficile futurum eſſet, omnia ſilentio præteriri, quæ in libello offendebant, & nollet ſibi verbum excidere, quod ægrius haberent PP. Aſſiſtentes. Ad hos proinde allegavit P. Secretarium, hanc ipſam cauſam excuſaturum, cur ipſe per ſe non reſponderet; & iſtud modo additurum; Præpoſitum Generalem ſuperſedere cogitatione edendi librum.

Preſſius interrogatus P. Secretarius a quodam P. Aſſiſtente, an revera Præpoſitus Generalis decreviſſet, librum ſupprimere abſolute, & in perpetuum, ille reſpondit, ſe non accepiſſe ab ipſo enunciationem tam diſertam; ſed ſi judicium exquireretur, non exiſtimare ſe, ipſum concepiſſe decretum tam abſolutum; poſſe enim ſubnaſci cauſas, quæ non paterentur, ultra ſupprimi librum, ut ſi Summus Pontifex mandaret editiones &c.

ARTICULUS XIV.

Quid negotii de libro fuerit cum Rev. Magiſtro Sacri Palatii.

Plura habet Enarratio. Hic adnoto pauca.

PRæpoſito Generali oblata eſt cauſa timendi, ne, impreſſo in Germania libro Auctoris, Romæ degentis, argueretur violati decreti Urbani VIII. Judicavit, præveniendam accuſationem apud Reverendiſſimum Magiſtrum Sacri Palatii, ipſa facti expoſitione ſincera, & qua poſſet, excuſatione; ad quam denique animadvertit, eſſe neceſſarium, curare deſcribendum librum, illiuſque judicio emendandum, ſi quid diſpliceret. Credibile eſt, hac de cauſa iteratam ſæpius tractationem cum Magiſtro Sacri Palatii ſuſpiciones peperiſſe, hoc agi, ut in lucem jam jam prodiret liber.

ARTICULUS XV.

Contra librum Præpoſiti Generalis domeſticæ molitiones apud Summum Pontificem.

Præcipua mentione dignæ tres ſeſe offerunt.

PRima molitio ſeſe prodidit die 25. Aprilis 1692. quo Præpoſitum Generalem convenit Magiſter Sacri Palatii expoſiturus, renunciatum eſſe Summo Pontifici, & quidem ex parte Societatis, librum de recto uſu opinionum probabilium eſſe impreſſum ſine approbatione Reviſorum Societatis, contra leges ejuſdem, neque placere Sanctiſſimo Domino relaxari legem, ſi qua vetaretur, in Societate librum edi ſine approbatione illa. Hæc ille, nomine Pontificio: Suaſit vero, nomine ſuo, ut, ſi lex hujuſmodi Præpoſitum Generalem non obſtringeret, hoc ipſum libello ſupplici Pontificem doceret.

Miratus eſt Præpoſitus Generalis, Auctorem, vel Auctores molitionis non examinaſſe maturius, quid poſtularent jura Societatis circa librorum editionem. Non fuit vero ipſi difficile, demonſtrare Summo Pontifici, neque Conſtitutionibus S. Ignatii, neque De-

cretis

cretis Generalium Congregationum, neque lege alia Societatis, libros, à Præpoſito Generali ſcriptos, deſtinatoſque ad prælum eſſe obnoxios examini Reviſorum; in quam rem eſt exhibita Summo Pontifici accuratior ſcriptura, cui Titulus: *Aſſertiones de Poteſtate Præpoſiti Generalis Societatis Jeſu circa librorum editionem &c.* qua & iſtud explicatum eſt, ad examen ſui libri nihil omiſſum eſſe a Præpoſito Generali, quod prudentiæ regulæ dictarent præſtandum eſſe. Exinde vero non eſt auditum perſiſti in ſcrupulo de examine, aut approbatione Reviſorum Societatis.

Secunda molitio, eaque ſine dubio domeſtica, ſeſe prodidit die 19 Junii 1692. cum Magiſter Sacri Palatii adfuit Præpoſito Generali, denuntians, Summi Pontificis hanc eſſe mentem, ut cauſa libri de recto uſu opinionum probabilium differetur ad proximam Congregationem Procuratorum, celebrandam videlicet menſe Novembri 1693.

Etſi non credatur, Molitionis hujus, legibus noſtris tam invidioſæ, Auctores fuiſſe PP. Aſſiſtentes; attamen & creditum ſubinde eſt, argumento haud obſcuro, non ita eam diſplicuiſſe iiſdem, quin optarint, etiam hac via ſecuram reddi ſuppreſſionem libri, quandiu id alia via non ſatis obtineretur.

Tertia molitio domeſtica eſt memorabilis, qua unus de PP. Aſſiſtentium numero ſupplicavit omnium nomine apud Summum Pontificem, ut ſua auctoritate impediret editionem libri Præpoſiti Generalis de recto uſu opinionum probabilium.

De hac molitione edoctus Præpoſitus Generalis judicavit, intereſſe non ſolum exiſtimationis ſuæ, ſed & boni communis Societatis, de cujus doctrina in ſua puritate conſervanda agebatur, atque etiam honoris Chriſti Vicarii, cujus impulſu, & prope mandato librum ſcripſerat, non omnino a ſe taceri, ſcripto diſcutiendas mandavit rationes, ſuadentes editionem libri, & his contrapoſitas rationes ſupprimendi librum, quas quidem acceperat; oculiſque, ac ſupremo judicio Sapientiſſimi Pontificis ſubjecit ſcripturam, hac inſcriptione: *Examen rationum, ob quas conveniat, vel non conveniat, luce publica donari librum Præpoſiti Generalis Societatis Jeſu de recto uſu opinionum probabilium.*

ARTICULUS XVI.

Quomodo factum, ut controverſia de editione libri Præpoſiti Generalis innoteſceret foris, & omnium ore celebraretur.

Conſtat, de hoc dubitatum fuiſſe; imo aſſignatam fuiſſe cauſam illi potiſſimum, cui certe non debebat. Ad quæſtionem non poteſt eſſe dubitatio conſideranti vel ſolas illas molitiones domeſticas, quas expoſui articulo proxime ſuperiori.

Si tamen ſermo ſit de controverſiæ prima emanatione, hujus cauſam aſſignare cogor Præpoſito Generali, ut non impedienti, cum poſſet. Poterat enim controverſiam in ipſo ortu extinguere ita, ut nulla eſſet, quæ emanaret; idque, innuendo Diliganis, ut libri exempla emitterent in Provincias.

Sed ille, more ſuo, plus detulit conſilio PP. Aſſiſtentium. Superſedit editionem, optans, & rogans, ut librum illi prius legerent, tum vero ſuggererent, quid in eo diſpliceret, ac de eo judicarent, paratus ea emendare, quæ diſplicerent, ſalva doctrinæ ſubſtantia, quæ diſplicere non poterat, & librum perpetuo ſupprimere, ſi afferrent, cur id conveniret.

Hæc cum non placerent PP. Aſſiſtentibus, fieri non potuit, ut controverſia non emanaret. Cum enim litteris Diliganis, etiam ad privatos ſcriptis, notum Romæ eſſet, impreſſum eſſe librum, ipſeque non prodiret, cuilibet ſagaci prompta erat conjectura nimis vera.

Ut plus, quam conjectura eſſet, fecerunt molitiones, quas recenſui Artic. XV. Sed in primis illa tam illuſtris, quam expoſui 3. loco, quæ illico in ore fuit toti Curiæ, & Urbi, nec in Urbe ſe continuit.

Ac, ſi etiam parum celebris jam nunc res eſſet, fuit Romæ de Societate, ad quem id minime pertinebat, qui etiam poſt hæc ædes concurſaret illuſtrium virorum, Præpoſito Generali conciturus invidiam de libro, non ſine illorum admiratione, & offenſione, ut conſtat.

Sed neque obſcura fuerunt Romæ contra librum ſtudia alterius de Societate viri, gratia pollentis, minus illa quidem ſtrepitantia, ſed magis efficacia, cui perſuaſum erat fortiter, cauſam eſſe oblatam,

Digitized by Google

tam, in qua pietas erga matrem cogeret filium repugnare Patri: quod ſic egit, ut, jamjam ruitura Societate, ſi ſententia benigna, non dico eliminaretur e Societate, ſed vellicaretur a Præpoſito Generali, & qualis eſt, exhiberetur amanda, vel ſecus, ut cuique liberet. Quam ille rationem in hoc ſecutus ſit, ignoro; de intentione ubique optima dubitare non ſinunt viri probitas, & Religio.

Hæc inter tacuit ne foris Præpoſitus Generalis?

Prorſus tacere nec debuit, nec potuit. Dum Controverſia domi ſe continuit, haud ægre ſibi ſilentium imperavit: & ſi exiſtimaret, non aliter ſecum fuiſſe agendum, ſi librum curaſſet imprimi peſtilentem. At vero eadem foris elata, & quidem modis tam inſolentibus, judicavit, famæ ſuæ, adeoque & Societatis intereſſe graviter, non taceri omnino. Diſtinctius edocuit Chriſti Vicarium de libro ipſo, & infuſa in librum auctoritate ab Innoc. XI. idque præſtitit etiam ſcripto. Sed in primis exhibito *Examine Rationum*, *ob quas conveniret*, *vel non conveniret*, *luce publica donari librum*.

Neceſſitatem non tacendi omnino etiam alibi impoſuerunt Viri illuſtres, interrogantes identidem de libro, & jam celebri ubique controverſia, quibus inurbanum fuiſſet non reſponderi.

Si quis ex illis, aliuſve doctrinæ moderatæ vir ſtudioſus patrocinium libri ſuſceperit, eos neque poterat, neque debebat impedire Præpoſitus Generalis, qui judicaret, cauſam illos bonam ſuſcepiſſe, utilemque Eccleſiæ, & Societati.

ARTICULUS XVII.

Quomodo factum, ut Controverſia, foris elata, ſpeciem ſumpſerit Societati perquam ignominioſam.

Mitto mendacia ſapientibus incredibilia, quibus deturpata foris ambulat Controverſia; quale, cum hæc ipſa ſcribo, accipio ex Provincia Lithuaniæ a Provinciæ Viſitatore, ſcribente in hæc verba: *De libro P. N. audivi. Nuper aliquis mihi retulit, quod Romæ ſcripſerit externus, non placere P. Noſtrum, & agi a PP. Aſſiſtentibus, ut deponatur. Malim audire de concordia &c.* Portenta hujus generis, quibus ſcatere incipiunt Ephemerides, prætereo.

Speciem ſumpſit Controverſia Societati magis ignominioſam, quia etiam Sapientibus, etiamque non malevolis probabilem hanc ipſam.

Generalis Societatis librum impreſſit contra Probabiliſmum, & laxitates Jeſuitarum, horum doctrinam Moralem reformaturus. Sed Societas univerſa huic reformationi ſe opponit, appellata Sede Apoſtolica, & magno æſtu librum poſtulans ſupprimendum.

Falſiſſima eſt ſpecies, ſed tamen probabilis etiam Sapientibus. Nimis certum eſt, Theologos Societatis annis bene multis premi invidia laxitatis in doctrina de moribus; ac nominatim male audire de abuſu Probabilitatum. Apologiæ multæ non abſterſerunt invidiam. PP. Aſſiſtentes, implorata auctoritate Sedis Apoſtolicæ, ſe opponunt editioni libri, quo Præpoſitus Generalis reſtringit, temperatque uſum Probabilitatum. Eoſdem PP. Aſſiſtentes repræſentare Societatem, error eſt, externis etiam Sapientibus ignoſcendus, cum non deſint ex noſtris, quos comperi id perſuaſiſſe.

His poſitis, per ſe patet, eam ſpeciem, quam ſumpſit Controverſia foras elata, probabilem eſſe etiam Sapientibus Viris, etiamque non malevolis, adeoque ipſam, cum ſit turpiſſima, & robur enervet tot Apologiis, quas dicebam, eſſe Societati perquam ignominioſam.

ARTICULUS XVIII.

Periculum ignominiæ etiam gravioris.

Diſcordia inter Præpoſitum Generalem, & Aſſiſtentes Societatis, eaque palam nota, per ſe ignominioſa eſt Societati, ut patet.

Creſcit ignominia ex materia diſcordiæ, dum intacta libro Præpoſiti Generalis eſſe jubetur ſententia benigna; idque ne perturbetur Societas. Quis poſt hæc dubitet, eam eſſe propriam Societatis, aut ſaltem a Theologis Societatis paſſim omnibus ſic deperiri, ut ejus gratia nihil penſi ducant perturbare Societatem? Atque

que hæc hactenus non ſunt ſpecies quædam, ſed res ipſa.

Hinc vero enaſcitur illa ſpecies controverſiæ, quam exhibui articulo proxime ſuperiori, perquam ignominioſa Societati. Hæc vero ipſa nobis parturit ignominiam etiam graviorem. Periculum videre non pigeat.

De Controverſia Jeſuitarum cum ſuo Generali (ſic loquuntur) nemo eſt Urbanorum hominum, atque etiam Illuſtrium, qui Romę taceant. Alii ut loquantur; Alii ſeverius in hunc fere modum.

Quid peccavit liber Generalis?
Oppugnat Probabiliſmum Jeſuitarum.
Quid vero is portat?

Licere tibi, ſequi opinionem minus probabilem, minuſque tutam, quam motus majori pondere auctoritatis, & rationis, judices, eſſe falſam, aut judicare poſſis, ac debeas, falſam eſſe.

Ita ne? Licere ſcilicet mihi, inire contractum, quem judicem, aut judicare poſſim, eſſe Simoniacum, motus rationibus, & auctoritate 20., aut 30. Doctorum; modo tres, quatuorve docuerint, non eſſe Simoniacum, quos erraſſe judico, aut judicare poſſum prudenter..

Recte accepiſti.
Audieram pridem, ſic illos docere, ſed non credebam admodum.

At nunc qui poſſis dubitare, cum ipſos videas tam graviter commoveri contra librum ſui Generalis.

Mirum eſt, tolerari in Ordine tam conſpicuo.

Tolerari autem. Doctrinam habent pro Ordinis Palladio: ſic apparet.

Si hęc eſt cauſa libri, cenſeo & ego, non opus fuiſſe libro. Non diſputationibus res eget; ſed Inquiſitoribus, & Cenſoribus.

Hęc, & his acerbiora Romę ſonant, non jam in circulis otioſorum hominum; ſed in Muſęis, intimiſque Conclavibus Virorum Illuſtrium, etiamque primi Ordinis, ſapientia, doctrina, virtute pręſtantium.

Contemnat, qui volet: monebo opportune, importune, quod & monuit pridem vir cordatus, grave eſſe periculum, ne pręſentis Controverſię ſtrepitu, & clangore, quem, niſi illa domi componatur, creſcere erit neceſſe, hoc efficiatur, ut ſententia benigna, a Prępoſito Generali oppugnata, revocetur ad examen Sacrę Inquiſitionis Romanę. Noti ſunt, quibus id eſt in votis, ſeu zelo bono ductis, ſeu parum benevolis erga Societatem.

Nos vero ſimplices viri ſimus, ſi confidamus de victoria ad illud Tribunal, ubi vel comparere in cauſa illa, indecorum nobis ſit.

Ipſam in ſe vide ſententiam benignam, Artic. VII. propoſitam ſine fuco. Non blandiamur; Certum eſt, non paucis viris piis eam creare horrorem, ut ut ſit de ejus veritate.

Aſpice etiam Judices ipſos illius Tribunalis, & inquire, quid præjudicaverint. Non eſt obſcurum.

Vide, in quam partem ſe inclinaverint pridem Pontifices Romani. Conſtat, oculis minime benignis ſententiam aſpexiſſe, ſed in primis Alexandrum VII. & Innocentium XI.

Vide, quid affinitatis ſit inter ſententiam benignam, & propoſitionem tertiam ex 65. damnatis de licito uſu *probabilitatis, quantumvis tenuis*; dum ea neque determinatur, neque determinari poteſt, quis ſit ille gradus minoris probabilitatis, infra quem depreſſa probabilis opinio deſinat eſſe utilis.

Nullam præſtat ſecuritatem, quod ab editione libri Innocentius XII. adhuc quidem viſus ſit alienior. Pacis amantiſſimus Pontifex perſuaderi ſibi paſſus eſt, perturbandam Societatem, ſi ederetur liber: ſuſpendit igitur editionem. Fuit hoc miſerantis infirmitatem filiorum potius, quam approbantis Doctrinam.

Nihilo plus ſecuritatis præſtat numerus Patronorum ſententiæ benignæ, oſtentari ſolitus. Conſtat, perfunctorie eſſe initum, neque, ut quiſque aſſerit, licere ſequi opinionem minus probabilem, minuſque tutam, ita Patronum fuiſſe ſententiæ benignæ, ut eſt invidiæ obnoxiæ. Res intelligitur ex iis, quæ dedi Artic. II. Conſtat, eamdem ante annum 1577. omnibus retro Patribus, Doctoribus, Theologis fuiſſe incognitam.

Ob-

Obſervo ad extremum, ſi quid cenſuræ tulerit ſententia benigna, eam fore non unicuipiam, alterive de Societate, ſed Societati univerſę ignominioſiſſimam, & proprium quoddam hujus dedecus.

Etenim primo nemo dubitabit, quin doctrina Societatis, vel ſaltem Theologorum Societatis communiſſima, cenſuram tulerit; & quidem in materia de moribus tam gravi, & tam late patens. Nullis Apologiis eximetur hęc perſuaſio, poſtquam PP. Aſſiſtentes, ut palam notum eſt, ſupplicarunt Summo Pontifici, ut ſupprimeretur liber Prępoſiti Generalis, contra ſententiam benignam ſcriptus: idque, ne, ſi in lucem prodiret, perturbaretur Societas: quo declararunt, eam eſſe ſententiam Societatis propriam, aut ſaltem communiſſimam Theologorum Societatis, & quidem obſtinatione ſumma.

2. Conſtat omnino, non de ſola Societate Theologos eſſe quondam patrocinatos ſententię benignę; ſed & conſtat, eamdem, non paucis ab hinc annis, eo patrocinio eſſe deſtitutam, imo ab aliis paſſim oppugnatam publicis ſeu libris, ſeu diſputationibus ſcholaſticis; & de ſola Societate Theologos ſtare firmos in ea vindicanda, ut docent lucubrationes, ab eiſdem prælo partim datæ noviſſime, partim dandæ proxime, non ſine approbatione Reviſorum Generalium, ipſiuſque permiſſu Præpoſiti Generalis, ut intelligas, dedecus, quod non vane timetur, futurum proprium Societatis.

Habes igitur periculum ignominiæ etiam gravioris, quod præferebam.

ARTICULUS XIX.

Quid remedii ſperabile adverſus ignominiam Societatis explicatam Art. XVII. adeoque & periculum gravioris ignominiæ, explicatum Artic. XVIII.

SEcretarium Societatis hæc inter tædebat graviter muneris ſui, imo & vitæ. Neque tamen ſubibat deſperatio ſic ſecum cogitanti.

§. I.

Quid remedii ſperabile a Summo Pontifice Romano.

MAndavit Summus Pontifex ſuperſederi editione libri, ſaltem ad tempus, ſapientiſſime timens, ne graviter perturbaretur Societas, ſi liber ederetur: cum de hoc eſſet monitus a PP. Aſſiſtentibus, ſuſpenſi libri cauſa flagrat ignominia. Quid ad remedium ſperari poteſt a Summo Pontifice? Alterum duorum præſtare poteſt.

Primum quidem, mandare poteſt, librum ſupprimendum in perpetuum, quod poſtulant PP. Aſſiſtentes, nullam admittentes cogitationem de examinando, aut emendando libro. Faciamus, mandaſſe. Habemus igitur non remedium ignominiæ, ſed ejuſdem incrementum, ac ſtabilimen ad infamiam ſempiternam, ſententia benigna, qua fas nobis fiat, quod ſentimus eſſe nefas, alibi fere ejecta, & Societati adjudicata Oraculo Pontificio, ad ſupplicationem Societatis ipſius. Non aliam ſpeciem ſuſcipere poteſt mandatum iſtud. Superi non ſinent.

Alterum ſperari poteſt, ut mandet Summus Pontifex, edendum librum examinatum, & emendatum, ſi opus eſt: quod pridem rogavit Præpoſitus Generalis, certus doctrinæ ſubſtantiam de recto uſu opinionum probabilium diſplicere non poſſe, cætera flocci pendens. Non faciet hoc mandatum, ut non conſtet ſibi omnibus articulis ignominia Societatis, explicata Artic. XVII., ut conſideranti patebit.

§. II.

Quid remedii ſperabile a Congregatione Procuratorum.

MOlitione domeſtica factum eſt, ut cauſa libri Præpoſiti Generalis differretur ad Congregationem Procuratorum. Quid ab hac ſpei eſſe poteſt?

Si judicarit, librum perpetuo ſupprimendum, non aboletur ignominia, ſed creſcit, & ſtabilitur ad infamiam perpetuam; idque auctoritate non ſolum Congregationis Procuratorum, ſed etiam Summi

mi Pontificis Romani, ſine cujus nutu nullius roboris ſit judicium illud.

At judicabit, edendum librum.

Difficile eſt, poſthabita auctoritate, ſpretiſque coram conſiliis quinque PP. Aſſiſtentium.

Judicet tamen. Non plus auctoritatis habebit judicium, quam Reviſorum. Pondus illi adjungere poterit Summus Pontifex: tum vero, ut ſupra, habebimus non remedium ignominiæ, ſed ejuſdem incrementum, & ſtabilimen. Procuratores Societatem non repræſentant, præſertim in cauſa iſta, ac ne repræſentare quidem vulgo putantur. Non ergo abolebitur hac via judicium Societatis, ut repræſentatæ a PP. Aſſiſtentibus, quod vulgo creditur, atque opponentis ſe Præpoſito Generali, ne, edito libro, tangat ſententiam benignam, eorumdem judicio, propriam Societatis, aut tanta conſpiratione aſſertam, ut perturbanda ſit Societas, ſi edatur liber. Ibi hæret ignominia.

§. III.

Quid remedii ſperabile a Congregatione Generali.

PRæſagire nonnulli videntur, occaſione præſentis Controverſiæ futurum, ut Congregatio Procuratorum decernat cogendam Generalem Congregationem.

Mihi hoc difficile videtur ex conſideratione valde notabili, quam hic ſubdo.

PP. Procuratores, Romæ deliberantes de cogenda, vel non cogenda Congregatione Generali, merito ſolent plurimum tribuere judicio, & conſiliis PP. Aſſiſtentium. Atqui PP. Aſſiſtentes, ſi forte cogi optent Congregationem Generalem, hoc ipſum vel nullo modo, vel timide, frigideque prodent, ne ſibi, ſuiſque rationibus ſtudere videantur, tanto Societatis impendio, quod eſt ab illis viris alieniſſimum.

Etenim certum, notumque eſt, intereſſe PP. Aſſiſtentium, a proxima Congregatione Procuratorum decerni, cogendam Congregationem Generalem. Ratio eſt in promptu; quia iſto pacto prorogatur ipſis munus Aſſiſtentium ad ſeptem annos circiter. Nam, ſi non decernatur cogenda Generalis Congregatio, cogi hanc oportebit poſt alterum triennium; idque ex decreto Innocentii X. de Congregatione Novennali, ex quo eodem defungi tunc oportebit munere ſuo præſentes Aſſiſtentes, & eligi novos, ab his diverſos. At vero, ſi ex decreto proximæ Congregationis Procuratorum cogatur Congregatio Generalis, in hac, cum non ſit novennalis, nulla præſcribitur facienda mutatio Aſſiſtentium. Cumque decreta Congregatio Generalis celebrari non poſſit commode, niſi poſt annum a Congregatione Procuratorum, imo differri poſſit ad ſeſquiennium ex formula Congregationis Procuratorum, cumque ab eadem Generali Congregatione novennium de integro fluere oporteat, & cogi debeat Congregatio Novennalis, liquet omnia recte ſubducenti, hoſce PP. Aſſiſtentes lucrari prorogationem ſui muneris ad ſeptennium, aut amplius, ſi proxima Congregatio Procuratorum decernat, cogendam Congregationem Generalem. Intereſt igitur PP. Aſſiſtentium, ita decerni: non ergo hoc agent: nimis invidioſum eſt. Liquet igitur, cur difficilem mihi dixerim videri, præſagitionem decernendæ Congregationis Generalis.

Apparebit etiam difficilior præſagitio, ſi animadvertas, in proxima Congregatione Procuratorum non tam deliberandum de cogenda Congregatione Generali, quam de eadem anticipanda anno uno, aut, ut ſummum, ſeſquiennio. Nam ſi decernatur cogenda, non cogetur, niſi poſt annum a Congregatione Procuratorum, forte & ſeſquiennium abibit. Si non decernatur cogenda, cogetur nihilominus poſt triennium a Congregatione Procuratorum, ex decreto Innocentii X. de Congregatione Novennali. Diſtinctius ſic dicamus. Si Congregatio Procuratorum menſe Novemb. 1693. decreverit, cogendam Congregationem Generalem, hæc non celebrabitur ante Novembrem 1694. forte & differetur ad Junium 1695. quod licet per formulam Congregationis Procuratorum. Si Congregatio Procuratorum menſe Novemb. 1693. non decrevit cogendam Congregationem Generalem, celebranda nihilominus veniet Congregatio Novennalis menſe Junio 1696. Ergo reipſa de anticipanda anno uno, aut, ut ſummum, ſeſquiennio Congregatio-

tione Generali deliberabitur in Congregatione Procuratorum. Eſt ne credibile, tantillo tempore anticipandam, tanta invidia, & ſtrepitu? De his mox.

Sed vero cogitemus, a Congregatione Procuratorum decerni, cogendam Congregationem Generalem. Quid ab ea remedii eſſe poteſt adverſus ignominiam Societatis explicatam Articulo XVIII.?

Congregationem illam primum conſidero, ut decretam, & convocatam, atque adeo & coeuntem ex omnibus Europæ Provinciis: Tum vero, ut collectam Romæ, & ſedentem.

Congregatio illa, ut collecta Romæ, ſedenſque, horrorem magnopere non creat.

Eadem vero, ut decreta, ut convocata, ut coiens ex omnibus Provinciis, horrorem mihi creat gravem, & creabit, niſi fallor, omnibus, quibus ineſt ſcintilla charitatis erga Societatem.

Articulo XVII. in principio, inter mendacia, ſapientibus incredibilia, repoſui rumorem, quo vulgo jactatur & Romæ, & per Italiam, & ultra Montes, inque ipſa Lithuania, Jeſuitas, tenaciſſime affixos abuſui probabilitatum, velle exauctorare ſuum Generalem, ut reum de recto uſu opinionum probabilium. Pœnitet, repoſuiſſe inter mendacia iſtius generis.

Etenim hoc ipſo tempore, cum hæc ſcribo, affertur mihi exemplum indubitatum Epiſtolæ, ſcriptæ a viro, Romæ conſpicuo ſplendore muneris, & fama eruditionis, ipſique Summo Pontifici in primis æſtimato, ex qua, ut de cæteris judicium fiat, decerpo hanc laciniam.

Dictus P. Generalis inter alios libros unum impreſſit contra ſententiam opinionis probabilis, tanto ardore defenſam a Scriptoribus Jeſuitis, & impugnatam magno impetu ab ipſorum Adverſariis. Reputatur, ut hoſtis opinionis communis Sociorum, qui dicunt, doctrinam ſui Generalis eſſe noxiam, & perniciosam publico miniſterio Sanctæ Societatis, *attendendo, quod ipſi, cum ſint Confeſſarii tot Magnorum Principum Europæ Catholicæ, & Prælatorum Principum in Germania, & Nobilium Aulicorum, non debeant eſſe tam rigidi, ut jam docet P. Thyrſus, cujus doctrinas ſi ſequerentur, exciderent munere Confeſſariorum in omnibus Aulis.* Hinc, cum non velit Generalis ſupprimere, aut retractare, quæ impreſſit contra opinionem probabilem, Aſſiſtentes omnes uniti prætendunt, convocare Congregationem, ut ipſum deponant, quando ipſe non deponat ſuam opinionem de opinione probabili, non probatam opinione Societatis. Inferiores Socii, uniti Aſſiſtentibus, male loquuntur contra Monarcham &c. Hoc eſt bellum Sociale, quod olim ſuſcitatum contra Romam, Italiæ accidit funeſtum ſtrage trecentorum fortium Militum &c.

Hæc ille verbis totidem, Italice, vir Sapiens in paucis vulgo habitus: quid mirum, his conſentanea, aut etiam pejora eſſe in ore vulgi, & confirmari Ephemericis chartis Venetorum, Helvetiorum &c.

Porro, ſi graſſantur rumores, tam probroſi nobis, ex ſola conjectura Congregationis Generalis; quid expectamus, ſi decreta Romæ, ſi convocata eadem fuerit, ſi ex omnibus Europæ Provinciis ſe Romam moverint electi Patres a Congregationibus Provinciarum? Hoc illud erit tempus, quo nemo noſtrum lucem ſuſtineat, neque optet vivere in ultimis terris, inſuliſque inacceſſis, notus ſolis barbaris. Tantum abeſt, ut decernenda videatur Generalis Congregatio ad remedium præſentis ignominiæ.

Fingamus, devoratum eſſe hoc probrum, & jam ſedere Romæ Congregationem Generalem. Quid ab ea remedii adverſus præſentem ignominiam, ob quod cogenda fuerit, tanto ignominiæ incremento, & tam flagranti infamia?

Aut librum de recto uſu opinionum Probabilium ſtatuet ſupprimendum, aut ſecus.

Non poſſum, ut fatear, vel leviter ſuſpicari, decreturam abſolute ſupprimendum librum. Cur id decerneret? An odio doctrinæ? Turpiſſimum id ſit, & ſupremum ignominiæ faſtigium, ut non dicam, permittendam eſſe doctrinam ex decreto Congregationis Generalis proxime Superioris, & voluntate Summi Pontificis Innocentii XI. An quia hujus Auctoris eſt liber? Quid commeruit Profeſſor Salmanticenſis? Peccatumne eſt hac pœna dignum, ſubinde eſſe electum Generalem? An præter doctrinam Capitalem alia inciderunt in librum, quæ diſplicent? Hæc vero tollantur; his ſublatis

prodeat liber, ſalva doctrina. An perturbanda Societas timetur? En rurſus confirmatam ignominiam judicio, & decreto Generalis Congregationis. Denique cauſas, non cauſas, quæſitas eſſe, atque odio fuiſſe doctrinam illam, & vindicatam laxitatem, mundus exclamabit, & loquentur olim hiſtoriæ. Abeſt igitur longiſſime, ut inventum ſit remedium adverſus præſentem ignominiam.

Facilior eſt conjectura, Congregationem Generalem mandaturam, ut & examinetur liber, & emendetur, ſi opus fuerit, & emendatus, ſalva doctrinæ ſubſtantia, in lucem emittatur. En igitur abſterſam ignominiam, inquies.

Non aſſentior. Nullo decreto efficiet Generalis Congregatio, ut non ſit probriſſimum Societati, tanto molimine opus fuiſſe, ut liceret, in lucem exire, libro moderationis doctrinæ de uſu Probabilitatum, & quidem libro Præpoſiti Generalis, ad cujus unius denique judicium cauſas edendorum librorum conſtat revocari Conſtitutionibus noſtris, & Societatis ipſius decretis. En materiam exprobrationis æternæ paratam æmulis noſtris, de laxitate doctrinæ Moralis, altiſſimis recepta fibris corporis univerſi, per Mundum diffuſi.

§. IV.

Quid remedii ſperabile a Præpoſito Generali ſeorſum a PP. Aſſiſtentibus.

HOC loco nihil eos moror, qui promptum habebant, improbare Conſilium Præpoſiti Generalis de imprimendo libro. Non jam id agimus. Factum eſt. Conſilii ſui rationes ille habet, ſubductas. Sed & conſiderentur ea, quæ dedi prioribus novem Articulis. Cauſa flagrantis ignominiæ Societatis, quam expoſui artic. XVII. & periculi ignominiæ gravioris, deſcripti art. XVIII. non eſt mera impreſſio libri, ut patet. His malis remedium inquirimus. Non eſt ſperabile a ſolo Præpoſito Generali.

Ignominioſa eſt Societati diſſenſio inter Præpoſitum Generalem, & Aſſiſtentes. Quantum ille his detulerit, explicui art. XII., & XIV. Mitto cætera. Poſtularunt, ſupprimi librum; ſuppreſſit, cum poſſet nullo negotio diſtrahere in omnes Provincias.

Creſcit ignominia ex materia diſſenſionis, ea foris ſpecie ſumpta, quam explicui art. XVII. Quid deſideratur a Præpoſito Generali? Ut non edat librum? Non edit. Cautum eſt. Sed ne optat quidem in hocce rerum ſtatu, ut edere liceat, multo minus, ut edere debeat contra judicium PP. Aſſiſtentium. Nihil in hoc ſit remedii contra ignominiam præſentem Societatis, ut eam conſideranti patebit. Optat, ut, illis probantibus, edatur liber, quacumque demum forma, ſed ſalva doctrinæ Capitalis ſubſtantia, ob quam ſupprimi librum, ingnominioſiſſimum ſit.

Opto, ſuggeri quid remedii ſit ſperabile a Præpoſito Generali, ſeorſum a PP. Aſſiſtentibus. Mihi non occurrit.

§. V.

Una ſpes remedii a componenda domi controverſia inter Præpoſitum Generalem, & PP. Aſſiſtentes.

PRæſentem Societatis ignominiam Artic. XVII. circumſcripſi hac periodo.

Generalis Societatis librum impreſſit contra Probabiliſmum, & laxitates Jeſuitarum, horum Doctrinam Moralem reformaturus. Sed Societas univerſa huic reformationi ſe opponit, appellata Sede Apoſtolica, & magno æſtu poſtulans, librum ſupprimendum.

Hæc, & his pejora creduntur etiam a Sapientibus. Credentur eadem futuris temporibus, & mandabuntur hiſtoriis ad memoriam probri ſempiternam, niſi remedium inveniatur.

Non invenietur, utcumque res verſetur in partem omnem, niſi, compoſita domi controverſia inter Præpoſitum Generalem, & PP. Aſſiſtentes, liber exeat in lucem, quacumque forma donatus, ſalva ſubſtantia doctrinæ de recto uſu opinionum Probabilium, quod quidem conſideranti ea, quæ dedi Art. XVII. ſimulque ea, quæ hoc ipſo art. XIX., eſt manifeſtum.

A R-

ARTICULUS XX.

Ratio componendæ domi controverſiæ tentata apud Præpoſitum Generalem, & PP. Aſſiſtentes.

P Secretarius Societatis his in hunc modum expenſis, aſſurgere eſt auſus ad cogitationem de componenda domi controverſia inter Præpoſitum Generalem, & PP. Aſſiſtentes.

§. I.

Tentata eſt primum viva voce, tum ſcripto: qua id occaſione.

RAtionem componendæ domi controverſiæ tentavit primum viva voce, cum apud Præpoſitum Generalem, tum apud PP. Aſſiſtentes, illo præ aliis convento, in quo plus ſpei ponebat, ut ſpecialibus nominibus conjuncto cum Prępoſito Generali: ſenſit mox, plus negotii ſibi fore cum PP. Aſſiſtentibus, quam cum Præpoſito Generali.

Ut etiam plus aliquid auderet, fecit aculeus, animo infixus ab amico viro, ſapiente, ſincero, & fidente. Hic illum convenerat officioſe: ſed denique non preſſit altum dolorem de præſente ignominia Societatis, per quam non liceret Romæ hoc tempore alioqui virum honoratum, niſi auditurо ſermones, & judicia odioſiſſima de Generali, Aſſiſtentibus, Societate. Concluſit in hæc ipſa, quod meminerim, verba: P. Generalis periſtat in ſententia: PP. Aſſiſtentes contra tenent mordicus; foris flagrat infamia, & nemo cogitat de remedio. Hoc illud eſt tempus, quo ego optem, me eſſe in Japonia, aut Cochincina, ut procul abſim Roma, loquor ex intimo cordis ſenſu, quem Deus novit.

Senſit Secretarius, & ingemuit, exprobrationem interpretans. Negavit, verum eſſe, quod nemo cogitaret de remedio. De cætero virum ſolatus eſt, & juſſit ſperare meliora.

Hęſit animo aculeus, ac denique conſilium etiam ſcripto ſollicitandi animos PP. Aſſiſtentium, cum a Prępoſito Generali omnia ſibi ſponderet faciliora. In chartam conjecit quamdam rationem componendę controverſię, non prętermiſſis cauſis, ob quas ea videretur neceſſaria. Omnia neque irreverenter, neque timide, ut res poſtulabat; ſed & inconſulto, inſcioque Prępoſito Generali, juſtis de cauſis.

§. II.

Ratio componendæ controverſiæ de libro R. P. N. propoſita RR. PP. Aſſiſtentibus 12. Decembris 1692.

SUperſedeo ſcribendis iis, quę ſub hoc titulo habebat illa ſcriptura, pertinentia ad cauſas, ob quas videbatur eſſe neceſſaria compoſitio Controverſię. Sunt illa fere ea ipſa, quę ſupra art. XVII. & XVIII. diſſerui de ſpecie, perquam ignominioſa Societati, quam ſumpſit controverſia, foris elata, & de periculo ignominiæ etiam gravioris. Deſcribo verbis totidem ea fere, quibus continetur ipſa ratio componendę controverſię.

Remedium illud, ſalvo meliori judicio, non invenietur, niſi, compoſita controverſia inter P. N. Generalem, & PP. Aſſiſtentes, liber, quod ad ſubſtantiam doctrinę attinet, quoquomodo prodeat in lucem.

Videtur autem non eſſe difficile, librum redigi ad eam formam, qua vitetur offenſio Societatis, quam timent PP. Aſſiſtentes. Pridem ſe promptum oſtendit P. N. Generalis, omittere diſſertationem 2., quę viſa eſt invidioſa, ſubſtituta alia, nulli invidię obnoxia futura, immo neceſſario placitura; qua oſtendatur, Auctores Societatis fuiſſe præ cæteris moderatos in tractanda quæſtione de uſu probabilitatum. Ad hæc, excuſſo libro univerſo, omittantur alia, quæ vel verbis videbuntur poſſe offendere; alia mitigentur, quæ mitigationem recipient. His, ſi ita videbitur, accedere poteſt humana, & ſuavis Præfatio Auctoris ad Theologos Societatis, qua profiteatur, illis ſe relinquere libertatem ſentiendi, quod cuique verius videbitur; magni etiam ſe æſtimaturum judicia ipſorum: operæ pretium eſſe, quæſtionem tanti momenti agitari in utramque partem, ut veritas eluceſcat: ſe dare, quæ commentatus eſt, Theologiam docens Salmanticæ; non aliter accipienda eſſe, quam ut profecta a Theologiæ Profeſſore; nihil in ea influxiſſe

xiſſe dignitatem muneris ſui, quæ ſcripto libro ſupervenerit: alia his etiam ſuaviora, ſi placuerit.

Hoc pacto ſubjiciatur liber novo prælo. Videtur omnino ſperari poſſe, illum hac ratione non ſolum non diſpliciturum, ſed etiam placiturum omnibus &c.

Porro ad praxim donandi librum forma iſta hæc occurrunt: Fere intellexit P. N., quænam illa ſint, quæ videntur in libro diſplicere poſſe: merito, immerito, non plurimum refert. Stomachorum non una eſt conditio. Ipſe igitur curet, tollenda, mitiganda, commutanda judicio ſuo, addenda itidem, quæ judicat ſe habere opportuna. Tum vero deſcriptum librum tradat legendum PP. Aſſiſtentibus: atque hi, lecto libro, ſignificent, ſi quid ultra ipſis occurrat, ut in conſultatione, ſalva, & intacta ubique ſubſtantia doctrinæ, pertinentis ad celebrem quæſtionem. Eſt, cur confidamus, liberali hac, & Conſtitutionibus conſentanea, via conſultationis, ſatisfactum iri & P. N. Generali, & PP. Aſſiſtentibus, & Societati.

Spondet P. Secretarius, huc ſe adlaboraturum totis viribus, ſi intellexerit, id gratum futurum PP. Aſſiſtentibus. Adnotat tamen, facilem eſſe conjecturam, P. N. Generalem non deſcenſurum ad hanc rationem componendæ controverſiæ, niſi bona venia Summi Pontificis, facile procuranda a PP. Aſſiſtentibus &c.

Non videntur PP. Aſſiſtentes repudiaturi hanc rationem componendę controverſię &c. Certe quidem paucis ab hinc diebus allata eſt P. N. Epiſtola viri primarii de Provincia Ultramontana, ad compoſitionem Controverſiæ, eadem fere omnia ſuggerentis, quæ hic ſupra ſunt propoſita, nec dubitantis, quin eiſdem eſſent acquieturi PP. Aſſiſtentes.

Si judicaverint PP. Aſſiſtentes, non habendam horum rationem, P. Secretarius reverebitur, & ſuſpiciet ipſorum judicium &c. non deſperabit vero, remedium, quod propoſuit, communiter viſum iri rationabile, & acceptabile; quoſcumque demum eventus nobis pepererit præſens controverſia.

Habes rationem componendę domi controverſię, PP. Aſſiſtentibus propoſitam verbis totidem, die 12. Decembris 1692.

§. III.

Quid PP. Aſſiſtentibus viſum de ratione componendæ Controverſiæ? Quid etiam Præpoſito Generali, de ea ſubinde edocto?

PAucis inde diebus intellexit P. Secretarius, rationem componendæ controverſiæ legi, & conſiderari a PP. Aſſiſtentibus: rurſumque inde diebus paucis concluſum ab illis eſſe, ut ſcripto concineretur reſponſum, P. Secretario dandum in manus. De hoc ipſum dignati ſunt facere certiorem PP. Aſſiſtentes complures.

Non expectaverat hunc honorem Secretarius; ſed neque deprecatus eſt ſaltem operoſe. Expectavit vero reſponſum impatienter, quia tanto tempore. Donec tribus, & amplius poſt hebdomadis, quam obtulerat ſuam ſcripturam, convenit Aſſiſtentem, cui eam commendaverat, ſperans, aliquid reſponſi, ſaltem voce enunciandi, ſe relaturum. Ne iſtud quidem ſuſcepit eo die. Solum intellexit, aliquem e PP. Aſſiſtentibus ſuſcepiſſe ſcribendum reſponſum: eumdem tardare diutius, quam credebatur. Scripto conceptum reſponſum certo eſſe reddendum.

Hac occaſione monuit P. Secretarius, tanto tempore eas res incidiſſe, ut de ratione componendæ controverſiæ, propoſita PP. Aſſiſtentibus, edoceri a ſe debuerit Præpoſitus Generalis, quantum ſatis eſſet ad cognoſcendam ejus ſubſtantiam; ſibi vero conſtare, nihil moræ in illo futurum: poſſe autem P. Aſſiſtentem de hoc facere certiores alios PP. Aſſiſtentes.

Exinde lapſis aliis hebdomadis duabus, & amplius, nihilo plus reſponſi accepit P. Secretarius, nec ſcripto, nec voce.

Non potuit vero interea non exhibere legendam Præpoſito Generali rationem componendæ controverſiæ; quod eo fecit libentius, ut de ejus mente etiam diſertius renunciare poſſet PP. Aſſiſtentibus. Illum vero comperit ſic eidem acquieſcere, ut diſerte confirmaret, ſe in libri contextu unam velle ſalvam ſubſtantiam doctrinæ de recto uſu opinionum probabilium, de cæteris non laborare. Immo codicem oſtendit manu ſcriptum, qui libri partem magnam continebat, juſſu ſuo

ad

ad eam formam redacti, qua ſperaret, nemini diſcipliciturum; omiſſa in primis diſſertatione 2. mutatis nominibus Probabiliſtarum, & Antiprobabiliſtarum, & omiſſa oppugnatione Bartholomæi de Medina. De his nominatim ſcrupulum moverant PP. Aſſiſtentes.

Die 20. Januarii P. Secretarius forte colloquens cum uno de PP. Aſſiſtentibus intellexit, abſolutam eſſe ſcriptionem reſponſi, & quamprimum ipſi conſignandam eſſe. Intellexit & alia, quæ parum bonæ ſpei facerent ad ſucceſſum optatum.

Perrexit tamen expectare reſponſum diebus aliquot; ſed fruſtra. Convenit igitur illum P. Aſſiſtentem, in quo ſpem potiſſimam principio poſuerat, ſed jam parum ſperans. Expoſuit animi ægritudinem ex rebus tam implacidis, ſed parum ſolatii relaturus: Mox enim intellexit reſponſum PP. Aſſiſtentium, ſcripto conceptum, ipſi non reddendum. De hoc non multum laborabat. Intellexit etiam, PP. Aſſiſtentes in eo ſtare firmos, ut nullum probarent a Præpoſito Generali edi librum de recto uſu opinionum Probabilium; idque ob graviſſima incommoda inde emerſura Societati, quæ quidem P. Aſſiſtens non explicuit diſtinctius.

Nihil attinet deſcribere, quid ultra colloquii de hoc argumento fuerit. Solum adnoto, non omiſiſſe P. Secretarium monere P. Aſſiſtentem de ratione componendæ controverſiæ, perlecta a Præpoſito Generali, & optima ejuſdem voluntate, cæteriſque ſupra expoſitis hoc §. ac denique oraſſe, ut de iiſdem certiores faceret alios PP. Aſſiſtentes, & rem tantam ultra dignaretur conſiderare.

Non ſibi finxerat Secretarius, negatum iri tam præciſe. Speraverat, ſi non audiretur omnino, ſuggerendum, quid rationi componendæ controverſiæ addi, aut demi placeret. Quis non putaſſet?

ARTICULUS XXI.

Cataſtrophe.

Labor Præpoſiti Generalis, ne librum edere cogatur.

PAucis adnotavi Art. XIX. §. 4. ne optare quidem Præpoſitum Generalem in hocce rerum ſtatu, ut librum edere liceat, multo minus, ut edere debeat, invitis PP. Aſſiſtentibus; hoc eſt invita Societate, ut vulgo ajunt. Quam id non vane fuerit affirmatum, docuit eventus, qui, rebus ſic geſtis, ut enarravi, ſeſe obtulit.

Die 27. Januarii hujus anni 1693. S. R. E. Cardinalis præcipui nominis, ex iis, qui ſtomachantur, difficultatem faceſſi a Societate, ne in lucem exeat liber argumenti tam neceſſarii, & quidem liber Præpoſiti Generalis, virum ſibi familiarem, dignitate inſignem allegavit ad Secretarium Societatis, qui juberet, Præpoſito Generali renunciari, librum, annuente Summo Pontifice, quam mox exiturum in lucem, modo nomen ſuum nunc quidem Auctor diſſimularet, ſatis habens Auctorem appellaſſe Theologum Societatis. Verum libri Auctorem nemini fore ignotum: ſed & nomen Auctoris ſponte ſua proditurus propediem alios, alioſque Typographos, etiam invito Auctore: Suadere Eminentiſſimum Cardinalem, ut placeret conſilium, ipſi deinde, & aliis ſecum de libro conſentientibus, cætera curæ fore.

Non diſtulit Secretarius referre ad Præpoſitum Generalem, quæ acceperat. Hic vero rem altius introſpiciens intellexit quidem, ſua non intereſſe, ac ne doctrinæ quidem, aut Societatis interfuturum magnopere, ſi omnia eſſent integra; Unde & principio repugnantibus editioni libri PP. Aſſiſtentibus ſponte ſua obtuliſſe nominis ſuppreſſionem. At vero in hac celebritate controverſiæ gravem, & doctrinæ tam ſanæ injuriam, & Societati ignominiam inferendam, ſi adverſantibus editioni libri hoc daretur, ut non niſi Anonymo prodire liceret. Odioſiſſimas nobis fabulas, infameſque ſatyras fore paratas; cum & non eſſet ignorandus Auctor libri, & implacabili, ac cæco Societatis odio in doctrinam moderatiorem adſcribenda nominis ſuppreſſio: hue ſcilicet erupturas fabulas, ſatyraſque, Societatis ignominiæ deſcriptæ Art. XVII. jam nunc flagrantiori, quam ut ſit tolerabilis; nullum afferendum remedium editione libri, ne præfixo quidem Auctoris nomine, ſi repugnare editioni pergerent PP. Aſſiſtentes; quid autem ſuppreſſo turpiter Auctoris nomine haud incogniti? Non libere ſibi repugnare Societatis Patronis tam Eminentibus, multo minus Chriſti Vicario,

rio, ſi intellexerit, hanc ejus eſſe mentem; ſed deprecari humillime ne ſuo judicio cogeretur confirmare tantam Societatis ignominiam: non deſperare ſeſe de editione libri, compoſita domi controverſia, præcipue ſi PP. Aſſiſtentes vel nutu accepto intellexerint, hoc gratum fore Eminentiſſimis DD. Cardinalibus, & Summo Pontifici.

Atque his quidem, nomine Præpoſiti Generalis, reverenter repræſentatis Eminentiſſimo D. Cardinali, videtur diſcuſſa nunc quidem iſta cogitatio. Habes igitur Cataſtrophen Dramatis, laborem Præpoſiti Generalis, ne librum edere cogatur.

Conclusio.

Præſentis ignominiæ Societatis nullum remedium, niſi edito libro, quâcumque demum forma: ſed ſalva ſubſtantia doctrinæ de recto uſu opinionum probabilium.

Ac ne edito quidem libro, Superioris fortaſſe auctoritatis mandato; ſed edito libro, compoſita domi controverſia; quod & nulli eſt obnoxium periculo, & facillimum, promptiſſimumque eſt; ſit modo prompta voluntas hinc, atque hinc.

Spectatis ſtudiis Illuſtrium Virorum, & Societatis ſtudioſorum, quæ excitavit fama Controverſiæ, & res ipſa, non vane præſagitur, librum ſerius, ocyus in lucem prodìturum, legitima auctoritate, etiam in gratiis Societatis ipſiuſque Præpoſiti Generalis, adeoque ad commendationem doctrinæ quidem, ſed nullo præſentis ignominiæ remedio. Auguremur, prodìturum potius, compoſita domi controverſia, per Gratiam Divinam.

Animadversio.

Controverſiæ præſentis, quamvis moleſtæ, anguſti ſunt limites. Extra hos, reliqua Societatis negotia curſum ſuum tenent, & ſi Controverſia non eſſet, ea ubique humanitate Præpoſiti Generalis erga PP. Aſſiſtentes, ea PP. Aſſiſtentium reverentia erga Præpoſitum Generalem, qua par eſt. Hoc ad commune ſolatium animadverſione dignum videbatur.

CAPUT XLI.

Documentum Undevicesimum.

Quo continetur Cenſura Patris Zingnis Pro-Adſiſtentis Germaniæ, a S. Pontifice Innocentio XII. conſtituti Cenſoris Libri Patris Generalis Gonzalez.

I. Jeſuitę Germani ſunt Cenſorię notę, hoc Documento contentę. Si per temporis anguſtias liceret, varię poſſent animadverſiones inſtitui. Pauca de ultima loquar: *Exiſtimo tamen, libro præfigendam eſſe Præfationem, qua, quantum fieri poteſt, ſignificetur, hunc non eſſe librum, de quo controverſia erat. Quare auctoritati, & exiſtimationi tam Patri Generalis, quam Patrum Aſſiſtentium conſulatur.*

II. Bonus Pater Germanus, ne Patrum Adſiſtentium exiſtimatio jacturam patiatur, uti vult Probabiliſmo, cujus vi adhibeatur Præfatio, in qua librum, de quo tot habitæ ſunt lites, illum non eſſe, dicatur. Hoc tamen conſilium corrigit Pater Zingnis, monendo, ut ſignificetur, hunc librum non eſſe hunc librum, *quantum fieri poteſt*. Verum enim vero neutiquam ſinit lex veritatis, ut proponatur ille tanquam diverſus, ſi revera idem ſit. Hinc originem duxit fabella, librum ſcilicet non eſſe eumdem, quod permutatæ fuerint locutiones illæ omnes, quæ offenſioni eſſe poterant auribus Probabiliſtarum religioſiſſimis. Semper autem pius Generalis ſingulis in ſcriptis ſuis pollicetur, ſe correcturum quicquid modeſtiam, & charitatem offendere queat, *ſalva doctrinæ ſubſtantia*. Numquam non ſibi conſtitit Pater Gonzalez vel in uno doctrinæ articulo in hac cauſſa. Ipſius doctrina eadem ſemper fuit, ac ſemper permanſit in hoc ſyſtemate, quod indiviſibile eſt, ut ita dicam in duo oppoſita capita. Alterutri inſiſtatur, oportet. Conſulendi ergo Patris Gonzalez, ac Patrum Adſiſtentium exiſtimationi, alienum eſt ab Inſtitutione Chriſtiana, atque ab honeſtate conſilium, a Patre Zingnis ſuggeſtum: *Exiſtimo tamen, libro præfigendam eſſe Præfationem, qua, quantum fieri poteſt, ſignificetur, hunc non eſſe librum, de quo controverſia erat. Quare auctoritati, & exiſtimationi tam*

tam Patris Generalis, *quam Patrum Aſſiſtentium conſulatur*. Prævidit ipſe quoque Pater Zingnis, fieri non poſſe, ut affatim proſpiceretur agendi rationi Patrum Adſiſtentium, ab eaque culpa omnis penitus depelleretur: attamen, inquit ille, fiat ſaltem quidquid poteſt fieri: *quantum fieri poteſt*: etiam dicendo, librum minime illum eſſe, qui a Reviſoribus virgula cenſoria notatus fuit. Tantum a nobis Deus errorem avertat. Prævalere debet veritas, famæ quoque diſpendio Patrum Adſiſtentium. Ad iſtorum excuſationem dicatur, eoſdem alte imbibiſſe doctrinam, adverſantem doctrinæ Patris Gonzalez, ac fide bona ſe ita geſſiſſe. Niſi ſatis id ſit, quid aliud dicam, neſcio.

Num. XXI.

MAndato S. D. N. Innocentii XII. legi librum ſub titulo: *Fundamentum Theologiæ Moralis*, *ideſt Tractatus Theologicus de recto uſu opinionum Probabilium*, Auctore P. Thyrſo Gonzalez, Theologiæ Profeſſore Salmanticenſi, nunc Præpoſito Generali Societatis Jeſu.

Nihil equidem in eo reperi contra fidem, aut bonos mores; cum quod in illo contenditur, pium ſit, & ſanctum, operari juxta probabiliora, tutiora. Occurrerunt tamen nonnulla, quæ annotanda videbantur.

1. Pag. 21. indicat P. Generalis, ſe hoc libro impediturum, ne ſententia benigna intra paucos annos Societati fieret propria. Sed hæc valde invidioſa.

2. Pag. 162. §. 8. 9. 10. 11. docetur, ſuppoſito licito uſu opinionis minus probabilis, quamvis oppoſita appareat operanti manifeſte probabilior, præſcindi non poſſe perniciofam licentiam laxandi conſcientias; enervari prædicationem divinam, & exornari ſacros Oratores; viam Cæli, quæ arcta eſt, & difficilis, latam reddi, & ſpatioſam.

3. Pag. 137. §. ult. & pag. 400. §. 11. n.46. contendit, ſententiam benignam, hoc modo aceptam, comprehendi inter propoſitiones damnatas ab Inn. XI. Aſſerit quidem P. Generalis, pleroſque Auctores noſtros ſecum ſentire: ſed contrarium patet tum ex ipſis Auctoribus, tum ex hoc ipſo libro; dicit enim, Auctores Societatis ſententiæ benignæ præter unum, alteromve retinuiſſe principium reflexum. Alibi vero paſſim objicit Medinæ, aliiſque ejus ſequacibus, quod nullum ex SS. Patribus, vel Doctoribus antiquis citent, aut citare poſſint pro ſententia ſua. Si hi Auctores tenerent ſententiam P. Generalis; ſicuti, in ipſius ſententia, non eſt opus principio reflexo, & citantur pro ea SS. Patres, & Doctores antiqui; ita etiam illi non uſi fuiſſent unquam, aut retinuiſſent principium reflexum, & citarent, aut ſaltem citare poſſent pro ſententia ſua eoſdem SS. Patres, & Doctores antiquos.

4. Pag. 307. §. 11. n. 66. dicitur, qui putat ſibi licitum eſſe, uti ſententia benigna, non excuſari a peccato formali, ſi operetur juxta opinionem ſibi minus Probabilem. Ex quo ſequitur, non ſolum illos qui uſi ſunt ſententia benigna, ſed etiam Doctores, qui eam docuerunt, formaliter peccaſſe, & damnatos eſſe, uti clare oſtendit.

Quæ omnia etſi cum ſententia benigna, intellecta, ut debet, neutiquam conjungi videatur; nihilominus, ſi in libro Generali, Romæ edito, a Summo Pontifice approbato, legantur ab obtrectatoribus, maxime hæreticis (qui certe hunc librum legere volent poſt tot rumores, per Europam ſparſos) in magnum cederet præjudicium Eccleſiæ Catholicæ, in qua viguit, & viget hæc doctrina; præcipue vero in infamiam quamdam, & opprobrium Societatis, atque ipſius etiam P. Generalis, qui in hoc ipſo libro ſubditis ſuis liberam facit poteſtatem tradendi doctrinam, (dicent hæretici,) peſſimam, noxiam, peſtilentem, animarum præcipitium, condemnatam etiam ab ipſo Summo Pontifice. Hinc dicent iidem hæretici; colligite quam abominanda, & horrenda reliqua ſint doctrinæ in Eccleſia Romana &c.

6. Pag. 129. §. 1. n. 49. dicitur, a Caramuele extolli Dianam, veluti ſolertiſſimum adinventorem, & divulgatorem, vocarique propterea *Agnum Dei*, *qui abſtulit peccata mundi*. Eadem repetuntur pag. 770.

7. Pag. 269. §. 6. narratur, uti ibidem dicitur, lepida hiſtoria de Religioſo Profeſſore, qui in publica diſputatione de hac materia non potuerit reſpondere ad argumentum Medici oppugnantis. Tam hæc,

hæc, quam ſuperius dicta, offendiculo eſſe poſſunt aliis Religioſis.

8. In §. 8. pag. 284. affertur hiſtoria de quodam veluti damnato, inter cætera, etiam propter uſum opinionis minus probabilis. Non videtur hic peti poſſe probatio pro dignitate hujus argumenti: inde ſequi poſſent incommoda indicata n. 5.

9. Pag. 418. §. 5. uti & pag. 759. §. 8. refertur textus Tullii cum invectiva Vincentii Baronii, qua nihil probatur, & multi offendi poſſunt.

10. Pag. citata inſtituitur invidioſa comparatio inter hæreſim, & ſententiam benignam ponendo ex una parte hæreſim, & Concilium Tridentinum; ex altera ſententiam benignam, & Clerum cum Conciliis Gallicanis; quaſi Deus ſicut hæreſim permiſit, ut per Tridentinum veritates Catholicæ magis ſtabilirentur; ita permiſit errorem ſententiæ benignæ, ut per Concilia Galliæ veritas ſententiæ rigidæ magis, ac certius firmaretur. Notum eſt, quot in Clero Gallicano doctrinis Janſenii infecti fuerint. Certe vix plus illis pro hac materia videtur probari, quam ſi Clerus, & Concilium Gallicanum adduceretur contra poteſtatem Pontificiam.

11. Vix melior eſt §. ſequens, ubi dicuntur Doctores, docendo ſententiam benignam, a Deo permiſſi errare propter peccata populi. Et licet ob dictam cauſam erraſſent, vix tamen ſalvaretur voluntarium in populi peccatis, ad illam doctrinam ſequutis. Idem eſt de Hæreticis, Hæreſiarchæ doctrina ignoranter ſeductis, quando illa doctrina eſſet præciſe pœna peccatorum. Eadem difficultas redit in actionibus, ſecundum ſe quidem peccaminoſis, ſed ignorantur, & ſine ulla advertentia vel ſcrupulo admiſſis, quando ante, & fortaſſe diu admiſſa eſt aliqua negligentia: de quibus actionibus alibi, & in fine libri fit mentio.

12. Differr. 13. cap. 3. §. 1. pag. 560. §. Itaque in Gallia indicatur, in Societate potiſſimum vigere ſententiam benignam, & quod inde conſectarium infertur, P. Generalem agere potiſſimum contra ſuam Religionem. Eodem loco datur occaſio offenſæ Patribus noſtris Italiæ, & maxime Romanis, qui dicuntur ſententiam hanc tenere, non ex aliquo ſingulari ſtudio, ſed quod ſibi perſuadeant, eam tenuiſſe præcipuos Theologos noſtros.

13. §§. ſequentibus 2. 3. 4. 5. 6. 7. a pag. 262. adducitur lex Religionum, ſtudium ſententiæ rigidæ præſcribens; & §. 8. proferuntur ex Societate Conſtitutiones, decreta Congregationum Generalium, & Epiſtolæ PP. Generalium. Quæ etſi ſententiam benignam non improbent, hac tamen ratione a Superiore ſubditi, veluti in leges ſuas delinquentes, accuſantur, & publicantur toti mundo, qui tamen, ſi rei forent, privatim potius eſſent corrigendi. Unde ægerrime utique ferrent, ſe ita argui, & per totum orbem exponi calumniis obtrectatorum, præſertim cum exiſtimarent, ſe nihil peccaſſe in leges illas, & decreta, quæ prohibent dumtaxat doctrinas laxas, minus probatas, minuſque tutas, hoc eſt non ſatis tutas: nunquam enim cenſebunt, ſententiam benignam eſſe doctrinam laxam, minus probatam, aut non ſatis tutam. Et ſane cum ipſimet, qui in Congregationibus Generalibus decreta condiderunt, ſententiam benignam omnes tenuerint; quomodo credi poteſt, quod illam per decreta ſua voluerint prohibitam? Sed neque ipſius P. Generalis exiſtimationi conſultum foret; hinc enim argueretur neglecti officii in re graviſſima, dum ſubditos legum violatores non ſolum non corrigeret, ſed in hoc ipſo libro poteſtatem faceret, ut eas pergerent violare. Unde omittenda videntur & hæc, & ea, quæ ſuperioribus §§. de aliis Religionibus afferuntur, cum nec illorum decreta, ibidem adducta, probent intentum; & doctores, qui ex illis Religionibus adducuntur, etiam alibi citentur.

14. Loco citato §. 10. afferuntur Doctores Societatis pro ſententia rigida, qui tamen alibi adducti ſunt. Et in fine §. crimen haud ſane leve Noſtris imponitur, ubi dicuntur ſententiam benignam docere, ſolo placendi ſtudio.

15. In §. 6. pag. 363. imputatur P. Laymano, tamquam abſurdum, quod doceat, poſſe doctorem alteri dare conſilium ex probabili opinione alterius, oppoſita ſuæ, ſervata diſcretione, & prudentia. Noſtri inde offendentur, dum ipſis hæc imputatio videbitur deſumpta ex Montaltio, Societatis obtrectatore, qui eamdem doctrinam Societati exprobrat citans Laymanum. Neque ratio eſt, cur ſoli Laymano, veluti

ab-

abſurdum, imputetur, cum idem doceat Suarezius, Terillus, alii, immo plerique, omnes Doctores ſententiæ benignæ. Et cur alteri ſuaderi non poſſet, quod certe credit, ei licitum eſſe? Et licet Laymanus a P. Generali non nominetur, quia tamen afferuntur ipſius verba, & locus, unde deſumpta ſint, quivis facile intelliget, peti Laymanum.

16. Pag. 991. Dicitur univerſaliter, quod Confeſſarius non poſſit abſolvere pœnitentem, qui ex opinione probabili, opinioni Confeſſarii contraria, judicat, actionem ſibi eſſe licitam, niſi vel Confeſſarius deponat ſuam opinionem, vel pœnitens ſibi proponat, & ſpondeat, ſe ſecuturum opinionem Confeſſarii. Ex quo ſequitur, poſſe aliquando, & debere negari abſolutionem abſque legitima cauſa rite diſpoſito, V. G. pœnitenti, qui, etiam auditis Confeſſarii rationibus, judicat longe probabilius, ſibi licitam eſſe illam actionem, atque proinde renuit ſequi opinionem Confeſſarii. Sequela eſt contra communem omnium, & jus ipſius pœnitentis.

17. In Societate graviter prohibitum eſt, librum edi ſine approbatione, & facultate Superiorum Societatis. Tomi Antonii Celladei editi ſunt non ſolum ſine approbatione, ſed etiam contra expreſſam Superiorum reprobationem. Hic Auctor ſæpe citatur in libro hoc, laudatur &c. Quod fieri non poteſt ſine gravi offenſione in Societate, & præjudicio Regiminis: Quomodo enim tranſgreſſores corriget, & puniet Pater Generalis, ſi ipſe tranſgreſſoris libro utitur, eum dilaudat, integra fragmenta ex illo in ſuum traſfert?

18. Ad dignitatem hujus operis videtur pertinere, omnia ita diſponi, ut non eadem ſæpius repetantur; quod in eo fit non raro. Ex. Gr. in §. 8. pag. 759. pag. 822. §. *His autem*. pag. 806. pag. 834. §. 12. pag. 839. toto §. 13. afferuntur auctoritates quinque Eminentiſſimorum Cardinalium, quæ partim immediate ante, partim alibi allatæ erant. Idem fit aliis locis.

19. Primus Auctor ſententiæ benignæ aſſeritur eſſe Bartholomæus Medina, vocaturque Anteſignanus Probabiliſtarum. Puto, ab hoc, cum iſta doctrina adeo male in hoc libro deſcribatur, abſtinendum eſſe in reverentiam, quam Sanctiſſimo ſimul, & doctiſſimo Ordini S. Dominici debemus.

20. Præterea abſtinendum videtur non ſolum ab omni cenſura ſententiæ benignæ, quæ hinc inde inſpergitur, dum V. G. appellatur anima opinionum laxarum; ſed etiam a vocabulis *Probabiliſta*, & *Reflexiſta* &c. quia hæc ab Auctoribus ſententiæ benignæ accipiuntur, tanquam in ſui contemptum, uti prolata fuerunt ab obtrectatoribus. Neque ratio eſt, cur ipſi potius Probabiliſtæ appellentur quam Auctores ſententiæ rigidæ, cùm utrique utantur opinione probabili, a qua vocabulum *Probabiliſtæ* derivatur.

21. Demum non videtur ſatis cohærere, dicere in introductione lectoris, librum non edi tanquam a Generali, & in fronte libri Generalem poni libri Auctorem. Talis enim cenſetur libri Auctor, qualem frons libri præfefert, & enunciat.

Cæterum, uti ſub initium inſinuavi, non reperi in hoc libro, quod contra fidem eſſe, aut bonos mores videatur, ob quod, ubi annotatâ in hoc folio correcta fuerint, liber imprimi non poſſit, ſi S. D. N. viſum fuerit.

Exiſtimo tamen, libro præfigendam eſſe Præfationem, qua, quantum fieri poteſt, ſignificetur, hunc non eſſe librum, de quo controverſia erat. Quare auctoritati, & exiſtimationi tam P. Generalis, quam PP. Aſſiſtentium conſulatur.

Quæ omnia aliorum ſapientiſſimo judicio, & arbitrio ſubmiſiſſime ſubjicio.

Chriſtophorus Zingnis Societ. Jeſu, Subſtitutus Aſſiſtentiæ Germaniæ.

N 2 CA-

C A P U T XLII.

Documentum Duodevicesimum, ac ultimum.

Sublimes maximi momenti Doctrinæ, hoc poſtremo Documento pretioſo contentæ. Vera Societatis Jeſu elogia, veræque nonnullorum ex ejus Subditis Probabiliſtis ægritudines. Supplicatur Papæ Clementi XI. pro opportuno remedio. Falſis reſpondetur criminationibus, quas in vulgus Jeſuitarum hoſtes ſpargere ſolent adverſum innoxiam Societatem. Memorat extrema Seculi noſtri mala, deflenda magis; quam ſeculorum mala præteritorum.

I. EXpromere ultimo loco diſtuli pretioſiſſimum omnium, quotquot hactenus in medium allata fuere, graviſſimum Documentum. In hoc Patris Ignatii de Camargo Documento, tu, humane Lector, virum agnoſces, qui Spiritu Dei plenus, humanis rationibus poſthabitis, maximi momenti exponit veritates. Societati ſuæ tribuit maxime ſincera, ac magnifica, ſed vera tamen laudum præconia, ceu amantiſſimus filius, gloriæ Parentis ſuæ ſtudioſiſſimus. Pari detegit ſinceritate morbos queis Corpus tam nobile conflictatur. Suppliciter remedium poſcit, ne morbus Societati, totique Eccleſiæ lethalis evadat. Cum Neapoli Sapiens hic Jeſuita moraretur, Tomum ſemiſſibus foliis inter viros adhuc agente ſuo Generali Thyrſo Gonzalez, typis edidit, Evangelicæ plenum Doctrinæ adverſus Probabiliſmum, eumdemque magno Pontifici Clementi XI. nuncupavit. Salamanticam reverſus ad Theologiam prælegendam, Hiſpaniarum Nuncii opera, adjunctum obtulit libellum ſupplicem Papæ Clementi. Nuntius illum miſit ad Eminentiſſimum D. Cardin. Fabroni Societatis patronum amantiſſimum, ut opportune traderet eumdem Pontifici, quemadmodum ex Nuntii litteris, ad Cardinalem Fabroni ſcriptis, intelligitur.

II. Poſtquam diuturno triginta annorum ſpatio Pater Ignatio de Camargo ſuam exercuiſſet mentem in addiſcenda, ac tradenda Theologia, ſuamque omnem tot annos dediſſet operam ſanctis apoſtolicis Miſſionibus, ac Sacramentalibus Confeſſionibus excipiendis, deprehendit, laxas Theologorum doctrinas virulentos peſtiferorum Chriſtifidelium morum eſſe fontes. Ob Sancti Patris oculos ponit, quas paſſus fuit, perſecutiones ob confutatum Probabiliſmum, corruptum fontem laxitatum omnium Moralium. *Quantum vero laboris*, (ſcribit Pater de Camargo in adnexo libello ſuo ſupplici n. 11.) *contradictionis, periculi, difficultatis expertus ſim ſicut & alii omnes, qui pro dirigendis conſcientiis vulgarem Regulam Probabiliſtarum, circa opinionum moralium praxim, hodiedum in Hiſpania receptiſſimam, reſpuunt, novit Deus, nec facile credi poteſt. Eo ſcilicet laxitatis Moralis Doctrina devenit, ut vix quidquam in praxi licitum non habeatur. Et quid mirum? Vix ulli, aut nulli omnino ſunt libri Morales, qui plures laxas opiniones non doceant. Exeunt præterea in dies Summæ Caſuum conſcientiæ, vulgari idiomate concinnatæ, in quibus earum Authores (meri ſæpe Summiſtæ, ac exiguæ doctrinæ homines,) præter eas, quas diligenter ex præfatis libris corradunt, plures inſuper exerunt opiniones ejuſdem furfuris, quas omnes, ut probabiles, fidentiſſime venditant.*

III. Pergit num. III. oculis ſubiicere maximum malorum omnium, quod in perditionem animas præcipites agit. Id autem mali eſt Pelagiana hæreſis illa, de medio tollens ignorantiæ peccata. *Nihil vulgarius; nihil magis in more, & ore poſitum non apud vulgus tantum, ſed apud Confeſſarios, Concionatores, & Sacræ Theologiæ Magiſtros, quam peccare neminem poſſe, niſi remordente conſcientia ... Error hic, nihil differens a Pelagianorum errore, tollente ignorantiæ peccata, a Palæſtina Synodo pridem damnato, ſatis clare noviſſime confixus Decreto Apoſtolicæ Sedis, quo damnata fuit Theſis illa de peccato, quod vocant Philoſophicum*. Error hic, dicere pergit ſapiens Jeſuita, aut filius eſt, aut parens Probabiliſmi, omnium turpiſſimarum laxitatum cauſſæ. Perſpicuum eſt, Probabiliſmi errorem pejorem eſſe Philoſophici errore peccati. Peccat decretorio Eccleſiæ judicio, qui malitiæ ſibi nihil eſt conſcius.

ſcius. Dupliciter peccat ergo is, cui majus affulget lumen, major notitia directa, quod mala potius ſit actio, quam ſecus. Cogitario reflexa, qua contenditur, malitiam directe cognitam virtutem evadere, abſurdiſſimum omnium, quæ poſſint homines adinvenire, commentum eſt. *Is, inquam, error ſeu conſequens, ſeu concomitans, ſeu potius inferens Probabiliſmi errorem, relaxationem legum divinarum, & generalem morum corruptionem, & eodem Probabiliſmo, ut ex communi fonte, manantem, non modo radicat, ac firmat, ſed inexpugnabilem facit*, &c.

IV. Docte perpendit piiſſimus Jeſuita, elapſis ſeculis abſurdiores, turpioreſque errores graſſatos fuiſſe; nullum tamen fuiſſe unquam Eccleſiæ tam pernicioſum, quam ſit hic, nimirum Probabiliſmi, cujus ſub larva vitium colitur, tanquam virtus. Probabiliſmus hic, hæreſis Philoſophicæ Pater, pacem ſæviſſimam, ſtuporem, indolentiam, funeſtiſſimam in animabus ingenerat cæcitatem. *Fuerunt quidem perpetuo errores aliis multo impudentiores, & ſenſibiliter execrabiliores; ſed nullus unquam iſto extitit pernicioſior*. Suam præſeferebant alii nequitiam. Probabiliſticus error ſceleris cujuslibet enormitatem velo. contegit repetitarum animadverſionum. Legatur, quæſo, attente Documenti num. IV. ex toto.

V. Expoſitis moralibus tragicis laxitatibus, ex Probabiliſmo manantibus, inſiſtit mæſtiſſimus Jeſuita in lamentando Jeſuitarum Probabiliſtarum calamitatem triſtibus hiſce Threnis pręSolio Pontificio. *Sed enimvero, Beatiſſime Pater, Societatis noſtræ calamitas (quæ noſtri doloris, & gemitus ſpecialiſſima cauſſa eſt) nec brevem iſtam moram remedii patitur. Neſcio qua Providentia, aut occulto judicio Dei, ſane terribili, factum ſit, (quod incredibile videretur). ut nova hæc Theologia Moralis, adeo inviſa Sedi Apoſtolicæ, adeo chriſtianis moribus noxia, Jeſuitis communiter ita placuerit, ut illam . . . . communibus quaſi ſtudiis adhuc pergant tueri, immo ut doctrinam propriam non non pauci eorum ſuſtinendam contendant*.

VI. Doloris ſui lenit ipſe acerbitatem, ſuas cogitationes ad Illuſtris ſanctitatem Societatis convertens, quę, ceu uberrima vinea ſuis lectiſſimis fructibus, ſuorumque ſuaviſſimorum odorum fragrantia, ſpectatorum ſenſus exhilarat. Hi Dei vir eadem, qua Pater Concina, lingua loquitur in hac re. Hic ſuis omnibus in libris id plane ſcripſit, quod hoc in Documento, nuſquam prius viſo, magnus ſcribit de Camargo, videlicet ſanctiſſimam Societatem eſſe, Divinum Inſtitutum, in quo optimi mores, integritas vitæ, Dei timor mirifice ſplendent. Modeſtia, puritas, gravitas Juvenum tanta virtutis præſtantia cernuntur inſignitæ, ut adoleſcentes ii Angeli videantur. Quod vidimus nos hiſce oculis, id narramus. Ætate provectorum zelus, ſapientia cum Theologorum, tum inſignium tot virorum in omni ſcientiarum genere, Miſſionariorum ſudores, Confeſſariorum labor, totque aliæ dotes hanc reddunt Societatem cunctis hominibus ſpectatiſſimam. Aliquot tranſcribamus libelli ſupplicis verba: *Eſt quidem Societas Jeſu Religio procul dubio ſanctiſſima, Inſtituti plane Divini, quæ fructus longe uberrimos in vinea Domini & ſemper tulit, & modo etiam ferre non ceſſat . . . Audeo affirmare ſine ullius injuria, non alium eſſe in Eccleſia Dei Ordinem, ubi Dei timor, vera pietas, & zelus animarum conſtantius generaliter vigeat*. Inquient nonnulli Jeſuitæ Probabiliſtæ, laudes haſce eo ſpectare, ut atrociora infligantur vulnera. Sed ſinamus, ut iſti præoccupati nimium, atque ſuo obcæcati Probabiliſmo, id cogitent, quod ipſis libitum fuerit; qui enim nos judicat, Deus eſt, ajebat toties pius de Camargo; atque ego idipſum cum illo repeto. Iſti miſelli Jeſuitæ Probabiliſtæ ſe adjungunt extraneis hoſtibus Societatis. Probabiliſmum ſiquidem iſti Jeſuitis omnibus adſcribentes, invidiam univerſæ conflant Societati. Ne errantium privatorum Jeſuitarum laxitates ſponte confiteantur, innocuorum, ſapientiumque Jeſuitarum nominis ſplendori offundunt tenebras. At nos, qui veras Societatis promulgamus Vindicias, dicimus cum Patre de Camargo: *non enim adeo ſtulti, aut imprudentes ſumus, ut aſſerere audeamus, vel defendere, omnium omnino Jeſuitarum opiniones, aut mores eſſe laudabiles. Deberent tamen ipſi obtrectatores . . . . non in totam Rempublicam Jeſuitarum, multo minus in ipſam Societatem, quorumdam,*

vel

vel multorum errores indiſcriminatam refundere . . . Oportebat namque diſtinguere inter radicem, & ramos.

VII. veræ ſunt Societatis Jeſu *Vindiciæ*, ſecernere nimirum dominantem in Societate Spiritum, quæ per Divi Ignatii leges, per Generalium Decreta, epiſtolas, per doctiſſimos Theologos ſanam propugnat doctrinam, a Jeſuitarum Probabiliſtarum factione, præter modum obſirmatorum, ac pervicacium in repugnando Doctrinæ Spiritui, legibus præſcriptæ, quas fuerunt iidem profeſſi. Hic autem obſirmatus tot Jeſuitarum animus in ſyſtemate Probabiliſtico amariſſimas excutit lacrymas, eſtque maximum Societatis malum, cui ejus Adverſarii ſine mendacio hanc Jeſuitarum exprobrant labem. Recitemus verba de Camargo num. VII. ſic ſcribentis: *Illud intollerabile Beatiſſime Pater, quod Societatis æmuli, non mentientes eidem obiicere poſſint, quod ſoli Jeſuitæ Probabiliſmum iſtum, totius laxitatis, & corruptionis fontem, vix non jam a Sede Apoſtolica diſerte, & expreſſe damnatum, ſuſtinere adhuc pergant, nec ſuſtinere modo, ſed ſtudio impenſo ubique ipſum. promovere ac tutari, ut nemo ſit non ſolum de Societate ipſa, ſed nec de alio quolibet Inſtituto, qui certo non ſciat nihil ſic Jeſuitis diſplicere, quam ſi Doctrina iſta non ſuſcipiatur.* Obiiciet fortaſſis Jeſuita aliquis Probabiliſta Patri de Camargo to *ſoli Jeſuitæ*, &c. cum alii qui Jeſuitæ non ſunt, Probabiliſmum defendant. Verum enim vero qui id obiiceret, ſe mente non aſſequi Patris de Camargo obvium ſenſum, proderet. Soli Probabiliſticarum partium Jeſuitæ ii ſunt, qui palam bellum omnibus indicunt, Probabiliſmo adverſantibus, qui iraſcuntur, qui calamum diſtringunt, qui Antiprobabiliſtas tam Jeſuitas, quam alios Theologos in Adverſariorum numero habent. Revera quis Probabiliſmi contraivit Hiſtoriæ? Soli Jeſuitæ. Addo præter gregarium aliquem Caſuiſtam, vix in cunctis Ordinibus Regularibus, cunctiſque Univerſitatibus inventum iri ſapientem Theologum, qui Probabiliſmum ex profeſſo doceat. Veriſſima eſt igitur de Camargo locutio.

VIII. Refert noſter Pater eodem numer. VII., Theologum apprime doctum, ac pium, Societatiſque amantiſſimum, cum ejuſdem Patris de Camargo volumen adverſum Probabiliſmum evolviſſet, amare flere, quod hic Probabiliſmus, omnium corruptelarum, perditorumque morum virulentus fons, in Hiſpaniis tam late pateret. Curavit Pater de Camargo, ut afflictum ſolaretur Amicum his verbis: *Ego vero aliquomodo hominem ſolari conatus, fore ajebam, ut brevi Apoſtolica Sedes doctrinam, uſque adeo perniciosſam, a tota Sancta Eccleſia proſcriberet.* Reſpondit dolens Amicus ſuſpirans, ac gemen: Ah! mi Pater, ſi ſoli deſiſterent Jeſuitæ a tuenda perniciosa Doctrina, opus non eſſet Pontificiis Decretis ad illum eliminandum. *Tum ad me ipſe ſuſpirans, & imo pectore: Heu! inquit, mi Pater, obtineas tantum a tuis Jeſuitis ut aliquando tandem deſiſtant a vehementi ſuo ſtudio, & contentione propugnandi ac tuendi Probabiliſmum, & nullum opus ſit expectare Decretum Apoſtolicæ Sedis . . . . Quid ego ad hæc reponere poſſem, . . . niſi aquam optare capiti meo, & fontem lacrymarum oculis meis.*

IX. Num. VIII. ſub Sancti Patris ponit aſpectum ingens periculum, quod Societati totique impendet Eccleſiæ, hujus negotii cauſſa, quod ſuſcepit Jeſuitarum Probabiliſtarum cætus, defendendi ſcilicet Probabiliſmum. *Jam vero quid periculi, quid mali vehemens hoc ſtudium Jeſuitarum afferat ſecum non Societati modo, ſed & Eccleſiæ Dei univerſæ, otioſum foret, verbis proſequi velle.* Suis tandem ſupplicationibus finem imponit, Sanctum obteſtans Patrem, ut corpori haud leviter, ſed maximo cum periculo ægrotanti, medicinam adhibeat. *Pater Beatiſſime, hoc unum habemus reſiduum, ut oculos noſtros dirigamus ad Te, ad Te inquam, Parentem clementiſſimum, a cujus benigniſſimæ charitatis viſceribus, ſi difficillimum remedium foret, expectare tamen liceret.* Præſens, quod implorat Pater de Camargo, remedium eſt, quod jubeat Sanctus Pater, ſed gravibus dicendi formulis diſertis, omnemque amphibologiam excludentibus (*neque enim, licet gravis & ſeria, mera admonitio ſufficit ut mihi expertiſſimo conſtat*) Jeſuitarum neminem audere, ſive domi, ſive extra Probabiliſmum docere. *Jubeat, ne Jeſuita ullus domi, vel foris, publice, vel privatim Probabiliſmum unquam docere audeat.* Hoc

San-

Sanctitatis Veſtræ promulgato præcepto, complures Jeſuitæ, qui multitudine oppreſſi non audent Probabiliſmum invadere, prodibunt in aciem: libera metu diſplicendi juventus erit, & ægro corpori ſanitas reſtituetur. *Emergent alii plures, quam vulgo creditur, qui tamen numero obruebantur, nec audebant clamare, ſed intimo corde gemebant. Eximetur Juventus a metu diſplicendi . . . Denique exulabit contentio, & brevi ſalus erit corpori non mediocriter, ſed periculoſiſſime ægrotanti*. In memoriam revocat Sancti Patris onus, a Sancto Patriarcha Ignatio impoſitum Jeſuitis ſuis in legibus, a Sancta Romana Apoſtolica Sede approbatis, ſequendi in controverſiis magis probabilem, magiſque tutam doctrinam: *ſequantur omnes in quavis facultate ſecuriorem, magiſque approbatam doctrinam: quibus Probabiliſmus, antequam naſceretur, proſcriptus eſt*. Pontificis oculis inſignia ſubiicit Sanctorum, Doctorumque Jeſuitarum merita: *Sanctitas Veſtra meritum dignetur attendere Ignatii, Xaverii, Borgiæ, Lainii, Fabri, Bellarmini, Caniſii, Suarii, Toleti, Edmundi, & aliorum, quorum veſtigiis plurimi inſiſtunt, &c.*

X. Omnes Reverendos Patres Jeſuitas oro, ut ad Jeſu Crucifixi pedes proiecti hunc Patris de Camargo legant libellum ſupplicem, poſtremo loco prolatum, una ſimul cum primo eorum Patris Generalis Gonzalez. Deprehendentes ipſos in his duobus Jeſuitis eumdem Spiritum Dei loquentis, fieri non poterit, quin pœniteat, eoſdemque falſa relinquat opinio. Videbunt duos Jeſuitas, qui abſciſſis prorſus rerum omnium reſpectibus, metuque jacturam faciendi conſpicui muneris magnatorum, Principum, Regumque confeſſiones excipiendi abjecto, ſed ſtudio flagrantes propagandi Crucis doctrinam, imitationemque Crucifixi, nullius diſpendii ratione habita, æque ſincere & inſignis merita Societatis palam faciunt, & Probabiliſtarum Jeſuitarum coitionis ægritudines. Fatentur, Jeſuitarum pleroſque abripi ſtudio Probabiliſmi; ſed una ſimul compertum faciunt, Spiritum, in Societate dominantem per leges, per viros Sanctos, ac per ſapientiores ejuſdem Theologos, cum Probabiliſtica pugnare doctrina. Hic idem plane ſermo eſt, quo Pater Concina ſuis omnibus in libris contra Jeſuitarum Probabiliſtarum libros fuit uſus. Obſecro ego cum primis Reverendum Patrem Gaſparem Joſephum Gagna cum ſuis fæderatis, ut religioſa humilitate hoc perlegat monumentum, divinæ plenum unctionis. Vehemens ille quoque Gagnæ, atque Richelmii Editor libri in hoc habebit documento, unde proficiat, & doctrinæ ibi contentæ comparatione intelliget, quam miſeranda res ſit mercari, ac vendere libellos famoſos, a Sancto Officio proſcriptos, cujuſmodi eſt *Palinodia*, &c. Unum æternæ ſalutis hujus librorum mercatoris ſtudium impellit ad redigendum in memoriam ipſius turpem hanc mercaturam ejuſdem, ut ſinceram agere pœnitentiam valeat. Una hic ſubjecti Libelli ſupplicis lectio majorem habebit vim illuſtrandi mentem ipſius meis omnibus ſuaſionibus vehementioribus.

Num. XXII.

EMINENTISSIME DOMINE.

Matriti VI. Kalendas Novemb. 1706.

PAter Ignatius de Camargo Societatis, rei gravitatem conſiderans, cujus eminentia Tua non gravabitur ex adnexo ſupplici libello notitiam capere, me, ut illum mitterem ad N. D. efflagitavit: Ego vero probi hujus, doctiſque Religioſi viri ſtudio morem gerens, ſtudium excito Eminentiæ Tuæ, enixe te rogans, ut illum perpendas, ac tum apud Suam Beatitudinem utaris illo, vel non, prout Eminentiæ Tuæ aptius videbitur. Res eſt graviſſima, conſilium difficile. Verum ſi Patres orationem vulgaſſent, quam hac de re habuit ad ipſos Sua Beatitudo, cum Generalium Comitiorum tempore ad ejus ſe demiſerunt pedes, haud modicum ea res peperiſſet emolumentum.

Niſi huc Sociorum auxiliares copiæ adveniant cum hac Claſſi, res bene habet in exiguo hoc bello: at ubi viget ingens, ſicut in Flandria, atque in Italia, unde menſis jam eſt ex quo nullas accepimus litteras, valde triſtia poſt Auguſtæ Taurinorum audiuntur. S. D. M. adſit nobis: ego autem pleniſſimo obſequio, demiſſiſſime in Eminentiæ Tuæ clientelam concedo.

D. Card. Fabroni (R)

Num.

Num. XXII.

JESUS.

BEATISSIME PATER.

I. AD Sacros Pedes B. V., propriæ non immemor exiguitatis, ſicut nec Veſtræ Magnitudinis inſcius, tremens quidem accedo, ſed nihilominus confidenter. Scio utique, Dominum Jeſum Chriſtum Summum Paſtorem, ac Redemptorem meum, ſicut a Sancto ovili Eccleſiæ ſuæ, quam acquiſivit ſanguine ſuo, nullam excepiſſe vel extremam oviculam a paſtorali ſollicitudine ſummi in terris Vicarii ſui. Vocem ejus, ne aberrem a via veritatis, & per eam audire juſſus ſum, & libens pareo: ſed & clamorem meum venturum ad aures ipſius, cujus amor præcipuus, ac ſingularis in æternum Paſtorem, atque adeo in ejus oviculas, ter ab eodem Domino requiſitus, non mihi fruſtra manifeſtatus eſt, pariter dubitare non debeo. Eo autem fidentius non modo audiri, verum & exaudiri, haud temere præſumere audeo; quod non pro mea tantum, ſed pro multarum ovium incolumitate, ac ſalute apud Parentem optimum, & communem omnium Paſtorem, gemitus, & lacrymas fundo. Precor igitur Beatitudinem Veſtram, ad ejus Sanctiſſimos pedes demiſiſſime provolutus, per Summi Paſtoris mortem, & ſanguinem pretioſiſſimum, per intemeratæ Deiparæ immaculata viſcera miſericordiæ, perque Sanctorum Principum Apoſtolorum Petri, & Pauli paſſionem & labores, pro Eccleſia Chriſti ſuſceptos, ut hæc pauca (etſi plura, quam occupatiſſimæ aures facile ferre poſſint) patienter legere non dedignetur. Fortaſſe deprehendet S. V., non ad unius tantum miſeræ oviculæ aliquale ſolatium ſpirituale, quod tanti non eſſet faciendum, ſed ad magnum totius Eccleſiæ bonum, dignationem veſtram conferre.

II. Supra triginta annos, Beatiſſime Pater, Theologicæ Doctrinæ, & diſcendę, & tradendæ in noſtra Societate Jeſu, operam qualem qualem navavi, tandemque per aliquot annos eamdem, licet muneri impar, in Salmantina Accademia doceo. Hoc autem toto annorum ſpatio, Miſſionibus, noſtro more, obeundis perquam plures, & varias ditionis Hiſpanæ Diœceſes, feriatis ab ſtudio intervallis, haud modicum tempus impendi: ſacris item concionibus, Chriſtianæ Doctrinæ exponendæ, audiendis confeſſionibus, dubiis moralibus undique delatis, & voce, & litteris decidendis, cæteriſque conſuetis miniſteriis noſtri Inſtituti, quoad licuit per Scholę munera, & onera, continuo inſtiti, pro mea tenuitate. Quantum vero laboris, contradictionis, periculi, difficultatis expertus ſim, ſicut & alii omnes, qui pro dirigendis conſcientiis vulgarem regulam Probabiliſtarum circa opinionum Moralium praxim, hodiedum in Hiſpania receptiſſimam, reſpuunt, novit Deus, nec facile credi poteſt. Eo ſcilicet laxitatis Moralis doctrina devenit, ut vix quidquam in praxi licitum non habeatur. Et quid mirum! Vix ulli, aut nulli omnino ſunt libri Morales, qui plures laxas opiniones non doceant. Exeunt prętęrea in dies Summę Caſuum conſcientię, vulgari idiomate concinnatę, in quibus earum Auctores (meri ſępe Summiſtę, & exiguę doctrinę homines) pręter illas, quas diligenter ex pręfatis libris corradunt, plures inſuper exerunt opiniones ejuſdem furfuris, quas omnes, ut probabiles, fidentiſſime venditant, atque adeo tutas in praxi, pręmiſſa ſcilicet, ut principio firmiſſimo, & identidem paſſim repetita communi regula Probabiliſtarum de uſu licito, & tuto cujuſvis opinionis moralis, etiam minus probabilis, & minus tutæ, juxta ſenſum moderni Probabiliſmi, ideſt nulla habita cura de ipſarum opinionum veritate; immo etiamſi falſæ ab operantibus reputentur, vel reputari prudenter poſſint, aut non potius veræ, quam falſę. Hac ſtatuta regula generali, quam ex præfatis libris Hiſpanici ſermonis vel ipſæ mulierculæ hauriunt, quæ non chriſtianæ Diſciplinæ ſubverſio, quæ non ſequatur morum ſtrages? Prona eſt quidem, & facilis, ſed neque minus miſera, luctuoſaque conjectura. Verum eventus ipſe maniſeſtiſſimus nullis relinquit conjecturis locum. Moleſtus nimis forem B. V., ſi opiniones laxiſſimas, atque perniciofiſſimas de materia frequenti & obvia, quæ ſic communi praxi receptæ ſunt, quaſi divinæ leges, eas damnantes, abrogatæ penitus eſſent, vellem exprimere ſigillatim.

III.

III. Foret autem hic error, quamvis tam late patens, tamque exitialis Chriſtianis moribus, minus intolerabilis, minuſque noxius, niſi pejori alio fulciretur errore, haud minus, immo magis perſuaſione firmiſſima, & communi praxi recepto, quo nullus pernicioſior excogitari potuit, quippe qui errorem omnem nutrit, ac fovet, facitque inſanabile malum. Nempe nihil vulgarius, nihil magis in more, & ore poſitum, non apud vulgus tantum, ſed apud Confeſſarios, Concionatores, & Sacræ Theologiæ Magiſtros, quam peccare neminem poſſe, niſi remordente conſcientia, neque fieri unquam poſſe, ut lex Dei culpabiliter violetur, adeoque ut Deus ipſe offendatur ab eo, qui, dum agit, exiſtimat, ſe bene agere, aut non credit, ſe male agere; vel de hoc ſaltem actu non dubitat. Error hic, nihil differens a Pelagianorum errore tollente ignorantiæ peccata, a Palæſtina Synodo pridem damnato, ſatis clare noviſſime confixus Decreto Apoſtolicæ Sedis, quo damnata fuit theſis illa de peccato, quod vocant Philoſophicum, quia univerſaliter aſſerebar, neminem poſſe theologice peccare, dum actu de Deo non cogitat: is, inquam, error ſeu conſequens, ſeu concomitans, ſeu potius inferens Probabiliſmi errorem, relaxationem legum divinarum, & generalem morum corruptionem, ex eodem Probabiliſmo, ut ex communi fonte, manantem, non modo radicat, ac firma, ſed inexpugnabilem facit, expulſo nempe ab animis Dei timore, cura de inveniendo veritate morali, ideſt, ipſa Divina lege, quæ unica ſalutis via eſt. Quomodo namque diligenter inquirent, & non auditum magis avertent a veritate, libertati inimica, & uſque adeo ſenſibus repugnante, illi, qui de errore contrario non modo firmiter perſuaſi ſunt, ſed certiſſime quoque credunt, dummodo de illo non dubitent, neque peccare ſe, neque perire poſſe, immo etiam honeſte agere? Hinc non tantum offenſio, ſed odium vehemens doctrinæ ſanæ, ac veræ, hinc intemperans amor laxarum opinionum, hinc communis invidia Magiſtrorum, docentium ſanam, ſinceramque morum doctrinam, hinc coacervatio eorum, qui pruritum aurium ſcalpant, qui errores videant, & placentia doceant, hinc Theologiæ Moralis ſtudium fere nullum, hinc priſcorum Doctorum, immo & SS. Patrum contemptus, hinc conſcientiarum pax illa infeliciſſima, omni cruento bello crudelior, hinc Chriſtianorum morum deploranda corruptio, hinc demum rei Chriſtianæ facies longe miſerrima iis cunctis, qui ad videndum oculos habent, quæ non modo ex paterno, ac benigniſſimo V. B. pectore, ſed vel ex corde, ſilice duriori, fontem poſſet elicere lacrymarum.

IV. Affligunt, Beatiſſime Pater, turbant, concutiunt, vexant, dilaniant Eccleſiam Sanctam Dei, peccatis noſtris id exigentibus, diuturna, & inteſtina Chriſtianorum Principum bella, electamque (proh dolor!) Chriſti Domini hæreditatem prædam faciunt hoſtibus ſuis: ubique horribilis armorum ſtrepitus, ubique cædes, ubique populorum ſtrages; ſed nullum exitialius, neque crudelius bellum, quam memorata pax conſcientiarum, per quam innumeræ Chriſtianorum animæ, dum malum ſuum ignorant, tutas ſe cenſent, & ſecuræ dormiunt, ſed pereunt. Non alias verius poſſemus uſurpare quod olim ex Satyrico S. Auguſtinus ajebat: *Nunc patimur longæ pacis mala: Sævior armis luxuria incubuit, victumque ulciſcitur Orbem. Nullum crimen abeſt.* Immo quod Deus ipſe de Gentium ignorantia: *Et in magno viventes inſcitiæ bello, tot, & tam magna mala pacem appellant.* Fuerunt quidem perpetuo errores alii multo imprudentiores, & ſenſibiliter execrabiliores; ſed nullus unquam iſto extitit pernicioſior Eccleſiæ Dei. Illis videlicet homines, perditiſſimi vita ſua turpiſſima, & notis ſceleribus infames, quaſi eminus, & forinſecus apertum bellum inferebant Eccleſiæ; hoc autem viri plurimi, alioqui pii, & magiſtrorum nomine inſignes, quique Chriſtiani populi duces cenſentur, in ipſo Sanctuario diſſimulatum bellum exercent. Illis qui movebantur, foras exibant, & ut putrida membra reſecabantur, ne reliquum corpus inficerent; hunc vero innumeri, qui ſectantur, ac promovent, Chriſtiana Sacramenta frequentant. Per illos prava multorum corda revelabantur, ut caveri poſſent; per hunc improbi multi latent etiam ſe ipſos, facie quidem Chriſtiani, Ethnici tamen corde. Illi denique paleas areæ Dominicæ, ut vehemens turbo, rapiebant; hic vero blan-

de nocens, atque diſſimulanter, & triticum ipſum deperdit.

V. Verum hæc mala, quibus deflendis nulli ſufficiant fontes lacrymarum, lugebunt alii apud communem Patrem, neque oves tantum Chriſti, ſed & multi earum Paſtores, quorum magnis gemitibus, & clamoribus futurum aliquando confidimus (utinam brevi !) ut Summus Eccleſię Paſtor, Dominici gregis ſaluti providentiſſime ſemper invigilans, optatum impartiatur ſolatium. Nec de mora longiori merito timendum videtur, cum & ejuſmodi malum ſit, ut remedii moras non ferat, & diſcernendi triticum Domini, ipſiuſque cavendi periculo nulla difficultas ſuperſit, poſtquam ſcilicet zizaniorum calamus (ut loquar cum D. Hieronymo) non modo ad ſpicam pervenerit, ſed manifeſtum etiam fructum produxerit.

VI. Sed enim vero, Beatiſſime Pater, Societatis Noſtræ calamitas (quæ noſtri doloris, & gemitus ſpecialiſſima cauſa eſt) nec brevem iſtam moram remedii patitur. Neſcio, qua providentia, aut occulto judicio Dei, ſane terribili, factum ſit (quod incredibile videretur) ut nova hæc Theologia Moralis, adeo inviſa Sedi Apoſtolicæ, adeo Chriſtianis moribus noxia, Jeſuitis communiter ita placuerit, ut illam etiam nunc, fere jam nullibi conſiſtere paſſam, non modo domo expellere non feſtinent, alienam utique, & degenerem prolem, incaute, & infeliciter quondam admiſſam; verum etiam, communibus quaſi ſtudiis, adhuc pergant tueri, immo ut doctrinam propriam non pauci eorum ſuſtinendam contendant. Quanto vero dedecore, quanta invidia, quanto Societatis periculo, quanta lætitia eorum, quos adverſarios ubique patitur, mirum eſt, quod non videant, cum ſit evidentiſſimum. Eſt quidem Societas Jeſu Religioſo procul dubio ſanctiſſima, Inſtituti plane Divini, quæ fructus longe uberrimos in vinea Domini & ſemper tulit, & modo etiam ferre non ceſſat, propter quos magnis laudibus, privilegiis, & gratiis ſpecialibus a Summis Pontificibus cumulata largiter eſt. Audeo affirmare, ſine ullius injuria, non alium eſſe in Eccleſia Dei Ordinem, ubi Dei timor, vera pietas, & zelus animarum conſtantius generaliter vigeat; quinimmo praxim ipſam Moralium opinionum non alibi cautiorem, ac ſeveriorem eſſe apud certo Catholicos, ac vere pios, vel ipſa generalis exiſtimatio, & communis vox populi palam facit. Porro nihil frequentius etiam apud vulgus auditur, quam eos, qui deſiderant, ut ſibi largiter indulgeatur, Jeſuitas non quærere pro directione ſuarum conſcientiarum; adeo ut quaſi proverbium apud ſæculi homines invaluerit, non pro vitæ decurſu, ſed pro tempore mortis Jeſuitam habere Confeſſarium, expetendum omnibus eſſe. Itaque (quod mirabile eſt) non audent ipſi plerumque facere, quod fieri poſſe contendunt, & quod alios facere docent: haud tamen ſinit illos contentio, advertere falſitatem doctrinæ, quam praxi ſua damnant, poſtquam verbis illam docuerint.

VII. Nec eſt, cur plures obtrectatores noſtri (quos non inverecunde hoſtes dicere poteram) objiciant nobis haud paucos Jeſuitas, qui doctrinas laxas morales aliquando docuerint, vel ad praxim etiam deduxerint; non enim adeo ſtulti, aut imprudentes ſumus, ut aſſerere audeamus, vel defendere, omnium omnino Jeſuitarum opiniones, aut mores eſſe laudabiles, & nulla reprehenſione notandos. Deberent tamen ipſi, ſi veræ charitatis zelo flagrarent, lapſus Jeſuitarum, utique hominum infirmorum, ſed tamen de Catholicæ Eccleſiæ corpore, non undique ſtudioſe inquirere, non buccis concrepantibus proclamare, non canere, aut augere, non temere in vulgus ſpargere, nullo fructu, immo magno Hæreticorum gaudio, ſed veræ potius pallio charitatis obtegere, & modo aliquo, ſi poſſent, excuſare, aut prudenter eorum remedium quærere. Ut vero id nolent, ſaltem deberent non in totam Rempublicam Jeſuitarum, multo minus in ipſam Societatem quorumdam, vel multorum errores indiſcriminatim refundere. Utique zelum iſtum, non vere pium, nec Orthodoxum ſapere ſpiritum, affirmare minime verear. Oportebat namque diſtinguere inter radicem ipſam, & ramos, ſed neque ramos ipſos inutiles ſeorſim ab utilibus commonſtrare; alioquin nullam arborem bonam invenire in Eccleſia ſit. Verum iſtorum hominum calumnias, & inſidioſas obtrectationes novit pridem Societas, bonique ipſius filii æquanimiter ferre, & in præmium laborum computare. Illud nullo ſolatio ferre poteſt, illud intolerabile, Beatiſs. Pat., quod Socie-

cietatis æmuli, non mentientes, eidem objicere poſſint, quod ſoli Jeſuitæ Probabiliſmum iſtum, totius laxitatis, & corruptionis fontem, vix non a Sede Apoſtolica diſerte, ac expreſſe damnatum, ſuſtinere adhuc pergant, nec ſuſtinere modo, ſed ſtudio adeo impenſo ubique ipſum promovere, ac tutari, ut nemo ſit non ſolum de Societate ipſa, ſed nec de alio quolibet Inſtituto, qui certo non ſciat, nihil ſic Jeſuitis diſplicere, quam ſi doctrina iſta non ſuſcipiatur. Agebat mecum, non multis ab hinc menſibus, vir quidam valde eruditus, ac pius, nec male in Noſtram Societatem affectus, qui cum librum de regula moralis honeſtatis, quem nuper obtuli Sanct. Veſtr., accurate legiſſet, vehementer mecum dolebat communem hujus ſæculi calamitatem, quod regula moraliter operandi, quam deſignat modernus Probabiliſmus, tantam inducens morum corruptionem cum tanta animarum jactura, hodiedum obfirmate, ac pertinacius in Hiſpania communiter ſuſtineretur. Ego vero aliquo modo hominem ſolari conatus, fore ajebam, ut brevi Apoſtolica Sedes doctrinam, uſque adeo perniciosam, a tota S. Eccleſia proſcriberet, nec fruſtra Clementem XI. ſingulari Dei providentia Petri Cathedram aſcendiſſe. Tum ad me ipſe ſuſpirans, & ejulans ex imo pectore: Heu, inquit, mi Pater, obtineas tantum a tuis Jeſuitis, ut aliquando tandem deſiſtant a vehementi ſuo ſtudio, & contentione propugnandi, ac tuendi Probabiliſmum, & nullum opus ſit expectare Decretum Apoſtolicæ Sedis, quod illum ab Eccleſia proiiciat. Quid ego ad hæc reponere poſſem (quæ utinam non adeo notoria forent) niſi aquam optare capiti meo, & fontem lacrymarum oculis meis?

VIII. Jam vero quid periculi, quid mali vehemens hoc ſtudium Jeſuitarum afferat ſecum *non Societati modo, ſed & Eccleſiæ Dei univerſæ*, otioſum foret verbis proſequi velle. Res ipſa ſatis loquitur, nec verba ulla exprimere ſufficiunt noſtræ calamitatis gravitatem. In ea P. B., hoc unum habemus reſiduum, ut oculos noſtros dirigamus ad te, inquam, Parentem Clementiſſimum, a cujus benigniſſimæ charitatis viſceribus, ſi difficillimum remedium noſtrum foret, expectare tamen liceret. Nunc autem non difficile, ſed planum facillimum eſt. Jubeat tantum S. V., efficaciterque conſtituat (neque enim, licet gravis, & ſeria, mera admonitio ſufficit, ut mihi expertiſſimo conſtat) ne Jeſuita ullus domi, vel foras, publice, vel privatim Probabiliſmum unquam docere audeat, neque artibus directe, vel indirecte quemquam prohibeat, aliquandove impediat a doctrina contraria diſcenda, vel docenda; idque cunctis innoteſcat, a Sanctitate Veſtra ſerio fuiſſe præceptum, propter commune bonum Societatis: & nulla mora erit: parebunt omnes: certus omnino ſum: nec audebit quiſquam mutire ex iis etiam, qui modo inſinuationes, & admonitiones (quæ plures extiterunt, ſed fere irritæ) pluribus apparentibus, atque ſiniſtris interpretationibus alio ducere volunt, neque ſibi reſiſtere, palam etiam contendunt. Utique nemo probe non novit, quanti ſemper Societas Pontificia Decreta fecerit, nec tolerari quemquam, qui eiſdem repugnare præſumpſerit. His vero obmuteſcentibus, emergent alii plures, quam vulgo creditur, qui tamen numero obruebantur, nec audebant clamare, ſed intimo corde gemebant: eximetur juventus a metu diſplicendi, diſcent nullo negotio veritatem, quæ ſolum latet non inquirentes, & contrarium errorem, qui eo ducebantur, facillime dediſcent, ac oderint. Denique exulabit contentio, & brevi ſalus erit corpori, non mediocriter, ſed periculoſiſſime ægrotanti. Neque vero in præſenti rerum ſtatu Decretum aut inſolitum, aut nimis ſeverum videbitur illis etiam, quibus diſpliceat. Notum eſt omnibus in Eccleſia, complures Accademias Catholicas, plures Sacros Antiſtites, plures Synodos Diœceſanas, immo & nonnullas etiam Provinciales, plures Ordines Religioſos ſevere proſcripſiſſe Probabiliſmum, & a ſe penitus protrudiſſe. Nullis autem, quam Jeſuitis, minus videri inſolitum debet, qui vel in ipſis ſuis Conſtitutionibus, a SS. ſuo Parente conditis, & a Sede Apoſtolica toties probatis, hæc verba diſertiſſima legunt: *Sequantur omnes in quavis facultate ſecuriorem, magiſque approbatam doctrinam*, quibus Probabiliſmus a Societate, antequam naſceretur, proſcriptus eſt.

Reliquum ergo eſt, Beatiſſime Pater, ut non extremæ oviculæ clamantis, ſed clamoris ipſius Sanctitas Veſtra meritum dignetur attendere; immo Ignatii, Xaverii,

verii, Borgiæ, Lainii, Fabri, Bellarmini, Caniſii, Suarii, Toleti, Edmundi, & aliorum pene ultra numerum, qui in hujus Societatis militia Chriſto, & ejus Eccleſiæ utiliſſime militarunt, quorum etiam hodie veſtigiis toto terrarum orbe plurimi inſiſtunt, & deinceps adhuc inſiſtent, Deo, & Sede Apoſtolica, bene juvantibus, quidquid æmuli noſtri perpetuo adlatrare non ceſſent. Meminerit Sanctitas Veſtra, minimam iſtam Societatem Jeſu Romę, & in gremio ipſo Sedis Apoſtolicę natam, peculiari quadam ratione, prę cunctis aliis Sacris Ordinibus, opus eſſe mannum veſtrarum, quod SS. Veſter Prędeceſſor Paulus III. agnoſcere, & toti Eccleſię palam teſtari ſemel, & iterum dedignatus non eſt, dum ſuis diplomatibus, quibus confirmat ipſam, & laudat, *Societatis*, inquit, *Jeſu*, *per nos in alma Urbe noſtra erectæ*, *& per nos auctoritate Apoſtolica confirmatæ*. Ne igitur patiatur Sanctitas Veſtra, ut aliquando jaceat ędificium, non alia primo manu, quam Sede Apoſtolica erectum. Ergo *convertere*, Pater Beatiſſime, *reſpice de Cœlo*, *& vide*, *& viſita vineam iſtam*, *& perfice eam*, *quam plantavit dextera tua*. Tantum innoteſcat omnibus de Societate, quid S. V. definita voluntas ferat, ut nemo poſſit de illa dubitare, & nihil ultra reliquum ſit. *Oſtende faciem tuam*, *& ſalvi erimus*.

Ignoſcat precor, Sanct. Veſt., ſi, quod maxime optaſſem, rem ſummi ponderis, ac momenti, pancioribus exponere non potuerim, dum nos aſſiduis precibus Divinam Majeſtatem oramus, ut S. V., ad gloriam ſuam plurimam, & ſuarum ovium ſalutem, incolumen Catholicæ Eccleſię ſuę diuturnos annos donet, ac ſervet.

22. *Octob.* 1706.

Sanctitatis Veſtræ

Humillimus Servus, *& Obſequentiſſimus Filius*
Jhs Ignatius de Camargo.

CAPUT XLIII.

Vindiciarum Epilogus.

NUnc jam, Pater Reverendiſſime Generalis, nec non Reverendi Patres Adſiſtentes, plane vobis perſuaſa erit, ac certa & harum Vindiciarum ad Societatis Veſtræ decus neceſſitas & circumſpectio, ac moderatio in iis perficiendis adhibitæ. Vos Societatem veſtram inſpexiſtis & in amplioribus Generalibus veſtris, & in veſtris Theologis Sapientioribus ſemper conſtantem, ſemper victricem in ſacro cuſtodiendo depoſito ſanæ Doctrinæ a Sancto Patriarcha Ignatio tantopere commendato, atque in eo ab aliquot Subditorum Probabiliſtarum crebris aggreſſionibus vindicando. Modus in ſcribenda narratione litterariorum certaminum a carceribus ad calcem idem ſine ulla mutatione, ac ſine alterutrius partis injuria conſiſtit ſemper. Oſtenſum fuit, Jeſuitarum Probabiliſtarum agmen, licet frequentius ſemper victum ſuccubuiſſe; ſed una ſimul admonitus fuit lector de bona mente, bonaque fide quæ his ipſis fuit in cauſſæ defenſione. Si hanc inſtitiſſent viam Mojæ, Piroti, Raynaudi, Fabri, Danieles, non fuiſſent libri eorum, proſcripti, ſuoſque profligaſſent Adverſarios. Quam ſubit famæ jacturam Societas, ingenue fatendo, plures Jeſuitas laxiorem Ethicem docuiſſe, quomodo aliorum quoque Religioſorum Ordinum Theologi eam docuere? Quid ipſi glorioſius, quam ſemper etiam proprios oppugnaſſe domeſticos, ſartas, tectas ſervandi gratia Sancti Patriarchæ Ignatii leges de ſanioris ſecuritate Doctrinæ? Quid obiicere queunt modo Janſeniani, cunctique Societatis hoſtes? Anne plures Jeſuitas laxam Ethicem docuiſſe? Id ipſis conceſſum fuit. Anne Societatem hanc Ethicem adoptaviſſe? Rem aliter omnino ſe habere certiſſimis omnique exceptione majoribus demonſtratum fuit Documentis. Pro certo igitur habeo, vobis, o Reverendiſſime Pater Generalis, ac Reverendi Patres Adſiſtentes, longe omnium gratiſſimas has fuiſſe Vindicias.

Solis Jeſuitis Probabiliſtis, Gagnis puta, Lecchiis, Ghezziis, Richelmiis eorumque fœderatis injucunda fortaſſis hæc Opella fuerit.

rit. Sed fieri qnid poteſt? Ut gratificari valeat Cauſidicus ambabus partibus litigantibus, fieri non poteſt. Hanc tamen ipſorum diſplicentiam aliis acceptam referre profecto nequeunt, quam ſibi metipſis. Suis ipſi ſuperbis ſcribendi modis, ſuiſque obfirmatis animis in pugnando pro infauſto Probabiliſmo, nec non ſuis in Hiſtoriam Probabiliſmi criminationibus, eam ſugillantes ceu Documentis vacuam, anſam præbuerunt hæc ipſis Documenta porrigendi, quæ tam anxie quærebant, quæque forſitan nunc malent, minime referta fuiſſe. Attamen, quoniam, ſuffragante fortuna, factum eſt, ut præclara adeo monumenta reperirentur, quibus vindicata Societas fuit non modo adverſum Paſchales, Arnaldos, Nicolios, ſed præſertim adverſum eorumdemmet Jeſuitarum Probabiliſtarum factionem, his nihil aliud nunc reliquum eſt, niſi ut veritati ſe dedant. Societatis ſplendor, ſtudium obſervandi, quas profeſſi eſtis, leges, major Dei gloria, animarum, quas regitis, ſalus, ſunt, Reverendi Patres Gagna, Ghezzi, Lecchi, Richelmi, voſque cæteri Jeſuitæ Probabiliſtæ, veræ efficaciſſimæ rationes deſerendi tandem noxium illum Probabiliſmum, quem deteſtantur omnes, quotquot ſunt, veri Sapientes.

FINIS PARTIS SECUNDÆ.

PARS

PARS TERTIA.

APPENDIX

QUORUNDAM ALIORUM DOCUMENTORUM.

DOCUMENTUM PRIMUM.

Succincta narratio eorum quæ P. THYRSUS GONZALEZ geſſit in Hiſpania apud Superiores ſuos, & apud Summum Pontificem Innocentium XI. ad cohibendum opinionum probabilium abuſum, cum brevi explicatione rationum ob quas anno 1691. edidit tractatum ſuccinctum de hoc argumento, & difficultatum quæ circa ejus publicationem ſupervenerunt.

P. Thyrſus Gonzalez, nunc Præpoſitus Generalis Societatis Jeſu, poſtquam per decem annos Theologiam Scholaſticam docuerat Salmanticæ, vocatus a Deo renunciavit Cathedræ anno 1665., ut Miſſionarii munus per Hiſpaniæ Provincias exerceret. Dum in his miſſionibus verſaretur, quaſi manibus ipſis contrectavit quam pernicioſa in quibuſdam Confeſſariis daretur laxitas in uſu opinionum probabilium, & quam ſine limitatione uterentur illo principio, inter Theologos ſæculi hujus tam familiari, quod nimirum licitum ſit ſequi opinionem probabilem minus tutam, relicta probabiliore & tutiore: nulla namque habita ratione de veritate opinionum, ſatis illis erat ſcire dari opinionem probabilem de eo quod res liceat, ut ſtatim licita reputaretur; nec examinabatur an opinio contraria haberet pro ſe graviores Authores & urgentiora fundamenta, ſed vel ſine hoc prævio examine procedebatur ad praxim operandi; vel quavis ſciretur dari opinionem magis probabilem, magiſque fundatam de eo quod res ſit illicita, putabatur hoc non obſtare, ſed poſſe quemlibet ſequi opinionem probabilem, faventem ſuæ libertati, quamvis ipſe cognoſceret opinionem contrariam eſſe authoritati & rationi veriſimiliorem. Educatus fuerat in hac doctrina, quæ tunc erat communis, nec illam in dubium revocavit uſque ad annum 1670. in quo ſe ſerio & accurate applicuit ſtudio hujus celebris controverſiæ, & poſtquam diligenter evolvit quidquid pro una & altera parte allegabatur, deprehendit atque recognovit ſententiam benignam, aſſerentem licitum eſſe ſequi ſententiam minus probabilem & minus tutam, relicta probabiliori & tutiori, ſeu licitum eſſe ſequi opinionem minus probabilem & minus tutam in concurſu probabilioris & tutioris, duplicem habere ſenſum legitimum: deprehenditque in uno ſenſu eſſe veram, & in altero falſam. Eſſe quidem veram, ſi intelligatur de opinione minus tuta, vere in ſe abſolute probabili, quia defenditur ut vera a viris probis & ſapientibus poſt accuratum totius quæſtionis ſtudium, quæ tamen communiter habetur pro minus probabili, quia pro ſe pauciores numerat Authores: hanc enim operans poteſt licite ſequi, ſi citra paſſionem & culpam, judicio opinativo abſolute cenſeat illam eſſe veram & legi divinæ conformem, eo quod pro illa invenit rationem fortem præponderantem rationibus ſententiæ contrariæ. Nam in illius ratione opinio illa, quæ communiter habetur pro minus probabili, ipſi operanti eſt magis veriſimilis, & idcirco approbatur ab ipſo ut vera: & in hoc ſenſu exiſtimat locutos fuiſſe multos Authores claſſicos hujus ſæculi, præſertim Pater Suarez, cum tom. 4. de Relig. pag. 540. dixit, juxta communem ſententiam per ſe licere ſequi opinionem probabilem circa honeſtatem actus relicta probabiliori: cum enim juxta Ariſtotelem 1. Mor. cap. 1. probabilia ſint quæ videntur omnibus, vel pleriſque, vel ſapientibus, atque iis vel omnibus, vel pleriſque, vel maxime notis ac claris, ſane regulariter loquendo, ut ſapienter inquit P. Caſtropalaus tom. 1. diſp. 2. de conſcientia cap. 1. num. 8. ea ſententia probabilior eſt judicanda, quæ a pluribus defenditur & a doctioribus; & e contra ſententia minus probabilis eſt judicanda, quæ a paucioribus & minus claris defenditur.

At ſimiliter deprehendit ſententiam illam

Digitized by Google

benignam, ſi intelligatur de opinione minus tuta, quæ ipſi operanti in actu primo magis apparet falſa quam vera, eo quod pro contraria videantur ſtare non ſolum plures & graviores Authores, ſed validiora fundamenta rationis, quia nimirum experitur ſe vehementius impelli ad aſſenſum per fundamenta rationis tutioris, quam per fundamenta ſententiæ minus tutæ: deprehendit, inquam, illam ſententiam benignam ſic intellectam eſſe falſam & expoſitam laxitatibus pernicioſis, quas contingens foret aliquando damnari a Sede Apoſtolica, ſicut reipſa damnavit Innocentius XI. ſex vel ſeptem annis poſt: & recognovit in hoc ſenſu accipi a moderniſ Probabiliſtis poſt Caramuelem: ac proinde ut ſecure poſſet conſcientiam proximorum dirigere, decrevit illam doctrinam recentium Probabiliſtarum ex profeſſo impugnare: ideoque tribus annis continuis, tempore æſtivo, quando neceſſarium erat ab exercitio Miſſionum, in quo verſabatur, per tres menſes vacare, tractatum Theologicum compoſuit de recto uſu opinionum probabilium ſub hoc titulo, *Fundamentum Theologiæ Moralis*, ideſt, *Tractatus Theologicus, in quo oſtenditur, non probabilitatem, quæ communis eſt ſententiis oppoſitis, ſed dumtaxat veritatem ſaltem ut creditam & prudenter exiſtimatam, eſſe rectam regulam morum; proindeque nunquam eſſe licitum ſequi ſententiam minus tutam in concurſu tutioris, niſi illa præemineat iſti quoad probabilitatem ſeu veriſimilitudinem in exiſtimatione operantis.* Et quia videbat doctrinam huic oppoſitam ita jam eſſe in Societate communem, ut timeri poſſet intra paucos annos fore in ea, ſicut ſcientiam mediam, niſi prodirent Authores qui aperta fronte & non diſſimulato nomine Religionis eam impugnarent, voluit hunc tractatum dedicare R. P. Joan. Olivæ tunc Præpoſito Generali, ut hoc argumento manifeſte indicaret Societatem non adſcripſiſſe ſibi ut propriam ſententiam benignam Probabiliſtarum; quod manifeſtum fieret, ſi e Societate prodiret liber dicatus Generali Præpoſito, qui illam ex profeſſo impugnaret: illumque miſit Romam anno 1675. Sed tractatus Romæ examinatus a Reviſoribus generaliter approbatus non eſt, & negata eſt licentia illum edendi in lucem, quia judicatum eſt doctrinam benignam, quam Jeſuitæ communiter tenent, eſſe aptiorem ad dirigendas conſcientias proximorum, & faciliorem reddendam viam ſalutis.

In eo tractatu tamquam rem præcipue intentam ad cohibendum opinionum probabilium abuſum, latiſſime omni genere argumentorum oſtendit, licitum non eſſe ſequi opinionem minus tutam in concurſu tutioris, quando hæc, tum ab authoritate, tum a ratione apparet operanti ut manifeſte veriſimilior: & acriter invectus eſt in illam eandem propoſitionem de uſu licito opinionis minus probabilis, quam damnavit Innocentius XI. oſtendens illam doctrinam eſſe pernicioſam, & ingentem afferre poſſe morum corruptionem, nec aliquid eſſe in moribus ſecurum, ſi illa doctrina ſerpat. Poſt autem oſtendit licitum non eſſe ſequi opinionem minus tutam in concurſu tutioris, quando hæc, omnibus conſideratis, appareat abſolute & ſimpliciter operanti veriſimilior. Tertio nec licitum eſſe ſequi minus tutam, quando omnibus hinc inde conſideratis opinio tutior apparet in actu primo æque veriſimilis, quia ubi fundamenta pro utraque parte contradictionis ſunt omnino æqualia in dimovendo & trahendo ad aſſenſum, mutuo ſe elidunt, & intellectus fluctuat & manet ſuſpenſus & dubius, neſciens in qua parte ſit veritas, quam naturaliter quærit; in dubiis autem tutior pars eſt eligenda. Hinc ad uſum licitum opinionis minus tutæ, ſeu faventis libertati contra præceptum, omnino neceſſarium cenſet, ut poſt diligentem veritatis exquiſitionem, ex ſincero deſiderio non offendendi Deum ſuſceptam, pars favens libertati citra paſſionem & culpam appareat operanti in actu primo ſimpliciter & abſolute veriſimilior, & ob hanc majorem veriſimilitudinem directe pars illa judicatur abſolute vera judicio determinato, quo intellectus ſibi perſuadeat actionem honeſtam & legi æternæ conformem, vel ſaltem non malam, & a lege æterna permiſſam, ita ut aliter non poſſit ſequi licite partem faventem libertati, & relinquere partem faventem præcepto, niſi ex prudenti perſuaſione, quod illa ſit vera, & hæc ſit falſa. Atque adeo ipſius ſententia duobus nititur principiis. Primum eſt, neminem poſſe ſequi opinionem faventem libertati adverſus legem, quin

prius

prius ſine præcipitatione & paſſione, atque adeo prudenter, judicet ſaltem judicio opinativo, vel cum aliqua formidine eſſe veram & legi æternæ conformem. Secundum eſt, neminem poſſe hoc judicium ferre, niſi poſt ſufficientem veritatis inquiſitionem fundamenta illius partis apud ſe præponderarent ſimpliciter, ſenſibiliter, & clare fundamentis partis oppoſitæ, ita ut operans manifeſte experiatur ſe vehementius impelli ad aſſenſum per fundamenta ſententiæ faventis libertati, quam per fundamenta ſententiæ ſtantis pro lege.

Poſtquam obtinere non potuit facultatem edendi tractatum illum, poſtulavit a R. P. Generali anno *1679.* ut ſaltem ſibi liceret inſerere quarto tomo Theologiæ Scholaſticæ (qui tunc ſub prælo erat) ſubſtantiam illius doctrinæ in duobus vel tribus paragraphis, in quibus per propoſitiones aliquas breviſſime prolatas ſuam mentem aperiret: ſed nec hoc impetrare potuit.

Propoſitiones autem erant ſequentes.

1. Nemini licet in praxi ſequi opinionem faventem libertati adverſus legem, quando ipſe judicat eſſe falſam & legi divinæ contrariam in ſenſu compoſito talis judicii: præcipue intenta ad cohibendum opinionum probabilium abuſum.

2. Nemo poteſt ſequi licite opinionem faventem libertati adverſus legem, quando habet fundamentum evidenter majus ad credendum illam eſſe falſam & legi divinæ contrariam, quam ad credendum eſſe veram & legi divinæ non contrariam.

3. Nemo poteſt licite ſequi opinionem faventem libertati adverſus legem, quando abſolute habet fundamentum majus ad judicandum illam eſſe falſam, quam ad judicandum eſſe veram; eo quod in actu apparet ei veriſimilis.

4. Nemo poteſt licite ſequi opinionem faventem libertati adverſus legem, quando non habet fundamentum majus ad judicandum eſſe veram, quam ad judicandum eſſe falſam, eo quod experitur æqualem vim movendi in fundamentis partis oppoſitæ, ac proinde utraque opinio ſit illi æque veriſimilis.

5. Licitum eſt ſequi opinionem faventem libertati adverſus legem, quando poſt diligentem veritatis inquiſitionem citra paſſionem & culpam habet majus fundamentum ad credendum eſſe veram, quam ad credendum eſſe falſam, quia tunc inculpate poteſt judicare illam eſſe veram, & legi divinæ conformem.

6. Quamvis opinio favens libertati adverſus legem ſit ſpecificative in ſe probabilis minus, quia habet pro ſe pauciores Auctores graves; ſi tamen ſit in ſe certe probabilis, quia defenditur ut vera ab Auctoribus claſſicis, quorum opinio habetur communiter pro probabili, & operanti ipſi poſt diligentem veritatis inquiſitionem citra omnem paſſionem & culpam repræſentatur ut magis veriſimilis quam oppoſita; poteſt eam licite ſequi, quia tunc inculpate poteſt judicare illam eſſe veram.

7. Fundamenta Doctorum aſſerentium licitum eſſe ſequi opinionem probabilem minus tutam, relicta probabiliori & tutiori, ſi intelligantur de opinione tutiori, quæ ſolum in ſe ſpecificative & materialiter & communi æſtimatione eſt probabilior, ſunt ſatis efficacia: ſi autem intelligantur de opinione tutiori, quæ non ſolum in ſe eſt probabilior, ſed etiam ipſi operanti veriſimilior apparet, ſunt inefficacia.

8. Multi Doctores hujus ſæculi aſſerentes licitum eſſe ſequi opinionem probabilem minus tutam relicta probabiliori & tutiori, conciliari poſſunt cum multis antiquorum, qui ad uſum licitum operationis minus tutæ exigunt quod ſaltem ſit probabilior tutiore, dicendo iſtos ſolum exigere quod opinio minus tuta ſit operanti ipſi probabilior, id eſt veriſimilior: illos vero ſolum aſſerere licitum eſſe ſequi opinionem minus tutam quæ in ſe & communi exiſtimatione eſt minus probabilis, ſi ab ipſo operante inculpate judicatur vera, quia ob fundamentum rationis in actu primo viſa eſt ei veriſimilior.

Sed Præpoſitus Generalis ex judicio Reviſorum generalium judicavit non expedire, ut propoſitiones illæ adhuc ſub illa brevitate typis mandarentur: tunc autem ſatis cognovit Pater Thyrſus ſuum tractatum de uſu opinionum probabilium præcipue fuiſſe improbatum propter ipſam ſubſtantiam doctrinæ, quam in illo ex profeſſo ſtatuebat, & Superiores velle, ut ſenſim ſententia benigna de uſu licito opinionis minus probabilis & minus tutæ in concurſu tutioris & operanti ipſi veriſimilioris in Societate prævaleret, & imperium pacifice poſſideret, quia judicabant illam

Digitized by Google

illam eſſe aptiorem ad dirigendas conſcientias in ſpiritu dulcedinis & ſuavitatis: manifeſtum eſt enim hanc doctrinam amplexos fuiſſe non ſolum ſapientia, ſed & virtute & pietate inſignes, non ex ſtudio placendi hominibus & animos omnium ſibi conciliandi, ut malitioſe calumniantur Janſeniſtæ cum Lud. Montalt. Epiſt. 5. ſed ex ſincero deſiderio conſulendi proximorum ſaluti, ad quam promovendam magis aptam cenſebant hanc benignam doctrinam, quam oppoſitam paulo ſeveriorem.

Septem annis poſtquam P. Thyrſus hunc tractatum confecerat, prodiit Bulla Innocentii XI. in qua confixit anno 1679. ſexaginta quinque propoſitiones, & in qua declaravit ad uſum opinionis minus tutæ non ſufficere quod illa ſit utcunque probabilis in ſe, ſi ejus probabilitas comparata cum probabilitate ſententiæ tutioris ſit tenuis & exigua. Occaſione hujus publicationis in Hiſpania per litteras ſui Nuncii reſcivit Summus Pontifex, Religioſum e Societate Jeſu ante aliquot annos confeciſſe tractatum, in quo late & nervoſe impugnabat illam propoſitionem, & alias quas damnaverat, & in quo late ſententiam Probabiliſtarum, quæ in Societate erat communis, rejiciebat, & oppoſitam Antiprobabiliſtarum doctrinam, in quam ſua Sanctitas magis inclinabat, late ſtatuebat. Gaviſus eſt ſanctus Pontifex, & juſſit illum examinandum & reviſendum tradi duobus viris valde peritis, qui illum maxime probaverunt & laudaverunt, licet unus ex eis majorem in eo deſideraverit ſeveritatem & rigorem: alter enim illorum in ſua cenſura dixit, tractatum illum eſſe moribus Chriſtianorum formandis apprime utilem, atque iiſdem hac tempeſtate reformandis præſentaneum fore. Alter vero diſerte pronunciavit nihil ſuo judicio circa propoſitum argumentum prodiiſſe ex officina Societatis Jeſu ipſo tractatu ſolidius: addit vero quod, ut tuto poſſit commendari, optandum eſſet ut nonnulla quæ illic tantum obiter notantur, ex profeſſo (ut dicitur) tractarentur. Itaque operæ pretium, inquit, eſſet, conditiones opinionis probabilioris quam ſequi liceat, etſi minus tuta ſit, tractare, & copioſius explicare, inculcando præcipue tantam eſſe debere illam probabilioritatem, ut omnibus inſpectis unice probabilis ſit, & poſt diligentem veritatis inquiſitionem nihil appareat in contrarium ad perſuadendum rem illam eſſe illicitam. Atque adeo Reviſoribus Societatis viſus eſt tractatus illius nimis ſeverus: quia P. Thyrſus exigebat ad uſum licitum opinionis minus tutæ, ut illa in actu primo citra paſſionem & culpam appareret operanti ſimpliciter & abſolute veriſimilior, quam oppoſita, & ob hanc majorem veriſimilitudinem ab ipſo judicaretur vera, licet hoc judicium ſit opinativum & cum aliqua formidine partis oppoſitæ. At uni ex Reviſoribus Pontificiis viſus eſt tractatus ille in hac parte minus ſeverus; quia exiſtimabat ad uſum licitum minus tutæ non ſufficere, quod operans judicio opinativo cenſeat actionem eſſe honeſtam vel licitam, ſed requiri quod formet judicium moraliter certum de honeſtate actionis, ceu judicium excludens omnem formidinem partis oppoſitæ circa malitiam actus oppoſiti.

P. Thyrſus, cui firma hærebat determinatio non edendi hunc tractatum ſine facultate ordinaria Religionis, timens ne forſan Pontifex imprimi faceret ſine licentia Societatis, ſi ſemel Reviſores a ſua Sanctitate deſignandi illum approbarent, ut præcaveret hoc periculum, dedit litteras Summo Pontifici die 25. Decembris 1681. in hæc formalia verba. „ Quamvis „ doctrina mei tractatus probetur a Re- „ viſoribus deſignatis vel deſignandis a „ veſtra Sanctitate, & ab illis deducatur „ utilem fore, non expedit ut tractatus „ imprimatur ut jacet. Cum enim illum „ compoſuerim, dum verſarer in Miſſio- „ nibus, & poſt magis ventilata ſit hæc „ materia, nunc neceſſe eſt illum magis „ locupletari: licet enim pro Miſſionario „ foret ſufficiens, pro Cathedratico pri- „ mario Salmanticenſi eſt diminutus, & „ oportet fuſius impugnari illum, qui poſt „ illum tractatum compoſitum, tomum „ edidit de regula morum. “ Hoc dixit, quia anno 1676. juſſus fuerat a ſuis Superioribus dimittere officium Miſſionarii, & ex deſignatione Regis Catholici præfectus fuerat cathedræ primariæ Univerſitatis Salmanticenſis. Itaque Pontifex hujus libri editionem valde optabat & urgebat, auctoriſque enixis precibus ægre tribuit, ut res differretur, donec matureſcerent quædam.

Venit P. Thyrſus anno 1687. tanquam Elector Provinciæ Caſtellanæ ad Congregationem generalem XIII. & Summus Pontifex ſigna manifeſta dedit deſiderii quo flagrabat, ut eligeretur in Præpoſitum Generalem, ſperans fore ut factus Generalis cohiberet nimiam licentiam opinandi, de qua accuſabatur Societas, ut aperiret januam doctrinæ ſecuriori Anti-probabiliſtarum, in quam inclinabatur magis Sedes Apoſtolica. Dolebat quippe Pontifex & conquerebatur de tanta conformitate, & quaſi conjuratione Jeſuitarum, in defendenda minori probabilitate, tanquam regula ſecuræ conſcientiæ: videbat quotidie ex officina Societatis prodire libros, qui quaſi pro aris & focis pugnabant pro uſu licito opinionis minus probabilis & minus tutæ, eoſque recipi cum plauſu a Jeſuitis; nullum autem prodire, qui aperta fronte, & non diſſimulato auctoris & Religionis nomine, doctrinam illam impugnaret: inſuper audiebat in Societate male audire apud Superiores, qui doctrinam Probabiliſtarum ſibi diſplicere ſignificaret, & fere nullum eſſe qui palam auderet impugnare, imo & aliquos moleſtias non paucas paſſos eſſe ob hanc cauſam. Hinc inferebat tantam uniformitatem tantamque conſpirationem in defendendo ſuo Probabiliſmo, in Religione in qua eſt tanta opinandi libertas, ut eſt Societas, non videri caſualem, ſed potius provenire ex conſilio Religionis, volentis ſenſim & in actu exercito adaptare ſibi & facere propriam Religionis ſententiam de uſu licito opinionis minus probabilis. Probe ergo cognoſcens magnus ille Pontifex, quantum poſſet bonis moribus nocere, quod orbis Chriſtianus ſibi perſuaderet Religioſos Societatis ſibi adſcripſiſſe ut propriam ſententiam Probabiliſtarum, & pro Religione eam defendere licitum eſſe ſequi ſententiam minus tutam in concurſu tutioris, & ipſi operanti probabilioris, & veriſimilioris, hoc malum totis viribus impedire eſt conatus, ſuaviter tamen & ſine ſtrepitu. Mediante ergo Emin. Cardinali Cibo Secret. Status ſignificavit Congregationi generali cupere ſe & deſiderare, ut in doctrina de opinione probabili licitum eſſet Theologis Societatis tenere, atque libris publicis, ſi vellent, tueri, quod in concurſu opinionis magis probabilis magiſque tutæ non liceret ſequi minus tutam minuſque probabilem. Congregatio vero deſiderio Pontificis cupiens ſatisfacere, condidit Decretum XVIII. in quo declaravit Societatem non prohibuiſſe, nec prohibere quo minus ſententiam illam tueri poſſent, quibus illa magis probaretur: ipſeque Pontifex locutus cum novo Generali illum ſæpe hortatus eſt ad procurandum, ut in Collegio Romano, aliiſque Gymnaſiis Societatis legeretur doctrina Anti-probabiliſtarum, quatenus docet neminem poſſe ſequi ſententiam minus tutam, niſi illa ſaltem ſit probabilior ſententia tutiore ſtante pro lege adverſus libertatem; & novus Generalis promiſit ſuæ Sanctitati vocatutum ex Hiſpania Profeſſorem Theologiæ, qui eam doctrinam in Collegio Romano dictaret, & ita adimplevit anno ſequenti, quo P. Joſephum Alpharum ex Hiſpania adduxit ad legendam Theologiam in Collegio Romano. Ex his conſtat quam ſerio & conſtanter Innocentius XI. deſideraverit, ut in Societate plena eſſet libertas ad docendum licitum non eſſe ſequi ſententiam faventem libertati adverſus legem, niſi operans prius prudenter & probabiliter ſibi perſuaderet illam eſſe veram, & legi æternæ non contrariam; quam perſuaſionem habere nunquam poterit, quin auctoritate & ratione, vel utraque ſimul ſit ipſi clare veriſimilius, rem eſſe licitam & a lege divina permiſſam.

Præpoſitus ergo Generalis Societatis, ut ſatisfaceret deſiderio Summi Pontificis Innocentii XI. & operibus ipſis oſtenderet Decretum Congregationis XIII. non fuiſſe ſolum ceremoniam mere politicam ad placandum animum Innocentii XI. qui ægre ferebat tantam conſpirationem Jeſuitarum in defendendo uſu opinionis minus tutæ, poſthabita tutiore, quæ operanti ipſi apparet magis veriſimilis, & vehementer optabat, ut traderet doctrinam ſecuriorem, & ut Religionem ſibi commiſſam purgaret a labe fœda, quam illi aſpergebat multorum perſuaſio, quod Societas ſibi vellet operibus ipſis, & in actu exercito, adaptare, & propriam facere ſententiam benignam Probabiliſtarum, decrevit typis mandare tractatum ſuum de recto uſu opinionum probabilium, qui eſt ſpecimen quoddam operis grandis, eo argumento, ut facto tam illuſtri omnibus

con-

conſtaret non eſſe propriam Societatis ſententiam, quam ejus Præpoſitus Generalis ex profeſſo impugnabat.

In hoc tractatu, ad claudenda ora Janſeniſtarum, qui ut invidiam conflarent Societati ex laxitatis fama, tamquam propriam tribuunt ſententiam Probabiliſtarum non ſolum acceptam ſub terminis iſtis: *Quod liceat ſequi ſententiam probabilem minus tutam, relicta probabiliore & tutiore, ſeu in occurſu probabilioris & tutioris*, ſub quibus terminis eſt communis inter Scriptores hujus ſæculi, qui rem hanc attigerunt ab anno 1677. ad annum 1688. paucis exceptis, ſed etiam ſub terminis invidioſis, qui illam doctrinam reddunt invidioſam, in eo ſcilicet ſenſu, in quo eam defendunt recentes Probabiliſtæ, qui cum Caramuele aſſerunt licitum eſſe unicuique ſequi ſententiam ſibi minus probabilem ſeu minus veriſimilem & minus tutam, relicta tutiore & ſibi veriſimiliore, id eſt licitum eſſe ſequi ſententiam faventem libertati adverſus legem naturalem, quamvis omnibus conſideratis habeat majus fundamentum ad judicandum eſſe falſam & legi æternæ contrariam, quam ad judicandum eſſe veram & legi æternæ non contrariam.

Inprimis manifeſte probat illam ſententiam non prodiiſſe ex Societate, & non niſi per calumniam a Ludovico Montaltio in Lifteris Provincialibus, a Vuillielmo Vuendrochio in notis ad eas Epiſtolas citari tanquam doctrinam Societatis, quia evidens eſt evidentia facti eam fuiſſe communem, quando Doctores Societatis inceperunt de hac controverſia ſcribere, ut oſtendit differt. 1.: deinde probat e Societate prodiiſſe primos hujus ſententiæ impugnatores: nam anno 1608. illam impugnavit P. Ferdinandus Rebellus in opere de Juſt. & jure lib. 8. Qu. 5. & anno 1609. Paul. Comitolus in Reſp. Moral. lib. 5. q. 1. & fuſe ac ex profeſſo P. Andreas Blancus ſub nomine Candidi Philalethi 1642. de quo propterea Julius Mercorus, & Joan. Bapt. Gonet ex ſacra Prædicatorum familia teſtantur primum in Italia adverſus illam doctrinam calamum ſtrinxiſſe, & hujus noſtris ſæculi opinandi licentiam compreſſiſſe; quod ideo dixerunt, quia primus illam doctrinam Probabiliſtarum ex profeſſo impugnarit.

Præterea in hoc tractato differt. 3. probat Præpoſitus Generalis, ſententiam recentium Probabiliſtarum aſſerentium unicuique licitum eſſe ſequi opinionem minus tutam, ſi ſciat eſſe abſolute probabilem, quamvis & in actu primo appareat minus veriſimilis quam oppoſita, non eſſe communem inter Theologos hujus ſæculi, qui cum Bartholomæo de Medina docuerunt licitum eſſe ſequi ſententiam probabilem minus tutam relicta probabiliori & tutiori: nam quamvis ſub his terminis, *licet ſequi opinionem magis tutam, relicta probabiliori & tutiori*, vel ſub iſtis, *licet ſequi opinionem minus probabilem & minus tutam in concurſu probabilioris ac tutioris*, vel aliis æquivalentibus, ſit communis inter Theologos hujus ſæculi, qui hanc quæſtionem agitarunt ab anno 1667. in quo Medina 1. 2. q. 19. art. 6. propoſitionem hanc & doctrinam primus Theologorum evulgavit, hanc ſtatuens concluſionem contra Cajetanum, Sylveſtrum, Sotum, & alios antiquos, *Mihi videtur quod ſi opinio eſt probabilis, licet eam ſequi, etſi opinio oppoſita ſit probabilior*, ad annum 1658. in quo ſuam Baſim Theologiæ edidit in lucem P. Jul. Mercorus ex eadem familia, in qua eam Medinæ ſententiam acriter impugnat, ut contrariam doctrinæ D. Thomæ, & omnium Theologorum: ac proinde quamvis P. Franc. Suarez tom. 4. de Religione pag. 544. veriſſime pronunciarit juxta communem ſententiam per ſe licere ſequi opinionem probabilem circa honeſtatem actus relicta probabiliori; tamen neque P. Suarez, neque ipſe Medina loquuntur in ſenſu poſteriori, quem amplectuntur recentiores cum Caramuele, & nos impugnamus, ſed in priori, quem nos approbavimus. Solum quippe intendunt poſſe quemlibet licite exercere actionem, quam ipſe judicat eſſe honeſtam ob aliquod fundamentum rationis, vi cujus illa pars repræſentata fuit ipſi veriſimilior oppoſita, quamvis ſciat ſententiam tutiorem eſſe probabiliorem, ſeu habere pro ſe plures & graviores auctores: ut enim inquit Caſtropalaus diſp. 2. de Conſc. cap. 1. n. 8. regulariter loquendo ea ſententia probabilior eſt judicanda, quæ a pluribus defenditur, & a doctioribus; cum juxta Philoſophum probabilia ſint quæ videntur omnibus, vel plurimis,

vel maxime notis & illuſtribus: unde in eo tractatu oſtendit Præpoſitus Generalis falſo Janſeniſtas tribuere communi conſenſui Jeſuitarum ſententiam benignam ſumptam in ſenſu odioſo, & intellectam de opinione minus tuta, quæ ab ipſo operante judicetur falſa, vel prudenter poſſit judicari, eo quod oppoſita ratione & auctoritate appareat illi veriſimilior: modumque tradit Jeſuitis, quo poſſunt explicare multos ex ſuis auctoribus claſſicis, eoſque liberare ab invidia, quam illis conſlant Janſeniſtæ.

Prætetea in eo tractatu oſtendit eſſe falſam doctrinam Janſeniſtarum, & quorundam aliorum Theologorum minus rigidorum, aſſerentium nullam opinionem probabilem reipſa falſam & legi divinæ contrariam a peccato coram Deo excuſare . . . probat enim in eo tractatu poſſe dari ignorantiam invincibilem juris naturalis, quando concluſiones remotæ ſint & valde diſtantes a primis principiis, quia inter Doctores ſapientes diſputatur, an aliqua actio ſit intrinſece mala, & jure naturali prohibita; & dantur opiniones probabiles oppoſitæ, quarum altera neceſſario eſt falſa. Unde contingere poteſt, ut Doctor citra culpam doceat probabiliter licitam eſſe actionem, quæ revera eſt illicita; & ſicut hoc contingit, ita & contingere poteſt, ut operans poſt diligentem veritatis inquiſitionem citra paſſionem & culpam judicet actionem eſſe licitam, quæ in ſe eſt mala, & quod fundamenta Doctorum affirmantium viſa ipſi ſint urgentiora; tunc autem ſequitur opinionem reipſa falſam, quam tamen bona fide putabat eſſe veram: unde quamvis reipſa agat contra legem, illa tranſgreſſio eſt materialis, & non imputatur ipſi, quia habet ignorantiam probabilem & inculpabilem, quæ ipſum excuſat. Inſuper contra Janſeniſtas, aſſerentes nullam opinionem mere probabilem de honeſtate actionis ſufficere ad licite agendum, ſed requiri omnimodam certitudinem moralem,

Præpoſitus Generalis tota diſſertatione I. late oſtendit ſufficere opinionem mere probabilem, dummodo phyſice & ſubjective exiſtat in mente operantis, quia hoc ipſo quod operans prudenter vel ſaltem inculpate judicat actionem eſſe honeſtam, quamvis hoc judicium ſit mere opinativum & cum aliqua formidine partis oppoſitæ, poteſt ſuper hoc judicium formare dictamen practicum ultimum conſcientiæ, quo ſine ulla formidine operans ſibi perſuadet ſibi hic & nunc licere exercere actionem, quam judicio mere opinativo judicat eſſe ſecundum ſe honeſtam, vel ſaltem licitam. Rurſus loquendo de opinione aliena exiſtente in libris vel in mente ſuorum auctorum, dicitur licitum quidem eſſe ſequi quamcumque opinionem mere probabilem ex iis quæ affirmant aliquid eſſe licitum, dummodo illa non concurrat cum opinione tutiore, quæ operanti ipſi repræſentatur in actu primo ut magis veriſimilis, præſertim ſi talis appareat a fundamentis auctoritatis ac rationis ſimul: quia nimirum operans agnoſcit ſententiam tutiorem pro ſe habere plures & graviores auctores, & eorum fundamenta ipſi videntur urgentiora. Item dummodo non concurrat cum opinione tutiore, quæ operanti repræſentatur ut æque veriſimilis: ſiquidem opinio favens libertati adverſus legem eatenus eſt probabilis practice reſpectu operantis, quatenus poteſt approbari ab ipſo ut vera: non poteſt autem ſic approbari, quando in actu primo magis apparet falſa quam vera, imo vel quando non apparet magis vera quam falſa, quia nequit homo licite aſſumere ſibi tanquam rectam regulam operandi ſenſus hominum, niſi quatenus ſibi perſuadet illam eſſe conformem primæ regulæ, cui non conformatur niſi per veritatem, quia nimirum proponit ut licitum quod lex æterna permittit, nam ſi proponat ut licitum quod reprobat ut illicitum lex æterna, non eſt conformis, ſed contraria legi æternæ.

Quare dum Probabiliſtæ ſupponunt opinionem minus tutam manere abſolute probabilem reſpectu operantis, etiamſi ipſi repræſentetur ut minus veriſimilis quam oppoſita, ſupponunt quod erat ipſis probandum. Solum ergo ſupponere debent opinionem minus tutam eſſe in ſe abſolute probabilem, quia defenditur ut vera a viris probis & doctis, & aliunde repræſentari ut veriſimilem operanti. Hoc autem non ſufficit ut operans poſſit illam licite ſequi; ſiquidem cum hoc ſupponitur quod operans cognoſcat illos auctores deceptos, & eſſe falſam opinionem, quia in intellectu habet diverſum ſtatum ab eo, quem habet, vel habuit in mente ſuorum aucto-

auctorum, qui propterea illam probabiliter propugnarunt ut veram, quia poſt diligentem veritatis inquiſitionem citra paſſionem & culpam fundamenta ejus ipſi apparuerunt validiora quam fundamenta ſententiæ tutioris, & operanti apparent validiora fundamenta ſententiæ oppoſitæ: unde quamvis ſpeculative cognoſcat illam ſententiam eſſe abſolute in ſe probabilem, & poſſe eſſe practice probabilem ſibi, eam judicat eſſe falſam, vel judicare prudenter poteſt, eo quod ejus fundamenta apparent ipſi minus veriſimilia, quam fundamenta ſententiæ oppoſitæ. Nunquam enim eſt probabilis abſolute reſpectu operantis opinio cujus fundamenta non præponderant fundamentis ſententiæ oppoſitæ. Hinc Præpoſitus Generalis late obſervat in ſuo tractatu, in eo allucinari recentes Probabiliſtas, quod exiſtimant opinionem probabilem de actus honeſtate eſſe regulam abſolutam licite opinandi, cum ſolum ſit regula reſpectiva; eſſe regulam rectam pro omnibus, etiam pro illis, qui non judicant eſſe veram & legi æternæ conformem, & in quorum intellectu habuerit eundem ſtatum quem habuit in intellectu ſuorum auctorum.

Quare in hoc dumtaxat ſenſu verum exiſtimat licitum eſſe cuilibet ſequi opinionem probabilem minus tutam, nimirum ſi citra paſſionem & culpam illam opinionem approbaret per aſſenſum, ſibi probabiliter perſuadendo illam eſſe veram & legi divinæ conformem, ac proinde eſſe licitam actionem, quam illa opinio licitam affirmat, ſive illum aſſenſum portet ſimpliciter & bona fide credendo viro docto, aſſerenti talem actionem eſſe licitam, quamvis ei quicquam occurrat in contrarium quo moveri poſſit ad diſſentiendum, ſive aſſenſum portet nixus fundamentis gravibus, quæ pro parte benigna videt eſſe urgentiora quam pro parte ſevera: nemo enim prudenter judicare poteſt actionem eſſe honeſtam, ſi omnibus conſideratis invenit majus fundamentum ad judicandum eſſe turpem, præſertim ſi hoc fundamentum ſit auctoritatis & rationis ſimul, quia nimirum videt plures & graviores auctores aſſerere illam actionem eſſe intrinſece malam, ipſorumque fundamenta ipſi videntur urgentiora.

Ex hac relatione conſtat, quam utilis ſit ad conſulendum honori Societatis Tractatus Præpoſiti Generalis, in quo declinans nimium rigorem & nimiam indulgentiam in uſu opinionum probabilium, moderatum uſum tradit, & probat maligne Janſeniſtas tribuere Societati ſententiam Probabiliſtarum acceptam in ſecundo ſenſu invidioſo; illam enim multi ex præcipuis & gravioribus non docuerunt in illo ſenſu, ſed in priori, quem ipſe Generalis approbat, idque ſolum docet tanquam doctor particularis, non ut Generalis, nullum ex ſuis ſubditis ad ita docendum adſtringens, ſed omnibus plenam libertatem relinquens, ut in hac graviſſima controverſia eam partem defendant, quam poſt diligentem veritatis inquiſitionem & accuratum ſtudium, ex ſincero deſiderio non errandi, ſententiam ſolidioribus nixam fundamentis deprehenderint. In hoc tractatu oſtendit ſolidum & fundatum modum, quo Jeſuitæ tueri poſſint licitum eſſe ſequi opinionem probabilem omnino tutam, relicta tutiori & probabiliori, quamvis opponantur antiquis omnibus, de quibus vere dixit Terillus Quæſt. 22. de Conſc. num. 4. „ Antiqui ad operandum exigunt, ut quis ſectetur ſibi probabiliora: “ & erudit. P. Franc. Amicus tom. 3. Curſus Theol. diſp. 10. n. 79. vere pronunciavit: „ Omnes fere antiqui Theologi negant licitum eſſe operari ſecundum ſententiam, quæ minus probabilis judicatur, ſemperque exigunt ut illa operanti ſit probabilior: “ & Ant. de Cordova in ſuo Quæſt. Theol. edito 1556. quæſt. 3. aſſert. 1. affirmat partem tutiorem eſſe tenendam, quando illa eſt probabilior: & ſubdit: „ Et in hoc omnes Theologi conſentiunt. “ Poſſunt igitur multi ex antiquis commode exponi. Dum dicunt dari obligationem ſequendi opinionem tutiorem, quando illa eſt probabilior, loquuntur de probabilitate reſpective ad operantem, ut nimirum operans teneatur ſequi ſententiam tutiorem, quando illi apparet probabilior; ac proinde ut dum exigunt ad operandum ſecundum ſententiam minus tutam, quod illa ſit probabilior ac veriſimilior, ſolum velint quod illa operanti ſit probabilior ſeu veriſimilior, non autem quod ſit abſolute probabilior in ſe, ſeu quod habeat pro ſe plures ac graviores auctores.

Præcipua vero utilitas eſt ne adverſarii noſtri cum fundamento dicere poſſint, Socie-

cietatem fucum facere, & verba ſolum dixiſſe, dum in Congregatione ultima declaravit, Societatem non adſciviſſe ut propriam ſententiam benignam de uſu licito opinionis probabilis minus tutæ, & ipſi operanti minus probabilis ſeu minus veriſimilis, & declarationem eſſe factis contrariam, dum nullus effectus illius Decreti poſt tot annos viſus eſt, ſed adhuc poſt Decretum pergunt Jeſuitæ eo modo, quo antea, illi inſiſtere doctrinæ, & infenſos ſe oſtendere illis, qui illam impugnant; id autem faciunt ex falſa perſuaſione, quod omnes Doctores Societatis, ante Alexandrum VII. excepto Paul. Comitolo & P. Andrea Blanchi illam propugnarint in ſenſu illo primo, in quo ſequentes moderni cum Caramuele, & in quo ſolum illam impugnat P. Generalis; cum tamen efficaciter probet, nec P.Suarez, nec alios multos auctores claſſicos hujus ſæculi, intra & extra Societatem, locutos fuiſſe de opinione minus tuta, quæ ipſi operanti appareat in actu primo minus veriſimilis quam oppoſita, ſeu magis falſa quam vera, ſperetque paucos fore in Societate, qui interrogati, an liceat homines facere actionem, de qua diſputatur, an ſit peccatum mortale, ſi judicatur plures & graviores auctores affirmare eſſe peccatum mortale, & ipſorum fundamenta ipſi videantur urgentiora quam fundamenta ſententiæ oppoſitæ: paucos, inquam, fore qui ſic interrogati reſpondeant, licere.

Ob hunc finem præcipue judicavit Præpoſitus Generalis ſuæ obligationis eſſe Religionem ſibi commiſſam liberare a tam odioſa nota, typis mandando tractatum ſuccinctum, in quo illam doctrinam in eo ſecundo ſenſu acceptam ex profeſſo impugnaret, & oſtenderet eam in eo ſenſu acceptam non eſſe communem inter Doctores claſſicos Societatis, licet non pauci illam in eo ſenſu ſecuti ſint.

Vix autem P. P. Aſſiſtentes cognoverunt Patrem Generalem diligenter ſub prælo habere tractatum in quo ex profeſſo impugnabat uſum licitum opinionis probabilis minus tutæ, niſi poſt diligentem veritatis inquiſitionem in actu primo illa appareat veriſimilior quam oppoſita, & idcirco ab ipſo judicetur vera & legi divinæ non contraria, cum in unum convenientes obtulerunt libellum ſupplicem P. Generali, cujus concluſio erat, petere ut librum ſuum ſupprimat, ſive ille nondum typis mandatus ſit, ſive totus, ſive ex parte ſit impreſſus.

Præpoſitus Generalis reſpondit illis impenſe gratias agendo pro inſigni zelo, quo ipſum admonebant, & pro ſumma vigilantia, qua Societatis bonum proſpiciebant: addidit vero quoad impreſſionem impediendam jam non eſſe tempus, quia illa abſque dubio tunc eſſet finita, quod erat certum; nam illi obtulerunt ſuum libellum quarta die Novemb. & ad finem Octob. finita fuerat. Hoc ſuppoſito reſpondit 1. Se libenter hoc tribuere judicio ſuorum P. P. ut liber non prodeat nomine ſuo, dummodo prodeat nomine alicujus Theologi Societatis ſaltem in genere. 2. quia intellexit illi ſpecialiter diſplicuiſſe diſſert. 2. cujus index ad ipſos tranſmiſſus fuit, expoſuit illis in Tractatu reperiſſe ſe errorem Typographi vel Amanuenſis, nam cum deberet ſic apponi: „ Diſſert. 2. continens graviſſimas rationes ob „ quas expediens fuit, ut Societas in ultima Congregatione generali declararet, „ non eſſe ſuam, nec ad ſe attinere ſententiam benignam de uſu licito opinionis minus probabilis & minus tutæ in „ concurſu probabilioris & tutioris; “ ſic eſt appoſitum: „ Continens rationes ob „ quas ultima Congregatio declaravit “.... quo ſignificatur illas rationes expenſas fuiſſe in Congregatione, quod erat manifeſte falſum. Cum (inquam) intellexiſſet hoc illis diſplicuiſſe, rem illis expoſuit, & teſtatus eſt irrepſiſſe errorem in eum titulum, & ideo cum primum accepit quaternionem impreſſum fuiſſe, juſſit ut inter errata primo loco poneretur, addiditque id evidenter omnibus conſtiturum ex Præfatione illius diſſertationis, in qua expreſſe notabat, rationes illas eſſe eas, quas ipſe ſuis ſuperioribus repræſentabat, ne permitterent illam doctrinam fieri propriam Societatis, ſicut ſcientiam mediam, ideoque illam Præfationem ſic abſolviſſe: „ Hic appendam rationes quibus ad hoc „ procurandum permotus ſum. „

Inſuper adjunxit ſe quidem ſecurum eſſe nihil in illis rationibus tangi quod poſſit merito offendere: ceterum ſi illis lectis & examinatis judicaretur oppoſitum, ſe paratum eſſe totam illam diſſertationem a reliquo opere libri extrahere, & loco illius aliam ſubſtituere, quæ foret de ma-

gno

Digitized by Google

gno honore Societatis, in qua ſcilicet probaretur quod quamvis Jeſuitæ ut plurimum ſecuti eſſent doctrinam communem in hoc ſæculo de uſu licito opinionis probabilis minus tutæ in occurſu probabilioris & tutioris, nullos tamen magis limitaſſe illud principium & intra certos cancellos coarctaſſe quam Jeſuitæ. Ad petitionem vero P. P. Aſſiſtentium reſpondit his formalibus verbis, quæ ipſis prælegit.... „ Quia
„ jam publicum eſt me inter varia typis
„ mandare Tractatum de recto uſu opi-
„ nionis probabilis, omnino neceſſarium
„ duxi ob rationes graviſſimas, quas habeo,
„ ut antequam agatur de libro publican-
„ do, vel non publicando, huc ſecreto af-
„ ferantur duo exemplaria vel tria, ut V.
„ V. R. R. & Secretarius Societatis cir-
„ cumſpiciant, an contineant doctrinam
„ quæ gloriæ Dei & honori Societatis poſ-
„ ſit incommodare, & tunc cum plena li-
„ bri cognitione mihi exponant rationes,
„ quæ ipſis occurrerint pro publicando vel
„ ſupprimendo libro; ut illis attente con-
„ ſideratis & expenſis ego determinem id
„ quod in Domino judicaverim fore de ma-
„ jori gloria Dei, & noſtræ Societatis ve-
„ ro honore, quem unice quæro. “

P. P. Aſſiſtentes non contenti hoc reſponſo, ſex diebus poſt oblatum primum libellum ſupplicem obtulerunt ſecundum, nempe die 10. Novembris, in quo ſuam ſententiam de libro diligenter impreſſo ſic expreſſerunt, ut dicerent, illic ubi natus eſt, ita ſupprimendus, ut nullum ejus exemplar afferatur Romam. Præpoſitus Generalis huic poſtulato acquieſcere non potuit. Quid enim amplius potuiſſent poſtulare, ſi lecto libro deprehendiſſent illum continere pravam doctrinam contra fidem & bonos mores? Eſſet enim hæc ſuppreſſio non ſolum contra honorem Generalis, ſed contra honorem Societatis, cui probroſum eſſet, quod ejus caput impreſſiſſet librum malæ doctrinæ, ita ut Religio ipſa compulſa ſit illum perpetuis tenebris damnare, quin permiſerit ullum exemplar comparere in mundo. Quis credat enim viros Religioſos & cordatos tam duram protuliſſe ſententiam contra librum ſui Præpoſiti Generalis, niſi propter doctrinam pravam? Quis credat illos eo ſolum nomine tam ſevere cenſuiſſe de illo, quod continet doctrinam paulo ſeveriorem, quam ſit illa, quam ſequuntur recentes Probabiliſtæ? Et tamen doctrina libri non alio titulo potuit diſplicere illis: nam ſi liber non diſplicuiſſet propter doctrinam, ſed ſolum propter aliqua incidentia, deberent ipſi ſollicitare, ut aliqua exemplaria veherentur Romam, & ſubjicerentur examini, ut ablatis accidentibus maneret ſalva doctrina; quod cum non fecerint, ſignum eſt diſplicere doctrinam eo titulo, quod illis videatur contraria communi ſententiæ noſtrorum doctorum: quod tamen verum non eſt.

Poſtquam P. P. Aſſiſtentes animadverterunt Patrem Generalem acquieviſſe ſuo conſilio, timentes ne obtineret a Pontifice ut libri examen committeretur alicui Congregationi particulari Cardinalium & Theologorum a ſua Sanctitate deſignandorum; & merito metuentes, quod ſi obtinuiſſet, liber eſſet publicandus ſalva tota doctrinæ ſubſtantia, correctis dumtaxat aliquibus accidentibus, quæ poſſunt in politica offendere; & audientes Patrem Generalem hoc ſecreto totis viribus intendere: inito de novo conſilio, nomine omnium unus ex illis allocutus eſt Pontificem, ut creditur: reliquit ei libellum ſupplicem ab omnibus ſubſcriptum, in quo repræſentabant turbandam eſſe Religionem, ſi liber ille publicaretur; magnaque ſcandala inde oritura in tota Societate, & omnibus viis conati ſunt præoccupare aures Pontificis, & perſuadere expedire bono Societatis, ut liber ille ſupprimatur.

Generalis eo contra poſtulat ut liber ſubjiciatur examini, & non damnetur ante præviſa merita ad inſtantiam P. P. Aſſiſtentium, & aliorum Jeſuitarum, qui librum non legerunt, obteſtatus ſe non aliud intendere quam gloriam Dei & honorem Societatis, & paratum eſſe corrigere ea, quæ Judices deſignandi judicaverint corrigenda, vel perpetuis tenebris damnare, ſi poſt examen ita judicaverint; & ſuæ Sanctitati obtulit ſcripta aliqua, quibus probatur ſuppreſſionem hujus libri eſſe contra honorem Societatis & ipſius Sedis Apoſtolicæ, & quibus oſtenditur nullam turbationem ſecuturam eſſe in Societate ex publicatione hujus libri, & doctrinam ejus non eſſe contra auctores omnes Societatis claſſicos, ſed contra aliquos dumtaxat, & eſſe conformem doctrinæ Patrum, & omnium Theologorum antiquorum, & communi recentium Theologorum, qui poſt Alexandrum VII. extra Societatem de hac con-

tro-

troverſia ſcripſerunt, & eſſe doctrinam conformem juri canonico, & quam pro reformanda Theologia morali deſideraverant Alexander VII. & Innocentius XI.

Quia vero P. P. Aſſiſtentes & alii Jeſuitæ Romæ nihil magis timent quam quod liber juſſu Pontificis ſubjiciatur examini alicujus Congregationis particularis Cardinalium & Theologorum, ad hoc impediendum & rem involvendam ſuggeſſerunt Pontifici, ut res differrentur uſque ad Congregationem Procuratorum; cum tamen certum ſit Congregationem Procuratorum non poſſe ſuffragium ferre an ſit.... Pontifex novum condens jus hanc poteſtatem illi tribuat, nec Pontificem congrue poſſe judicium libri committere Congregationi illi, ad quam ex Provinciis non ſolent mitti communiter Profeſſores Theologi exercitati in ſcholis, prout erat opus ad ferendum judicium de libro, neque hoc examen poſſe illis committi ſine magnis expenſis Provinciarum, quia ad examinandum librum deberent ſpatium aliquod temporis hic manere. Quod ſi ex illis Procuratoribus velit Pontifex, ex ſingulis Aſſiſtentibus eligere unum, & judicio quinque virorum committere judicium libri, id facilius poterit nunc facere Romæ.

DOCUMENTUM SECUNDUM.

DISSERTATIO

Continens graviſſimas rationes ob quas expediens fuit, ut Societas Jeſu anno 1687. in ultima Congregatione Generali declararet, ſuum non eſſe, nec ad ſe attinere Probabiliſmum, ſeu ſententiam benignam de uſu licito opinionis minus probabilis & minus tutæ in concurſu probabilioris, & tutioris. (1)

§. I.

INTRODUCTIO DISSERTATIONIS.

I. HAS rationes ego repræſentaveram ſæpe Superioribus, ut perſuaderem expedire Societati, ut ex illa prodiret Auctor, qui ex profeſſo & pro dignitate rem tractans oppoſitam doctrinam ſtatueret, & Probabiliſmum impugnaret palam, & cum approbatione Religionis, ut hoc facto comprobaretur Probabiliſmum non eſſe doctrinam propriam Societatis, nec pro tali agnoſci ab ipſa. Et præſertim repræſentaveram Reverendiſſimo P. Joanni Paulo Olivæ Præpoſito Generali, ut mihi poteſtatem faceret edendi in lucem, & dicandi ſuæ Paternitati Tomum de recto uſu opinionum probabilium, in quo Probabiliſmum late impugnabam; ut ſic evidenter Mundus cognoſceret Societatem non defendere pro Religione ſententiam Probabiliſtarum, ſicut defendit Scientiam Mediam, & indifferentiam Auxiliorum, quandoquidem Tomus dicatus Præpoſito Generali illam doctrinam oppugnabat, & oppoſitam ſtatuebat. Sed cum hæc mea prætenſio ſucceſſum non habuiſſet, illis rationibus uſum ſum poſtea, ut permoverem Præpoſitum Generalem ad ſcribendam Epiſtolam Circularem in Provincias

(1) *Author hujus Diſſertationis, quamvis non appelletur ſuo nomine, eſt procul dubio Reverendiſſimus P. Thyrſus Gonzalez, & probabiliter eam elucubravit criminationum cauſa, quas ei appingebant aliqui, nimirum,* exercuiſſe *in Societate* tyrannidem quamdam, præſtando, ut Congregatio Generalis XIII. poſt manifeſtam, *ut ajebant*, coactionem ederet Decretum, in quo declaratur, Societatem non fuiſſe amplexam Probabiliſmum *&c. quemadmodum ipſe mentionem facit in ſupplici libello Clementi XI. porrecto.*

Digitized by Google

cias, in qua declararet Societatem non agnoſcere pro ſua ſententiam Probabiliſtarum, nec velle ſuos profeſſores ad illam defendendam adſtringere, ſed liberum illis relinquere illam vel oppoſitam in ſcholis tradere, & in libris impreſſis vulgare; ita ut in hac Controverſia de uſu licito opinionum probabilium unuſquiſque eam partem ſeligeret, quæ poſt diligens ſtudium magis fundata magiſque veriſimilis ipſi appareret. Sed R. P. Generalis judicavit tali declaratione opus non eſſe, quandoquidem nulla erat in Societate lex, nullum decretum, ex quo cum probabilitate poſſet argui, doctrinam de uſu licito opinionis minus probabilis, & minus tutæ in concurſu probabilioris & tutioris, eſſe doctrinam hujus Religionis. Immo cum P. Michael Elizalde animadvertens quam communis eſſet hæc doctrina in Societate, ac timens ne Societas illam ſuſciperet defendendam communibus ſtudiis, ſicut olim ſuſceperat defendendam doctrinam de indifferentia Auxiliorum & Scientiam Mediam, ſcripſiſſet ad R. P. Generalem de hoc puncto; S. Paternitas die 24. Decembris an. 1666. illi reſpondit hæc verba: *Quod ſubvereri videtur Veſtra Reverentia, quodque operoſe diſſuadere videtur, eſt ne Societas aliquam circa Probabiles ſententiam tamquam propriam ſibi adſciſcat, prout aſcivit in materia de Auxiliis; ſed nullum hujus novitatis video fundamentum, nec patiar favente Deo, tale quid in Societatem ſub me invehi.* Similia ad me reſcripſit Salmanticam, cum de hoc ipſo ad ipſum litteras dediſſem, rogans, ne permitteret ut doctrina illa propria fieret in Societate, ut Scientia Media.

II. Ceterum, cum ego viderem neminem Noſtrorum audere illam doctrinam oppugnare palam, vel contra illam ſcribere, timebam illam futuram poſt aliquot annos in Societate ut Scientiam Mediam, niſi remedium adhiberetur. Nullum autem promptius occurrebat, quam ſi e Societate prodirent libri palam & aperta fronte eam doctrinam impugnantes, vel Præpoſitus Generalis ſignificaret Provinciis ſibi gratum fore, ut iis qui cenſerent doctrinam Probabiliſtarum eſſe falſam, ſuam mentem in dictatis, & in libris impreſſis aperirent, & in quibus innuerent eſſe de re Societatis, ut in noſtris Scholis utraque ſententia legeretur, ut ita diſputationum conflictu veritas erueretur. Ne autem viderer tanto conatu non tam honorem Religionis, quam propriarum lucubrationum gloriam quærere; ſæpe palam proteſtatus ſum, me paratum eſſe omnia mea de hac controverſia ſcripta perpetuis damnare tenebris, dummodo in noſtris Scholis cum beneplacito Superiorum doctrina Antiprobabiliſtarum legeretur, vel imprimerentur ab aliis libri, in quibus hæc doctrina ex profeſſo ſtatueretur, & Probabiliſmus impugnaretur. Cum autem veni ad Congregationem Generalem tanquam Elector pro Provincia Caſtellana, attuli mecum varia opuſcula, quæ de hoc puncto confeceram ad perſuadendum Superioribus expedire Societati, ut in ejus Scholis utraque ſententia indifferenter legeretur, ut vel a Congregatione, vel a novo Generali obtinerem declarationem de hoc puncto. Attuli etiam Tomum meum de probabilibus confectum a me, cum verſabar in Miſſionibus tribus annis, tempore æſtivo, quando neceſſarium erat ab exercitio Miſſionum vacare, nempe ab anno 1670. ad 1673. Et quem locupletaveram poſtea Salmanticæ, poſtquam an. 1676. juſſus ſum redire ad Scholas, præſertim poſtquam vidi novum tomum P. Antonii Terilli *de Regula morum*: attuli autem eo fine, ut a novo Generali obtinerem facultatem illum edendi.

III. Ubi autem electus fui in Generalem, judicavi mei eſſe muneris Religionem mihi commiſſam ab illo dedecore, & ignominia liberare, quam illi afferebat falſa illa perſuaſio, quod aſſumpſiſſet in ſuam, doctrinam Probabiliſtarum; & ideo totis viribus procuravi, ut Congregatio ederet Decretum, quo declararet illam doctrinam non eſſe ſuam; quia hoc Decretum factum a Congregatione longe majus momentum habiturum erat ad hoc perſuadendum, quam epiſtola ſcribenda a Generali. Hic autem appendam rationes quibus ad hoc procurandum permotus ſum.

§. II.

PRIMA RATIO.

Quia doctrina Probabiliſtarum indiſcriminatim, & ſine limitatione aſſerentium licitum eſſe cuilibet ſequi ſen-

Digitized by Google

ſententiam minus tutam in occurſu tutioris, & ſibi probabilioris, expoſita eſt perniciosis laxitatibus, quas indecorum & abſurdum foret Religioni cum fundamento tribui; tribuerentur autem cum fundamento, niſi liberum eſſet Societatis Profeſſoribus doctrinam oppoſitam docere, & typis edere.

IV. Probabiliſtæ recentes ut principium inconcuſſum habent, hoc ipſo quod aliqua opinio minus tuta ſeu libertati favens, & adfirmans rem aliquam eſſe licitam, ſit certo probabilis, abſolute, & ſimpliciter tute poſſe quemlibet illam in praxi ſequi; quamquam oppoſita tutior ſtans pro præcepto & adfirmans rem illam eſſe illicitam, appareat in actu primo operanti veriſimilior tum ratione, tum auctoritate. Si autem quæras ab eis, quænam ſit opinio certo probabilis, id explicat P. Antonius Terillus Probabiliſtarum omnium exactiſſimus in *Tom. de Probabilitate*, ſeu *de conſcientia probabili quæſt.* 5. *aſſert.* 12. ubi hanc regulam tradit. „ Quod a „ pluribus auctoribus doctis ac piis poſt „ diligentem totius quæſtionis enodatio- „ nem judicatur probabile, eo ipſo eſt „ certo probabile, modo abſque paſſione, „ &, ſicut decet viros probos & doctos, „ ſententiam tulerint; & a fortiori eſt „ certo probabile illud quod a viris do- „ ctis & probis poſt diligentem quæſtionis „ diſcuſſionem innocenter, & abſque paſ- „ ſione defenditur ut verum. “ Unde hoc ipſo quod aliqui Auctores graves docti & probi poſt diligentem quæſtionis diſcuſſionem adfirment aliquam rem eſſe licitam, eorum opinio eſt abſolute certo probabilis, dum contra illam non profertur aliqua demonſtratio evidens, vel definitio infallibilis, quæ ejus falſitatem convincat. Dicunt ergo Probabiliſtæ moderni tuto poſſe quemlibet hanc ſententiam ſequi ſuæ libertati faventem, licet videat pro ſententia contraria eſſe plures & graviores auctores, & eorum fundamenta appareant ipſi veroſimiliora.

V. Quamvis autem P. Eſparza maturo judicio prævidens hanc doctrinam eſſe abſurdam, ſi non adhibeatur ei limitatio, aſſerat in ſua *appendice art.* 156. Auctores hujus ſæculi, adfirmantes licitum eſſe ſequi opinionem minus tutam in concurſu tutioris & probabilioris, loqui, quando exceſſus probabilitatis in parte tutiore ſupra minus tutam manifeſtus non eſt, & evidens ipſi operanti; ſed eſt dubius, quia eſt exiguus, ac proinde quando opiniones ſunt fere æquales in æſtimatione ipſius operantis: quamvis inquam P. Eſparza eas ſic exponat, nihilominus hæc limitatio a nullo eorum adhibetur, ſed omnes indiſcriminatim, & ſine limitatione adfirmant, licitum eſſe ſequi opinionem minus tutam relicta probabiliori & tutiori, & aliqui expreſſe adfirmant licitum eſſe ſequi opinionem minus tutam, quamvis oppoſita appareat operanti probabilior certo & evidenter.

VI. Idque ex eorum doctrina neceſſario ſequitur. Si enim hoc ipſo quod opinio aliqua favens libertati defendatur ut vera a viris probis & ſapientibus poſt diligentem quæſtionis diſcuſſionem, in ſe ſit abſolute probabilis, manet probabilis reſpectu operantis, quamvis ei repræſentetur ſimpliciter & abſolute ut veriſimilis minus, proindeque poteſt illam in praxim deducere; etiam manebit probabilis reſpectu operantis, quamvis ei repræſentetur ut evidenter minus veriſimilis, poteritque licite ea uti, dum non affertur argumentum evidens, quo demonſtretur eſſe falſam. Nam opinio minus tuta, quæ ſecundum ſe eſt probabilis, non redditur improbabilis per majorem probabilitatem, ſed per certitudinem opinionis oppoſitæ: quia dum non producitur pro parte tutiori evidens demonſtratio, vel auctoritas infallibilis, ſemper pars minus tuta manet abſolute probabilis. Hinc intulit Caramuel non certitudinem legis ſufficere, ut quis non ſit obligatus legem obſervare, quamvis opinio longe probabilior affirmet talem legem dari; inde quia, dum adeſt opinio probabilis affirmans non dari legem, non eſt certum dari ejuſmodi legem; intulit non obligare legem, dum datur opinio probabilis de non exiſtentia legis. Id patet ex ejus dictis: nam in ſua Theologia fundamentali edit. Lugd. num. 451. expreſſe adfirmat omnem omnino actum humanum licitum eſſe, qui non evidenter impugnatur, & *num.* 453. qui rem aſſerit eſſe illicitam, ad multa teneri. Primo enim, inquit, debet oſtendere rationes, quæ malitiam probant, eſſe demonſtrativas, atque adeo tales, quibus probabilis reſponſio dari nequit. Secundo debet etiam oſtendere rationes, quæ bonitatem ſuadent ſecun-

Digitized by Google

cundum moralem prudentiam conſideratas nequidem probabiles eſſe, & id demonſtrabit ſi omnibus ad unum dederit ſolutionem, quæ evidenter ſit vera. Tertio debet evidenter partem illam, quæ bonitatem adſtruxit, non habere ſufficientes auctores, ut dicatur probabilis.

VII. Eodem fundamento ductus alius Probabiliſta expreſſe adfirmavit, univerſaliter & ſemper licitum eſſe ſequi quamcumque opinionem etiam minus probabilem in quamcumque opinionem etiam minus probabilem in quacumque materia abſque limitatione, ita ut quando eſt illicitum aliquid fieri, ideo illicitum ſit, quia non adeſt opinio probabilis, quod ſit licitum.

VIII. Denique ex eodem principio intulit Auctor tertiæ propoſitionis damnatæ ab Innocentio XI. licitum eſſe ſequi quamcumque opinionem probabilem, etiamſi ſit minus tuta minuſque probabilis, imo etiam ſi ſit exigue probabilis comparative ad opinionem tutiorem; quia dum manet abſolute intra genus opinionis probabilis, quamvis in illo genere obtineat infimum gradum; qui confiſus probabilitate talis opinionis aliquid agit, prudenter agit, ac proinde non peccat. Quis autem non videat has eſſe laxitates pernicioſas, quæ viam Cæli, quam Chriſtus arctam eſſe dixit, ita complanant, ut per illam poſſint homines incedere cum ſuis immoderatis lucris, cupiditatibus, & ambitionibus? Quis non videat juxta hanc Probabiliſtarum doctrinam nihil poſſe reprobari ut illicitum, de quo ſit controverſia inter Auctores ſit licitum nec ne? Cum ergo omnia conſectaria ſequantur ex doctrina Probabiliſtarum indiſcriminatim ſumpta de uſu licito opinionis minus probabilis & minus tutæ, non potuit Societas illam ut propriam adſciſcere, ac proinde ſapientiſſime fecit, dum declaravit illam doctrinam non eſſe ſuam, ſed in hac Religione liberum omnino eſſe in hac Controverſia utramlibet partem defendere.

§. III.

SECUNDA RATIO.

QUia doctrina Antiprobabiliſtarum utiliſſima eſt ad præcidendam pernicioſam licentiam laxandi conſcientias per abuſum opinionum probabilium: oppoſita autem Probabiliſtarum doctrina cum ea extenſione, cui ipſa obnoxia eſt, eam licentiam fovet & munit.

IX. Quam pernicioſa ſit bonis moribus quorumdam Theologorum laxitas ſatis declarant graviſſima Alexandri VII. verba in proemio ſuæ Bullæ, in qua 22. Septembris an. 1665. viginti octo propoſitiones tamquam ſcandaloſas, & in praxi pernicioſas damnavit, quibus 23. Martii an. 1666. addidit damnationem aliarum 23. ait enim Summus Pontifex audiſſe ſe non ſine magno animi ſui dolore, quamplures opiniones chriſtianæ diſciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes partim antiquatas iterum reſumi, partim noviter prodire, & ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excreſcere, per quam in rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit alienus omnino ab Evangelica ſimplicitate, & SS. PP. doctrina, &c. quem ſi pro recta regula fideles ſequerentur, ingens eruptura eſſet Chriſtianæ vitæ corruptela. Hactenus Pontifex, qui propoſitiones illas tradidit examinandas & diſcutiendas Magiſtris & Doctoribus Theologis, & audito ipſorum judicio eas damnavit.

Satis etiam hoc oſtendit ſolicitudo paſtoralis, qua S. D. N. Innocentius XI. cæptum ab Alexandro opus proſequens an. 1679. 2. Martii 65. alias propoſitiones eadem cenſura notavit & prohibuit.

X. Verum cum ſumme ſit difficile in examen vocare opiniones omnes laxas, & reipſa pernicioſas; nec Summus Pontifex poſſit ſemper habere evaginatum gladium ad præcidendas peſtilentes quarumcumque opinionum ramos, cum primum pullulare cæperint, oportet maxime aliud adhibere remedium, & gladium ad radicem mali applicare ſtabiliendo aliquod principium, quo opiniones laxæ cohibeantur, ne noceant. Hoc autem remedium erit ſtatuere doctrinam contrariam Antipro-

babiliſtarum moderate acceptam, & quatenus affirmat neceſſarium eſſe ad licitum uſum opinionis minus tutæ in concurſu tutioris, ut minus tuta appareat operanti probabilior quam oppoſita, vel ſaltem æque probabilis (1). Nam ſi ſemel hæc doctrina Antiprobabiliſtarum prævaleat, parum nocere poterunt opiniones laxæ, quæ quotidie prodeunt; illæ enim non nocent per ſe ſolas, ſed ex conſortio & auxilio doctrinæ Probabiliſtarum aſſerentium, licitum eſſe ſequi quamcumque opinionem abſolute probabilem, quamvis oppoſita ſit tutior, & appareat operanti probabilior; hac enim doctrina tamquam valido ſcuto tecta opinio laxa prævalet, & ſectatores invenit.

XI. Rem explico & probo: quia licet Magiſter aliquis vel Auctor novitatum amator, & ad laxandas conſcientias pronus, novam aliquam opinionem nimium libertati indulgentem & conſcientias laxantem cudat, parum nocumenti afferet Eccleſiæ Dei, ſi ſemel vel Decreto Pontificis, vel communi ſtudio & conſenſu Theologorum infigatur fidelium cordibus principium nuper propoſitum, nimirum licitum non eſſe ſequi opinionem faventem libertati, cui oppoſita apparet evidenter probabilior cum exceſſu ſenſibili & notorio tum auctoritatis tum rationis. Unde tamquam firmum principium ſtabilire, quod ad ſequendas tuto in praxi benignas opiniones, ut minimum opus ſit, ut ſint paris aut fere paris probabilitatis cum oppoſitis, eſt omnino alas præcidere opinionibus laxis, ne invaleſcant, & bonos mores corrumpant; illæ enim nequeunt ſe ſolis multum nocere, niſi robur accipiant ab illo principio reflexo, quod ubi aliqua opinio praxim concernens abſolute probabilis eſt, ſecure poſſit quis ſuam conſcientiam illi concredere, licet longe majorem probabilitatem agnoſcat in opinione contraria tutiore ſtante pro præcepto contra libertatem. Si autem e contrario invaleſcat doctrina Caramuelis, & quorumdam aliorum Probabiliſtarum laxiorum, non erit modus malum cohibendi; nam ſi ſemel fideles ut veram imbibant illam doctrinam, quod licet ſequi opinionem minus tutam, quamvis tutior ſit & appareat operanti evidenter probabilior, nemo eos ab ea ſectanda poterit deterrere, niſi in medium producat evidentem demonſtrationem, qua omnibus manifeſtum faciat illam opinionem non eſſe probabilem: quas tamen demonſtrationes in rebus moralibus invenire eſt ſumme difficile, ac proinde moraliter impoſſibile. Si enim Magiſter aliquis malum imminens ab illa opinione prohibiturus in certamen prodeat, eamque opinionem improbabilem appellet, ſuperabitur ab eis, qui laxitates amant: dicent enim: Quid refert quod Magiſter *A.* hanc opinionem improbabilem appellet; eſt ne Concilium aut Summus Pontifex, ut reddat improbabilem opinionem, quam improbabilem eſſe pronuntiat? Meliori pollet ingenio Magiſter *B.*, qui illam opinionem invenit: ergo potior eſt ad reddendam illam opinionem probabilem ipſius impugnator. Sæpe Vaſquez frivola ac levia appellat fundamenta Suaris, Cajetani, & non propterea eorum opiniones reddet improbabiles. Quare quouſque Summus Pontifex eam opinionem damnet ut improbabilem, vel manifeſta demonſtratio in medium prodeat, quæ omnibus evidens appareat, non poterit ea opinio laxa a ſede probabilitatis deturbari apud eos, qui laxitates amant. Nam aſſument definitionem opinionis probabilis traditam communiter a Probabiliſtis: juxta quos opinio probabilis illa cenſetur, quæ nititur fundamento alicujus momenti, ſeu fundamento gravi, & non habet aliquod convincens contra ſe, nimirum neque definitionem Eccleſiæ, neque evidentem demonſtrationem. Unde cum Eccleſia eam opinionem laxam non condemnat, cauſatur malum, & illa perniciem affert animabus. Sic opiniones damnatæ ab Alexandro VII. & modo

(1) *Credendum ſane non eſt, P. Gonzalez ſenſiſſe, licere ſequi minus tutam ſententiam in concurſu duarum æque, aut quaſi æque probabilium: cum ipſe potius docuerit oppoſitum in* Diſſert. 7. Fundament. *&c. Verum hic uſus eſt tali indulgentia, ut ſenſim ſine ſenſu ſterneret viam ad conſecutionem finis ſeu forſan proſpiciens illis in circumſtantiis, difficile nimis eſſe, aliquid amplius obtinere.*

modo damnatæ ab Innocentio XI. ante Bullam editam ſectatores invenere, & uſque modo haberent, niſi vigilantia Summorum Pontificum eas proſcripſiſſet: ergo ad impediendum damnum imminens ab opinionibus laxis oportet, ut Societas conetur infigere fidelium mentibus principium a nobis propoſitum, quod ſcilicet ad ſecuritatem conſcientiæ non ſufficiat aliquam opinionem ex minus tutis & faventibus libertati eſſe abſolute probabilem, ſed ſaltem ulterius requiratur, ut comparata cum opinione tutiore non excedatur ab illa in probabilitate ſenſibiliter & manifeſte, ſed ut minimum ſit fere æqualis in probabilitate.

XII. Quod confirmo. Nam ſi Summi Pontifices merito damnarunt ut ſcandaloſas & improbabiles ultra centum opiniones directas, quia illæ perniciem afferebant animabus; ergo a fortiori damnari meretur opinio reflexa, quæ omnibus laxis robur & alas præbet ad nocendum. Talis autem eſt opinio reflexa Caramuelis, Paſqualigi, & aliorum quorumdam Probabiliſtarum, quæ contradictorie opponitur principio hucuſque inſinuato. Eo enim ipſo quod aliqua opinio ſit abſolute probabilis, dicunt iſti Probabiliſtæ poſſe in praxim deduci ab eo, qui non deprehenderit evidenter eam eſſe falſam, quamvis videat & experiatur opinionem illam evidenter minus probabilem opinione tutiore. Quod confirmo. Opiniones directæ, quamvis laxæ ſint, ſolum nocent in materia particulari: at reflexa Probabiliſtarum aſſerens licitum eſſe ſequi opinionem minus tutam, licet opinio tutior appareat evidenter probabilior, nocet in omni materia, quia robur tribuit omnibus opinionibus laxis. Siquidem ideo ſine ſcrupulo opiniones laxæ deducuntur in praxim, quia reputatur ut vera opinio illa reflexa. Sic enim arguunt. Hæc opinio favens libertati abſolute probabilis eſt, licet comparata cum opinione tutiori appareat evidenter minus probabilis: at licet ſequi quamcumque opinionem probabilem, etiam relicta tutiori & evidenter probabiliori: Ergo mihi licet hic & nunc ſequi hanc opinionem faventem meæ libertati, quamvis videam eſſe evidenter minus probabilem; ergo illa opinio reflexa jure poteſt prohiberi; ſiquidem perniciosior eſt reliquis, & alas præſtat & robur ad nocendum.

§. IV.

RATIO TERTIA.

XIII. Neceſſarium omnino eſſe ad roborandam prædicationem, infigere Fidelium mentibus hoc principium, ſcilicet, ad licite ſequendam opinionem minus tutam ſeu faventem libertati contra præceptum, non ſufficere quod ſit abſolute probabilis, ſed omnino requiri ut ſit probabilior oppoſita, vel ſaltem æque probabilis; ſic ſuadetur. Neceſſe eſt, ut verbi Dei præcones attingant in pulpito doctrinas claſſicas, & communes, & earum præſidio invehantur in corruptelam morum, nec ſolum reprehendere debent, quæ mala ſunt ſecundum doctrinam SS. PP. & præcipuorum Theologorum, quamvis ab aliquibus laxatoribus ut licita venditentur. Quia non ſolum debemus arcere fideles a periculo certo damnationis, ſed etiam a periculo probabili. Sic clamare debemus contra uſuras, ſimonias, occaſiones proximas peccandi, & inculcare obligationem reſtituendi, peccata integre confitendi, & alia ſexcenta, de quibus dantur opiniones inter Theologos. Nihil autem perſuadebimus, niſi doctrina Probabiliſtarum oppoſita illi principio e ſcholis exterminetur, ipſum principium a Sede Apoſtolica firmiter ſtabiliatur, vel ſaltem a communi conſenſu Theologorum ſtatuatur. Conſcendat V. G. D. Thomas pulpitum, inde magno auctoritatum pondere ac rationum probet contractum aliquem eſſe uſurarium, nihil obtinebit, ſi vigeat doctrina Probabiliſtarum contrario principio præfixo; quia ſtatim Probabiliſta laxus prodibit, qui ſic infringat prædicationem, & omnino caſſam & irritam reddet, quæ tantus Doctor inquiet ut mala & prohibita, rejecit, adeo illicita non fecit, quia nec eſt de fide, quod talis contractus ſit illicitus, nec rationes, quibus id probavit, damnationes ſunt, & quamvis valde probabilem reddat illam doctrinam & multo probabiliorem oppoſita; datur nihilominus opinio in contrarium, licet inferioris probabilitatis. Atqui ſecundum ſententiam ſatis communem inter ſcriptores hujus ſæculi poſt Caramuelem, licet ſequi opinionem minus probabilem, & minus tutam in concurſu tutioris, & manifeſte probabilioris. Ergo adhuc licet ſequi

ſequi opinionem, quam tantus Doctor e pulpito ut falſam inſectatus eſt. Niſi ergo Sedes Apoſtolica tamquam firmum principium ſtabiliat, licitum non eſſe ſequi opinionem minus tutam, quando opinio tutior eſt ſenſibiliter probabilior, vel Theologi in hoc aſſerendo conveniant, inermis remanebit prædicatio: quia facile redderetur irrita ex doctrina Probabiliſtarum contraria illi principio. Expedit ergo ut Societas hoc ipſum procuret, & ſuis Profeſſoribus injungat.

§. V.

QUARTA RATIO.

Quia eſt evidenter probabile ſententiam Probabiliſtarum aſſerentium licitum eſſe ſequi ſententiam minus probabilem & minus tutam in concurſu probabilioris & tutioris, eſſe occaſionem innumerabilium peccatorum, & abſurdiſſimum foret Societatem Jeſu pro religione talem doctrinam defendere. Defenderet autem illam pro religione, ſi non permitteret oppoſitam Antiprobabiliſtarum doctrinam in noſtris ſcholis dictari, & in libris impreſſis vulgari.

XIV. Rationes probantes peccare eum, qui ſequitur opinionem faventem libertati contra præceptum, quando habet majus fundamentum auctoritatis & rationis ad judicandum eſſe falſam, quam ad judicandum eſſe veram, & imputari ipſi malitiam actionis, quam exercet, ſi contingat eſſe falſam opinionem minus tutam quam ſequitur, mihi videntur convincentes. Quia qui facit rem intrinſece & objective malam, atque prohibitam lege naturali, peccat, niſi ipſum excuſet ignorantia invincibilis. Qui autem facit hujuſmodi rem in circumſtantiis, in quibus poteſt potentia proxime antecedente judicare rem illam eſſe malam, eo quod hæc pars auctoritate & ratione proponatur ipſi ut veriſimilior, non habet ignorantiam invincibilem malitiæ, ſed ignorantiam omnino voluntariam; ignorat enim, quia vult ignorare; non judicat eſſe malam, quia non vult judicare; unde quamvis mille reflexiones faciat, & vi illarum formet dictamen reflexum, quod ſibi liceat operari, hoc dictamen continet conſcientiam erroneam culpabilem & voluntariam, ac proinde inſufficientem ad excuſandum a culpa. Rationem hanc late infra ponendam *Diſſer.* 5. non opus eſt hic amplius urgere: ſatis enim ibi oſtendemus, non poſſe per ullam reflexionem excuſari a culpa eum, qui in talibus circumſtantiis facit rem objective malam & prohibitam.

XV. Quamvis autem hæc ratio, quæ convincit, non convincat alios; ſpero tamen fore ut omnibus appareat manifeſte probabilis. Hoc autem ſufficit, ne Societas poſſit pro religione illam doctrinam defendere: quia ſic foret occaſio multorum peccatorum. Mercator namque deſiderans celebrare contractum, a quo ſperat lucrum, ſi videat dari Auctores graves affirmantes illum contractum non eſſe illicitum, quamvis videat Auctores & graves numero & auctoritate majores adfirmare oppoſitum, & ipſorum fundamentum ipſi ſit ſimpliciter majoris ponderis; poterit facere hunc diſcurſum reflexum. Quamvis auctoritate & ratione probabilius ſit, hunc contractum eſſe ſecundum ſe malum & prohibitum, nihilominus eſt abſolute probabile, eſſe ſecundum ſe licitum. At Religio Societatis tam docta & ſancta pro religione docet, quod liceat ſequi opinionem minus tutam, ſi in ſe ſit abſolute probabilis, quamvis oppoſita tutior ſit aperte probabilior; ergo mihi hic & nunc licet hanc opinionem faventem libertati ſequi, & exercere hunc contractum, ex quo lucrum ſine offenſione Dei ſpero.

XVI. Non ergo eſt dubium, quod ſi Societas pro religione defenderet illam Probabiliſtarum doctrinam, eſſet cauſa & occaſio, ut multi moti ipſius auctoritate amplecterentur opiniones minus tutas, ſibique minus probabiles: & tamen eſt manifeſte probabile, quod ejus auctoritas non ſufficeret ad excuſandum a peccato eos, qui ſectarentur opiniones minus tutas, ſibique minus probabiles, relictis tutioribus, & ſibi probabilioribus. Quis autem non videat, quod hoc foret magna macula Societatis ſibi adſciſcere ut propriam ſententiam Probabiliſtarum. Sapientiſſime ergo fecit, dum in ultima Congregatione generali declaravit, ſe non agnoſcere illam doctrinam pro ſua, ac proinde liberum omnibus eſſe doctrinam contrariam publice tradere, & typis edere, ſi re diligenter examinata agnoſcerent illam melioribus

bus

Digitized by Google

bus niti fundamentis, & abſolute veram judicarent.

§. VI.

QUINTA RATIO.

QUia cum ad Summum Eccleſiæ Paſtorem ſpectet avertere oves ſibi creditas non ſolum a periculo certo, ſed etiam a periculo probabili peccandi, certe ſi certo probabile eſt, ut manet oſtenſum, Probabiliſtarum ſententiam occaſionem præbere innumeris Dei offenſis, contingere poteſt ut illam aliquando prohibeat. Non expedit autem Societati pro religione tueri doctrinam, quæ huic periculo expoſita eſt.

XVII. Quanta mala venerint in Eccleſiam ex quorumdam Probabiliſtarum placitis, exiſtimantium licitum quidquid aliqua veriſimili ratione probatur licitum, quamvis validiora fundamenta e contra probent eſſe illicitum. Non minus eleganter, quam vere dipingit Vincentius Contenſon. in *Diſſert. de Novello probabilitatis commento pag. mihi* 755. „ Serpit, inquit, „ hodie Probabiliſmi purida rabes per omne „ corpus Eccleſiæ, & quo laxius, eo deſperatius, eoque periculoſius, quo intenſius: ex Probabiliſmo videmus profluere omnia flagitia, omnis eccleſiaſticæ diſciplinæ everſionem, omnis regularis obſervantiæ exterminium. Ex eo „ omnes amici & inimici, neceſſarii & „ adverſarii, quæ ſua ſunt quærunt: ex „ eo Miniſtri Chriſti non Deo ſed mundo ſerviunt, honoratique incedunt de „ bonis Domini, qui Domino honorem „ non deferunt. Ex eo is, quem quotidie videmus meretricius nitor, hiſtrionicus habitus, ſplendidus apparatus. Ex „ eo aurum in frænis, in ſellis, in calcaribus, & plus calcaria, quam altaria „ fulgent, ex eo ſplendidæ menſæ ex cibis & ſciphis: ex eo comeſſationes & „ ebrietates, cythara, lyra, & tibia, redundantia torcularia, & promptuaria „ plane eructantia ex hoc in illud. Ex „ eo uſurarum, Simoniarum pigmenta, „ & marſuſpia plena. “ Hæc ille.

XVIII. Quid frequentius in hoc ſæculo quam ſic diſcurrere: datur opinio probabilis, quod hoc ſit licitum: ergo licitum eſt: nec refert quod iſta opinio affirmans rem eſſe licitam, ſit minus probabilis, quam oppoſita illud negans; quamvis ſit minus probabilis, tamen probabilis abſolute eſt: quia illam tenent aliqui viri docti, qui ſine fundamento gravi non moverentur ad ita judicandum: contra ipſam vero huc uſque nec inventa eſt demonſtratio, nec definitio Eccleſiæ prodiit. Atqui opinio probabilis eſt illa, quæ nititur fundamento alicujus momenti, ſeu fundamento gravi, & non habet aliquid convincens contra ſe, ut definiunt graviſſimi Theologi hujus ſæculi; ergo opinio probabilis eſt: atqui licet ſequi opinionem probabilem verſantem circa praxim operandi, ut docent communiter Doctores hujus ſæculi: ergo mihi licet hanc opinionem ſequi. Origo ergo magnæ relaxationis eſt doctrina illa communis Probabiliſtarum, quod licet ſequi opinionem minus probabilem, & minus tutam in concurſu probabilioris & tutioris. Poteſt ergo contingere, ut aliquando damnetur a Sede Apoſtolica. Non ergo Societas illam doctrinam pro religione defendere debet.

§. VII.

SEXTA RATIO.

QUia cum Societas Jeſu ex inſtituto ſuo deſtinata ſit ad defendendam auctoritatem Romani Pontificis, non decet ipſam amplecti pro religione doctrinam contrariam ei, in quam Rom. Pontifex magis inclinat. Hic autem magis inclinat in ſententiam aſſerentem non eſſe licitum ſequi ſententiam minus probabilem, & minus tutam in concurſu probabilioris & tutioris.

XIX. Quod Sedes Apoſtolica magis inclinet in ſententiam Antiprobabiliſtarum, patet ex quatuor primis propoſitionibus damnatis ab Innocentio XI. nam in prima declaravit non eſſe licitum in Sacramentis conferendis ſequi ſententiam probabilem de valore Sacramenti, relicta probabiliore ac tutiore. In ſecunda declaravit non eſſe probabile, quod judex poſſit judicare ſecundum ſententiam minus probabilem. In tertia declaravit in opinionibus practicis verſantibus circa licitum, non eſſe licitum uti opinione exigue probabiliore & tutiore. Ex quo pronum eſt tranſire ad declarandum non eſſe licitum uti opi-

opinione ſimpliciter minus probabili & minus tuta, relicta probabiliori & tutiori. In quarta declaravit non excuſari ab infidelitate infidelem, qui non credit ductus opinione minus probabili. Patet 2. ex jure Canonico, in quo deciſiones ſemper fiunt juxta ſententias probabiliores & magis fundatas, quas ob majorem veriſimilitudinem Pontifices veras eſſe judicabant. Patet 3. ex multitudine propoſitionum, quas Alexander VII. & Innocentius XI. ut minimum tamquam ſcandaloſas, & in praxi pernicioſas confixerunt: nam inter centum & decem propoſitiones, quas damnarunt, nulla reperitur, quæ damnata ſit, quia nimis coarctabat conſcientias, ſed omnes prohibitæ ſunt, quia nimis relaxabant diſciplinam chriſtianam, & animabus perniciem inferebant, ut inquit Alexander VII. in proœmio ſuæ Bullæ.

XX. Inter omnes autem doctrinas diſciplinæ chriſtianæ relaxativas nulla eſt magis nociva, quam doctrina quorumdam Probabiliſtarum, qui nullam rationem habentes veritatis doctrinarum, & ſolum probabilitatem ſeu apparentiam veritatis attendentes, pro regula recta conſcientiæ aſſignant probabilitatem quamdam vagam, quæ ex ſe indifferens eſt ad falſitatem & veritatem, & non magis ad falſitatem quam ad veritatem declinat, etiam in æſtimatione ipſius operantis, immo quandoque minus: aſſerentes licitum eſſe cuicumque aſſumere pro regula ſuæ operationis quamcumque opinionem probabilem, adfirmantem aliquid eſſe licitum, quamvis cognoſcat eſſe minus probabilem, quam ſit opinio tutior. Ex hac enim doctrina & modo dirigendi conſcientias ſecuta eſt illa morum relaxatio, quam deplorat Alexander VII. in ſua Bulla dicens, *irrepſiſſe modum opinandi alienum omnino ab Evangelica ſimplicitate Sanctorumque Patrum doctrina, quem ſi pro recta regula fideles in praxi ſequerentur, ingens eruptura eſſet Chriſtianæ vitæ corruptela.* Ex illa enim doctrina effectum eſt, ut multi ſub ſpecie conſcientias relaxent, ſtatuentes pro regula morum quamcumque opinionem quomodolibet probabilem; quam aliqui Auctores defendunt ut probabilem, etiamſi oppoſita ſit tutior & manifeſte probabilior, & ſit communis; ſatiſque ex verbis Alexandri VII. conſtat, quanta ſit neceſſitas cohibendi opinionum probabilium abuſum, & reprimendi nimiam opinandi audaciam, quæ noſtro ſæculo ſerpit; niſi enim opinionum uſus limitetur, nulla pro morum reformatione prodibit conſtitutio Eccleſiæ, quam non intra paucos annos inermem reddituræ non ſint diſtinctiones, limitationes, quas aliqui Theologi adhibere audent ſuis probabilitatibus innixi contra doctorum claſſicorum ſenſum, ſub benignitatis & pietatis ſpecie diſciplinam chriſtianam relaxantes.

XXI. Locuples hujus rei teſtis eſt Conſtitutio de datis & promiſſis pro juſtitia, vel gratia apud Sedem Apoſtolicam obtinenda, olim a Bonifacio VIII. edita, & a Gregorio XIII. confirmata, quam tot interpretationibus & limitationibus aliqui interpretes aggreſſi ſunt, ut neceſſum judicaverit Alexander VII. eam denuo confirmare, ejus rigorem contra interpretes pluſquam centum clauſulis tum declarativis, tum extenſivis communiendo, ut conſtat ex Bulla Alexandri. *Cum ſubinde*, inquit, *varia vulgata fuerint prædictarum Bonifacii & Gregorii conſtitutionum interpretationes, quarum aliquæ ipſarum conſtitutionum rigorem ſine earum utilitatis diminutione, & boni publici detrimento contra eorumdem Prædeceſſorum mentem nimis relaxant &c.* (1)

XXII. Cohibebitur autem hic modus relaxandi conſcientias, quin in noſtris principiis declinemus in oppoſitum extremum nimii rigoris aliorum, qui dicunt nullam opinionem vere probabilem faventem libertati contra præceptum ſufficere ad ſecuritatem conſcientiæ, etiam ſi ſit clare probabilior oppoſita, & ab operante judicetur vera judicio determinato concepto ob majorem veriſimilitudinem illius partis, & quamvis illud judicium ſit verum: ſed requiritur judicium moraliter certum, quod ex ſe excludat omnem formidinem partis op-

(1) *Hæc verba intelligenda ſunt de certitudine morali primi, & ſecundi generis, prout a Philoſophis, & Theologis traditur; non vero de tertii, quod admittitur ab ipſomet P. Gonzalez.*

oppoſitæ, ac proinde quod ſit extra limites judicii mere probabilis: quod extremum nimii rigoris videtur damnatum ab Alexandro VIII. in 3. propoſitione ex 31. quas anno 1690. 2. Decembris confixit: damnata namque eſt hæc propoſitio, *non licet ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam*, cujus damnatione jam eſt certum ſufficere ad ſecuritatem conſcientiæ opinionem clare probabiliorem oppoſita, ſi ab operante judicetur vera poſt diligentem veritatis inquiſitionem ſine paſſione & præcipitatione ſuſceptam, & profectam ex deſiderio efficaci non offendendi Deum.

XXIII. Cohibebitur, inquam, modus ille laxandi conſcientias, quin declinemus ad oppoſitum extremum conſcientias nimium reſtringendi; ſi dicamus ad ſecuritatem conſcientiæ non ſatis eſſe, quod quis ſciat dari opinionem utcumque probabilem adfirmantem rem eſſe licitam, ſi ſciat dari opinionem magis vel ſaltem æque probabilem, quod ſit illicita; ac proinde probabilitatem illam vagam opinionis minus tutæ indifferentem ad veritatem vel falſitatem non poſſe aſſumi ut regulam recte operandi, immo nec poſſe aſſumi majorem probabilitatem opinionis benignæ pro regula, præſcidendo a veritate; ſed tranſeundum eſſe a probabilitate, ſeu veriſimilitudine vel apparentia veritatis ad ipſam veritatem, & directe ferendum judicium de veritate opinionis benignæ, priuſquam ſecundum illam quis operetur licite, ita ut non aliter illam liceat ſequi, quam ex perſuaſione prudenti & judicio determinato, quod ſit vera, nobiſque per illam applicetur prima regula voluntatis & legis divinæ: hanc autem perſuaſionem nemo poterit aſſequi, niſi poſt diligentem veritatis inquiſitionem appareat illi pars ea benigna ſenſibiliter & clare veriſimilior parte oppoſita; idque citra omnem paſſionem & culpam obcæcantem, & quin propter illam majorem veriſimilitudinem judicium directe ferat de veritate talis opinionis, judicando judicio abſoluto & determinato rem eſſe in ſe licitam; quo poſito, licet hoc judicium non ſit evidens aut moraliter certum & excludens omnem formidinem partis oppoſitæ, ſed ſit opinativum, poterit licite operari. Si autem ſemel ad licitum uſum opinionis minus tutæ requiratur, ut prius, poſt diligentem veritatis inquiſitionem citra paſſionem & culpam, udicetur vera, neque talis poſſet prudenter judicari, quin ſenſibiliter veriſimilior appareat ſententia oppoſita, præſciditur abuſus opinionum probabilium, & caventur duo extrema, unum nimiæ indulgentiæ, quod omnis opinio probabilis, etiamſi ſit manifeſte minus probabilis, ſufficiat ad ſecuritatem conſcieniæ: alterum nimii rigoris, quod nulla opinio probabilis, etiamſi ſit clare & manifeſte probabilior, & in genere probabilitatis teneat primum gradum, non ſufficiat; & tenetur via media, quod ſufficiat opinio certo in ſe probabilis, quando eſt manifeſte probabilior, vel ſaltem ut talis citra omnem culpam repræſentatur operanti, & ab ipſo judicatur vera.

§. VIII.

SEPTIMA RATIO.

QUia indecorum foret Societati, ſi doctrinam Probabiliſtarum in Sacra Prædicatorum familia fortuito natam cum Bartholomæo de Medina, & a tempore Alexandri VII. magna cum laude ab ipſa jam repudiatam ut prolem ſpuriam, & principiis D. Thomæ difformem, Societas adoptaret, & ſibi propriam faceret: hoc autem dedecus ſubiret, ſi non permitteret imprimi libros, qui eam doctrinam ex profeſſo impugnent, & oppoſitam ſtatuant.

XXIV. Quod doctrina Probabiliſtarum nata ſit in Sacra Prædicatorum familia per Bartholomæum de Medina; & quod in illa fuerit communis uſque ad tempora Alexandri VII. ſicut fuit communis in Societate & in omnibus aliis familiis religioſis, & præcipuis orbis Univerſitatibus, conſtat ex dictis ſupra Diſſ. 1. Quod autem Sacra illa familia ab eo tempore ſe validiſſime oppoſuerit Probabiliſmo, illumque acerrime impugnaverit, conſtat etiam; nam ut inquit Vincentius Contenſon *in Diſſer. de novello probabilitatis commento cap.* 2. in ſolidis Thomiſtarum vindiciis pag. mihi 729. „ vix obrepentes probabi„ litatis corruptelæ piorum concertationi„ bus & doloribus conſpicuæ factæ: vix „ tam nefanda conſectaria, quæ incuria & „ quaſi ſomno adoleverant, retecta ſunt: „ vix veritatis diſputatione, & zelo limi-

tata eſt, ſtatim plerique Thomiſtæ in Probabiliſmum, quaſi erecto vexillo, impavidi invaſerunt, juſſiſque illum voluminibus adorti ſunt. Permiſit quidem Divina Providentia paucos ex noſtris veluti dormientes in doctrinam morum ceſpitaſſe, & torrente Probabiliſtarum in præceps abreptos, eorum principiis quaſi certis & indubitatis uſos eſſe: ſed quamprimum peſtiferorum dogmatum latens venenum ipſis veluti expergefactis apparuit; vix in eorum oculos antea tantiſper gravatos labes morum incurrerunt, ſubito non ſolum hæc flagitia nemo defendit, ſed multorum in illa indignatio verbis, ſcriptiſque exarſit. Dumque probabilitatum novitas ebulliit, ſtatim viſa eſt frumentorum gravitas, & levitas palearum, & ſine magno molimine Thomiſtica ab area excuſſum eſt, quod nullo pondere intra aream Thomiſticam tenebatur. Hinc Religio noſtra innato zelo gliſcentem hanc luem pro virili reſcindere avens, unanimem Ordinis ſenſum in Comitiis generalibus e toto terrarum Orbe Romæ anno 1656. coactis hac ordinatione ſignificavit: " *Caveant ab omni pruritu exoticarum, minuſque cum littera S. Thomæ cohærentium opinionum; præcipue vero in moralibus, ubi preſſius de ſalute ac indemnitate animarum agitur. Porro in his ſtudeant omni cautela evitare opiniones laxas, novas, ac parum tutas; abſtineantque a paradoxis, ac monſtris recentium placitorum, ſeu problematum, quæ magis vanitati ac periculoſæ oſtentationi militant, quam veritati. Denique ſatagant non tantum fideliſſime in omnibus adhæreſcere ſanæ doctrinæ Angelici noſtri Præceptoris, quam ille ex limpidis ac incorruptis SS. Patrum fontibus integerrime in alveos ſuorum operum corrivavit; verum etiam aſſueſcere propriæ ipſius phraſi, & modo loquendi, ita quod quantum fieri poteſt, ne quidem ab ipſo verborum ejus ordine, ſtylo, & emphaſi longius diſcedatur: ut ſic evitentur &c.* Quia nimirum Sapientiſſimi Patres veritatis, & Catholicæ puritatis amantes, & Angelicæ D. Thomæ ſeveritati nihil præponentes, quorumdam etiam filiorum ſuorum auctoritatem, vel ingenium parvi facientes, in fide fixi, & ſtabiles permanentes, avitæque doctrinæ tenaces, quidquid Antiquos Thomiſtas cum Angelico Magiſtro, & Eccleſia tenuiſſe cognoverunt, id ſolum ſibi, & filiis tenendum credendumque decreverunt; quidquid vero ab aliquo deinceps uno, præter omnes, vel contra omnes, novum & inauditum ſubinduci ſenſerunt, id non ad Religionem, ſed ad tentationem pertinere intellexerunt.

His præceptis ſalutaribus moniti, & proprio zelo accenſi Dominicani novitatem ſubodorati, veluti Domini canes allatrare cœperunt, & Decretorum Pontificiorum munimine ſepti, & Summi Paſtoris Romani Antiſtitis id Ordini mandantis voce provocati; Laxones etiam ſuos non minus quam Lupos caulas Dominici gregis infeſtantes, fugere Theologos docuerunt; laborantique, & novarum opinionum licentia deformatæ diſciplinæ ſubvenerunt.

XXV. Hæc ille, & merito in magnam, & debitam laudem ſuæ ſacræ familiæ. Quomodo ergo poterat Societas doctrinam illam de uſu licito opinionis probabilis, & minus tutæ adoptare ſibi, & propriam facere? Sapientiſſime ergo fecit, dum in Congregatione ultima noluit agnoſcere pro ſua illam doctrinam; ſed poteſtatem omnibus liberam fecit illam impugnandi, & oppoſitam ſtatuendi. Et quamvis permittat doctrinam Probabiliſtarum in ſuis ſcholis legi, eo quod ſit communis inter Doctores hujus ſæculi, laxitates tamen in uſu illius doctrinæ averſatur. Unde quamvis in tradendis opinionibus laxis aliqui Jeſuitæ ceſpitaverunt; hoc non eſt tribuendum Religioni, quæ Conſtitutionibus S. Ignatii, Decretis Congregationum Generalium, & Præpoſitorum Generalium Ordinationibus reſiſtit laxitatibus; ſicut jure merito Vincentius Contenſon conqueritur, tribui ſuæ Religioni errores quorumdam particularium. "Nonnullos (inquit *Tom. 3. diſſert. 6. q. 751.*) interdum ceſpitare, vera & humili confeſſione agnoſcere non detrectamus. Nondum nobis inſanire licuit, ut credamus nuſpiam impingere alumnos noſtros. Homines nos eſſe, humani a nobis nihil alienum putantes, nec in facto, nec in jure infallibiles, modeſte, & ſincere conteſtamur." In tot, & tam vaſtis Jeſuitarum voluminibus, tanta varietate refertiſſimis alicubi, vel interdum contingere lapſum nullus ſapiens mirari debet; nihil enim tam proclive, tam pervul-

gatum, quam errare homines, & errores hominum ab aliis perſpicacioribus emendari. Quia teſte Apoſtolo, alius judicat inter diem, & diem, alius judicat omnem diem. Hoc eſt, ut exponit Gregorius, alius alio eſt ſcientia veritatis inſtructior.

XXVI. Fatemur, & dolemus aliquos Jeſuitas aliquibus opinionibus fuiſſe laxos: Sed has laxitates Religio non amat, licet in dandis conſiliis imitetur illud, quod ſapienter diſpoſuit Sacra Prædicatorum Familia, ut habetur in declaratione Conſtitutionum S. Dominici, recollecta ex Actis Capitulorum in Prologo textu 3. lit. Y. ubi hæc habet: Declaramus, quod tria ſunt, quæ præcipue impediunt ſalutem animarum; licet non ſint contra Ordinem. Primum eſt &c. Et poſtquam duo priora explicavit, ſubdit: Tertium eſt nimia auſteritas in conſiliis, & opinionibus. Terrentur enim homines ex hoc in tantum, ut ſalutem propriam negligant. Quapropter relaxanda eſt, quantum fieri poteſt, rigiditas, & auſteritas in conſiliis, & benigne tractandi ſunt homines. Nimia ſeveritas in conſiliis dandis, non placet Societati; ſed multo minus placet nimia laxitas: medium illud teneri optat, ut in conſiliis dandis non tam quæramus, quid ſit magis ſeverum, vel magis ſuave, ſed quod ſit magis verum, melioribuſque nixum fundamentis. Unde R. P. Joannes Paulus Oliva in litteris circularibus ad Provincias Societatis datis datis 20. Auguſti 1680. poſtquam multa in hanc ſcopum dixerat, ſic concludit: *Diſplicet igitur nimia in jure, ſive divino, ſive humano interpretando indulgentia, moderatio juſta non diſplicet: non enim duritiem, ſed ſoliditatem exigimus doctrinæ.*

§. IX.

OCTAVA RATIO.

Quia cum ex tertia propoſitione damnata ab Innocentio XI. jam certum ſit, non eſſe licitum ſequi ſententiam minus tutam, quando eſt exigue probabilis; hinc neceſſario infertur, nec id eſſe licitum, quando eſt evidenter minus probabilis cum exceſſu notorio, quam ſententia tutior. Et cum inter opinionem, ſimpliciter minus probabilem, & evidenter minus probabilem, non facile ſit aſſignabile diſcrimen; contingere poteſt, ut aliquando damnetur a Sede Apoſtolica uſus opinionis minus probabilis, & minus tutæ in occurſu probabilioris, & tutioris. Non potuit autem Societas pro Religione amplecti doctrinam tali periculo expoſitam.

XXVII. Quod hoc ſit certum, ex tertia propoſitione damnata probatur. Nam tertia propoſitio damnata ab Innocentio XI. eſt iſta: *GENERATIM, DUM PROBABILITATE ſive extrinſeca, ſive intrinſeca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.* Ex damnatione autem iſtius propoſitionis manifeſte deducitur, ad ſectandam opinionem minus tutam non ſatis eſſe, quod quis ſciat illam eſſe ſecundum ſe abſolute probabilem; quia licet videat eſſe abſolute probabilem, ſi tamen agnoſcat ejus probabilitatem eſſe exiguam comparative ad probabilitatem ſententiæ tutioris, jam non poteſt eam in praxi ſequi, ut conſtat evidenter ex deciſione Pontificis. Tum ſic. At qui agnoſcit ſententiam tutiorem eſſe manifeſte, & evidenter probabiliorem, hoc ipſo agnoſcit ſententiam minus tutam eſſe exiguæ probabilitatis comparative ad ſententiam tutiorem.

Nam ſicut homo moderatæ ſtaturæ eſt exiguus comparative ad Gigantem, & mons moderatus reputatur parvus reſpectus montis longe majoris cum magno exceſſu; ita in noſtro caſu, opinio, quæ ſecundum ſe eſt probabilis comparative ad aliam manifeſte probabiliorem cum exceſſu notorio, dicitur tenuiter & exigue probabilis. Nam probabilitas admittit latitudinem, & opinio probabilis ut ſic, complectitur ſub ſe opinionem maxime probabilem, & mediocriter probabilem, & exigue probabilem; daturque in illo genere maximum, & infimum, magnum, & exiguum. Ergo opinio minus probabilis, cum magno & evidenti exceſſu ex parte alterius, eſt tenuis probabilitatis comparative ad illam: ergo &c.

XXVIII. Et confirmatur. Quia ſi exigua probabilitas ſententiæ minus tutæ non eſt ſufficiens ad illam ſectandam, ut definitum eſt a Sede Apoſtolica: ergo neque erit ſufficiens probabilitas evidenter minor probabilitate ſententiæ tutioris. Probo conſequentiam. Quia ſi exigua probabilitas non eſt ſufficiens regula ad ſectandam ſententiam minus tutam, & eſſet ſufficiens

Digitized by Google

regula probabilitas evidenter minor; omnes diſcernere deberent inter exiguam probabilitatem, & probabilitatem evidenter minorem: ſiquidem inter regulam conſcientiæ & non regulam, omnes diſcernere debent, etiam pueri, & vetulæ: divina namque Providentia non potuit præſtituere pro regula conſcientiæ, quod diſcerni nequit a non regula. Atqui inter exiguam probabilitatem, & probabilitatem evidenter minorem, vix ullus diſcernere poteſt: ergo ſi exigua probabilitas non eſt ſufficiens regula ad ſectandam ſententiam minus tutam, neque etiam erit ſufficiens regula probabilitas evidenter minor.

XXIX. Quod ſi opinio minus tuta, quando eſt evidenter minus probabilis quam opinio tutior, & ut talis cognoſcitur ab operante, nequit ab eo aſſumi ut regula ad licite operandum; jamque poſt Bullam Innocentii videtur certum, neminem licite poſſe ſequi ſententiam minus tutam, quando agnoſcit eſſe evidenter minus probabilem, quam ſit opinio tutior illi oppoſita; hinc recte arguitur, & cum magna veriſimilitudine, quod nemo poſſit licite ſequi opinionem minus tutam, quando agnoſcit abſolute, & ſimpliciter eſſe minus probabilem, quam ſit opinio tutior. Nam ſicut nullus, quantumvis perſpicax, & oculatiſſimus, poteſt ſatis diſcernere inter opinionem evidenter minus probabilem, & exigue probabilem, ita nullus poteſt facile diſcernere inter opinionem evidenter minus probabilem, & opinionem abſolute, & ſimpliciter minus probabilem; & aſſeveranter dicere; hæc opinio minus tuta eſt quidem abſolute, & ſimpliciter minus probabilis, quam opinio tutior; non tamen eſt evidenter & manifeſte minus probabilis: certus ſum, quod ſit abſolute & ſimpliciter minus probabilis; & tamen certus non ſum, quod ſit evidenter minus probabilis. Ergo contingere poteſt ut Sedes Apoſtolica (quæ expreſſe declaravit non ſufficere exiguam probabilitatem ad ſecuritatem conſcientiæ; & virtualiter declaravit, non ſufficere probabilitatem evidenter minorem) aliquando declaret, non ſufficere probabilitatem abſolute minorem, & damnet hanc propoſitionem: *Poteſt quilibet licite ſequi opinionem faventem ſuæ libertati contra præceptum, quamvis agnoſcat oppoſitam ſtantem pro præcepto eſſe ſimpliciter probabiliorem, & habere pro ſe majus pondus auctoritatis, & rationis*. Ergo manifeſtum eſt non potuiſſe Societatem adſtringere ſuos Profeſſores ad docendum, licitum eſſe cuilibet ſequi ſententiam minus tutam in conſpectu tutioris, & ſibi probabilioris. Ergo debuit relinquere illis plenam libertatem impugnandi illam doctrinam Probabiliſtarum, & tradendi oppoſitam Antiprobabiliſtarum, quam ego in hoc tractatu ſtabilire conabor.

§. X.

RATIO ULTIMA.

Quia cum ad aſſequendam veritatem in re graviſſima, in qua Animarum vertitur ſalus, multum momenti habeat diſputationum conflictus; in Scholis Societatis debet utraque ſententia tam Probabiliſtarum, quam Antiprobabiliſtarum permitti.

XXX. Sane Pater Antonius Terillus, P. Martinus de Eſparza, P. Matthæus de Moya, & alii viri docti, qui docent licitum eſſe ſequi ſententiam minus probabilem, & minus tutam in occurſu probabilioris, & tutioris, non habent aſſiſtentiam infallibilem Spiritus Sancti potius, quam oppoſiti Auctores ad non errandum; nec a DEO hoc acceperunt privilegium tradendi infallibiliter veritatem in hac materia probabilitatum potius, quam Antiprobabiliſtæ miriores. Ergo quamvis eorum ſententia eſt probabilis, non tamen metas probabilitatis excedit. Ergo contingere poteſt, ut ea ipſa ſit falſa. Sicut enim Probabiliſtæ probabiliter docent, decipi nos Antiprobabiliſtas, qui docemus peccare eum, qui ſectatur opinionem faventem libertati, quando agnoſcit majus pondus auctoritatis, & rationis in ſententia contraria, quamvis mille judicia reflexa faciat: ita nos Antiprobabiliſtæ probabiliter docemus, decipi Probabiliſtas arbitrantes non peccare eum, qui ob motiva reflexa ſectatur opinionem minus tutam, cum agnoſcit majus pondus auctoritatis, & rationis in parte tutiore. Ergo materia hæc omnibus inſpectis eſt dubia. Ergo maxime oportet ad examen diſputationum revocari, ut veritas deprehendatur, & comperiatur. Ergo debet Societas ſuis Profeſſoribus facultatem præbere, ut unuſquiſque eam partem defendat, quam omnibus perpenſis agnoſcit magis veriſimilem, magiſque fundatam: quia ad

veri-

veritatem inveniendam aptiſſimum medium eſt diſputationum domeſticarum conflictus. Ut enim conſtat ex jure Canonico *cap. Grave non* 35. *q.* 9. Veritas ſæpius agitata magis ſplendeſcit in lucem. Et ut ait Clemens Alexandrinus *lib.* 1. *Stromat. apud P. Ferrer.* 1. *par. pag.* 42. *vers.* 43. ipſorum quoque dogmatum conflictus, dum inter ſe conferuntur, veritatem conciliat; unde ſequitur cognitio. Et ut inquit Joannes XXII. in Extravag. *Quia nonnumquam de verb. ſignif.* Argumentorum frequenter illationibus latens veritas aperitur. Unde ut docet Ariſtoteles 1. *Ethic. cap.* 4. Veritatem debemus inquirere, & ſequi, quatenus poſſumus. Idque monet Jus Civile *lib.* 1. *ff. de juſt. & jur.*, & Jus Canonicum *cap. Conſuetudo diſtin.* 11. *& cap. Nolite timere* 11. *q* 13. Unde Terillus ipſe *q.* 39. *de Reg. Morum* pronuntiavit: Certum eſſe, quod detur obligatio, aut tutiora ſectandi, aut ad ipſam veritatem, quantum humano modo poſſumus, enitendi. Quomodo autem enitimur, quantum poſſumus ad veritatem, ſi in actu exercito prohibemus diſputationum uſum, quibus veritas detegitur, & eluceſcit? Ex quo obiter infertur, nemini licitum eſſe relinquere ſententiam tutiorem, & ſequi minus tutam, niſi quantum humano modo poteſt, veritatem ipſam, quod res ſit licita, aſſequatur; ideſt, niſi ob argumenta veriſimiliora judicet rem eſſe licitam.

Certe contingens eſt, eſſe falſam doctrinam, quam tanto niſu, & conatu defendunt Probabiliſtæ; nempe non peccare eum, qui ſequitur opinionem minus probabilem & minus tutam in occurſu probabilioris, & tutioris. Ergo contingens, & probabile eſt, peccare eum, qui ductus auctoritate Decretorum Societatis, & communi inter Doctores hujus ſæculi, ſectatur opinionem minus probabilem, & minus tutam in occurſu probabilioris, & tutioris. Ergo ſi Societas in actu exercito prohibeat, ne a Noſtris legatur, vel imprimatur doctrina oppoſita; forſan occludit oſtium veritati, & erit occaſio peccatorum, quæ probabile eſt committi ab iis, qui ſectantur opiniones minus probabiles, & minus tutas in occurſu probabiliorum, & tutiorum. Hoc autem indecorum ipſi eſt. Ergo expedit Societati, quod inter nos detur libera facultas legendi, & imprimendi doctrinam oppoſitam moderate acceptam. (1)

DOCUMENTUM TERTIUM.

VIS RATIONUM

Pro Reverendiſſimo P. Tyrſo Gonzalez Societatis Jeſu Præpoſito Generali, in præſenti Controverſia edendi Tractatus De recto uſu Opinionum Probabilium. (2)

Quæ fervet in præſentiarum lis inter R. P. Tyrſum Gonzalez Societatis Jeſu Præpoſitum Generalem, nonnulloſque ex ſuis ſubditis non ſine plurium admiratione, multorumque animorum perturbatione, non minus ſui exitus expectationem, quam ſui ſtatus cognoſcendi Sapientiſſimis alicuique ex partibus minime addictis viris, excitavit. Hanc tamen non mihi animus fuit diſcordiæ nomine appellandi; quæ enim diſcordia poteſt inter Religioſiſſimos ſapientia & virtute maximæ præditos viros oriri? Idcirco in hac, non diſcordiæ, ſed ſententiarum diverſitate pro quonam ratio ſtet, decernere minime audeo; an pro P. Generali aliquam, pene dixerim, a ſuis ſubditis facultatem petenti; an pro ſuis ſubditis omni conatu contendentibus, ut eidem iter occludatur ad id conſequendum, quod non in promptu eſt, an multum abſit a juſto. Vox tamen quæ pro filiis Patris deſiderio reſiſtentibus vagatur, hos mihi videtur ſenſus ſibi vindicare: velle iſtos nempe ut Religionis fama illa ignominia prohibeatur, qua notari ipſiſmet videretur, ſi quidam liber in lucem prodiret, quem P. G. aut

(1) *Exſtat MSS. Romæ in Conventu S. Sabinæ in Bibliotheca Card. Ferrarii.*

(2) *Hæc opella typis Venetis edita jam fuit, ſed adeo rara evaſit, ut nonniſi unicum exemplar reperire Veronæ potuerim. Author ejuſdem eſt quidam Societatis Jeſu alumnus ſtudioſus Reverendiſſimi P. Thyrſi Gonzalez. Citatur a P. Gagna, & & D. Petro Ballarini.*

aut typis edere vellet, aut editum patefacere. At non mihi plane probatur ille erga Matrem amor, qui eidem Matri obſequio non eſt. Quomodo poteſt obſequium Matri præſtare, qui minime obtemperat regulis veri erga Matrem obſequii ab amantiſſimo Societatis, obſequentiſſimoque D. Ignatio traditis, in celeberrima obedientiæ Epiſtola ſic ferente: *Societatis veram germanamque Sobolem hac quaſi nota diſtingui:* nempe nota obedientiæ, quæ ut inferius ait, eo devenire deberet, *ut quod Superior mandat vel ſentit, defendere ſemper apud animos veſtros ſtudioſe nitamini, improbare autem nequaquam.* Quare non mihi improbandum videtur, ſi rationes afferam pro P. Generalis cauſa, cum hinc P. Generalem defendere conſtet, regulam eſſe Societatem amandi. Quandoquidem huic regulæ minime ſuccumbentes exiſtimant ſe Matrem amore proſequi, Patrem ſcilicet oppugnantes. Nec alias rationes hic exponam, niſi quas mihi præbent Conſtitutiones, Regulæ, Societatiſque Decreta.

Materiam hujus litis in primis ſuppono ex adverſis ſententiis, non ex animis ortum duxiſſe. Quare enucleare P. Generalis opinionem, ne quid non innoteſcat, opus erit, ut unde radices ſuas duceret ignominia, qua ex hac ſententia, hocque libro Societas ureretur, eniteat. Ille proinde liber ſive tractatus Theologicus, quem P. Generalis ſcripſit non ſine magno ſtudio, nec non multis adductis in conſilium Doctoribus, quique in lucem venire, ob amorem erga noſtram Matrem, ut ajunt, ab aliquibus prohibetur, agit *De recto uſu opinionum probabilium circa mores.* At cuinam dedecori Societati erit hic liber? Viam ne ſternit ad conſcientiarum libertatem, unde in interitum ruat animarum ſalus? Minime vero: docet enim quomodo ſe ſe ferre debeant, qui tutiorem opinionem minuſque læſam confinio criminis ſequi volunt. Tota P. Generalis doctrina duobus principiis ſive cardinibus innititur. Primum eſt: neminem poſſe abſque conſcientiæ ſcelere ſequi opinionem magis mitem, magiſque carni & ſanguini faventem, in conſpectu tutioris magiſque legi obſequentis, niſi ſibi prudenter perſuadeat ipſam opinionem mitem faventemque carni & ſanguini veram eſſe, oppoſitamque ſententiam eſſe falſam, & onus imponere, quo Deus nullo pacto voluerit nos onerare. Secundum eſt: neminem poſſe hoc judicium prudens efformare, donec diligenti examine, cum veritatem indagaverit, reperiat, majores vigere rationes, ob quas judicet prudenter ſententiam mitem eſſe veram, quam ut judicet eſſe falſam; atque ex vi iſtius majoris rationis, prudenter exiſtimet, veram eſſe ſententiam mitem, falſamque eſſe oppoſitam magis rigidam. Aſſerit proinde illud faciendum eſſe de ſalutis animarum negotio, quod prudentes ſapienteſque viri agunt de negotio magni momenti, aut corporis ſalutis, aut divitiarum, aut honoris. Si enim Pater-familias Domi ſuæ, aut Princeps ſuo in Regno advocat in conſilium de gravi negotio octo aut decem viros doctos, ſapientes, peritoſque, poteſt quidem hærere conſilio duorum vel trium, quando noſcat eorum conſilium inniti firmioribus, magiſque ſolidis fundaminibus, efficacioreſque ſibi vindicare rationes; attamen non ſolum minor prudentia eſſe haberetur, ſed etiam imprudens audacia; ſi conſilio trium vel quatuor hæreret, quando cognoſceret a pluribus afferri rationes magis efficaces, magiſque vero ſimiles, vi quarum poteſt ducere prudenter duos vel tres illos decipi, ſuaſque rationes eſſe fallacia illitas. Hoc idem evenire docet P. Generalis, cum agitur de ſpirituali ſalute Petri V. G. qui negotiationem aliquam vult quidem inire ob magnum lucrum, ſed abſque Dei offenſa, ut comparanti patebit.

Roborat hanc ſuam ſententiam doctrinamque vi multarum rationum, Auctorumque opinionum P. Generalis; quas hic referre ad rem noſtram non eſt; cum hic tantummodo refellere quæ hujus ſententiæ editioni opponuntur, ſuſceperimus. Hinc nullo pacto Neotherica habenda eſt, ut aliqui fruſtra conantur demonſtrare. Hæc enim frequens eſt non minus apud Magiſtros, doctoreſque de uſu opinionum probabilium agentes, quam in catholicis licæis. Hæc P. Generalis ſententia illa eadem eſt, quæ a ſanctioribus omnibus, morumque inſtitutoribus annorum mille & quingentorum ſpatio tradita eſt, quorum nullo eminet auctor, qui licere uſum minus probabilium, relictis probabilioribus, juxta ſenſum P. Generalis aſſerat. An non liquet, primum, qui oppoſitam P. Ge-

Generalis ſententiam docuerit, extitiſſe P. M. F. Bartholomæum de Medina inter Dominicanos adſcriptum, qui Salmanticæ primum Præceptoris gradum Theologicum tenebat 1577. huncque novitate adductos multos eſſe ſecutos? Stat igitur, doctrinam, quam edit in ſuo tractatu Theologico P. Generalis, eamdem prorſus eſſe, quam omnes pene Theologi, Magiſtrique tradidere ab ortu Eccleſiæ ad præteritum uſque ſæculum, quo cœpit florere opinio, quæ his temporibus ut communis habetur. Quomodo hæc eſt illa nova ſententia, nova doctrina, novuſque tractatus qui toti Societati ignominiæ eſſet? Ego penitus ignorabam Societati dedecori vertendum eſſe, ſi ejuſdem Societatis P. Generalis in finem, nempe animarum ſalutem nitebatur, oppugnans a S. Sede damnatas opiniones laxiores, quæ aſſerunt, docentque licere opinionem libertati in legem, faventem probabilem, licet infimo probabilitatis gradu. Rurſus probat hanc ſuam ſententiam minime eſſe oppoſitam multorum Societatis Auctorum opinioni, cum hi minus probabilem opinionem non defendant, diſſentientes diſcurſui P. Generalis, ut optime conſideranti conſtabit. Itaque opinio, quam omnibus Societatis Doctoribus minime communem conatur P. Generalis oſtendere, non eſt, ut cœco penitus modo vagatur, ea quæ ab omnibus Societatis Auctoribus traditur, ſed quæ a nonnullis prætenditur; atque adeo quæ ut pernicioſa animabus communiter habetur, & quam maxime laxa, minime Societatis eam propriam eſſe conatur ſignificare. Neque hoc facilius accidet, quam per librum ab eodem P. Generali in lucem mandatum, qui exprimat tutiorem ſententiam de uſu probabilium opinionum, & quinam cum P. Generali ex Societatis Auctoribus conveniant, & quinam diſſentiant, exponat. Hic eſt hujus tractatus ſcopus: hæc totius doctrinæ P. Generalis ſumma. Hanc tamen ejuſque editionem oppugnant nonnulli ex Societate, qui erga Societatem, ejuſdemque, aliarumque Religionum auctores amore ducti, ut ajunt, exiſtimant eam ſuis amatis obeſſe, adeoque arcendam, flammis oblivionique tradendam. At quam vereor, ne quid lateat ſub hoc perſonato amore, magis Societati pernicioſum, quam cognitum odium! Unum autem ab hac exiſtimatione me arcet, hocque eſt, non poſſe Religioſiſſimis, perfectioriſque regulæ maxime addictis viris, quod non redoleat ſanctitatem, perfectionem, obedientiam, dominari.

Hincque ab iiſdem prædicti libri editionem non approbari, oppugnari, vi tantorum argumentorum correptus mihi nequeo ſuadere. Quod ſi hoc verum eſt, proculdubio illum minime introſpexere minimeque ad examen vocarunt, quod quidem erat faciendum in obſequium tanti nominis Auctoris, totius tam doctæ Societatis Patris, Theologiæ celeberrimi Magiſtri, eximiique Doctoris, qui omnes ſapientiæ laureas eſt conſequutus in maxime a toto orbe terrarum æſtimato lycæo, ut librum laudibus efferrent, non ut nihili haberent, non ut maxime oppugnarent. Non video rurſus oppugnatoribus locum eſſe timendi, ne editus iſte liber finem, quem intendit, aſſequatur. Quaſi vero in animarum ſalutem uſum opinionum laxiorum cohibens, noſtriſque lycæis exiſtimationem de tuto opinandi uſu forte reſtituens, non collimet. At quæ me in ſuſpicionem minime decentem Viros Societatis Religioſiſſimos hic inducere poſſunt, hæc omittam, quæque meæ menti ſæpe occurrunt ex obedientiæ epiſtola conſilia, *nempe, ſi unum eundemque oportet eſſe membrorum ſenſum, & capitis, facile cernitur, utrum ſit aptius caput membris, an membra capiti conſentire;* hæc inquam prætergrediar.

Referam nunc ſolum rationes, quas ipſius libri argumentum, materiaque præbet. An non P. Generalis typis mandans ſuum tractatum, viam ſternit ad evertendum id, in quod evertendum Sancti Pontifices, & præcipue ſanctæ memoriæ Innocentius XI. multas damnans ex laxioribus opinionibus, incubuere? Quid enim aliud ſibi vult tractatus iſte, quam funditus evertere opiniones aliquas laxiores, eo magis animabus noxias, quo magis carni & ſanguini faventes? Igitur opponi editioni hujus libri, idem penitus eſt, ac opponi divino afflatui, quo Dei Vicarius imbutus, & excitatus damnavit multas ex his opinionibus, quas ſicuti paulo ante oppugnabat damnabatque P. Generalis, ita etiam nunc inſequitur & damnat. Hinc nequeo percipere, quomodo oppugnetur ab iis, qui ſummos Pontifices maxime glorian-

Digitized by Google

riantur propugnare, illa opinio, quam conſtat eſſe Summorum Pontificum ſententiæ judicioque conformem.

Rurſus hanc nemo poteſt inficiari, maxime conſonam eſſe D. Ignatii conſtitutionibus, mandatiſque P. P. Generalium, Superiorum, Præceptorumque Societatis regulis; & inter cætera multarum Congregationum decreta, decimo octavo Generalis Congregationis duodecimæ. In hac enim Innocentius Papa XI. mentem ſuam per Emin: Cybum Cardinalem ita explicuit, ut eadem Congregatio decrevetit, non minus olim licuiſſe, quam nunc licere cuicumque ex Societate non ſolum ſequi ſententiam oppoſitam faventem libertati, dum veram eſſe exiſtimat, ſed etiam tradere & propugnare. Quare qui hujus P. Generalis tractatus editioni occurrit, aut leges, decretaque Societati communia prorſus ignorat, aut minime ignorata ſubdole aſpernatur, ut nihili habeatur non ſolum P. totius Societatis Generalis, ſed etiam Societas ipſa, cujus regulis, conſtitutionibus, decretiſque minime gaudet obtemperate. Quod quidem crimen magni faciendum, & minime ferendum eſſet, præcipue cum quis vereri poſſit, ne hoc ſi patratum, ut illi mos geratur, qui angoti P. Generali eſſe ſuique legitimi Superiotis mandatis minime ſuccumbere eſt auſus.

Luſtremus nunc quæ ſtatuunt Conſtitutiones de doctrina a Magiſtris, Concionatoribuſque tradenda. Proculdubio ea eſt doctrina, quam D. Fundator in Dominicanorum lycæis accepit, ut aſſerit P. Maffejus in D. Ignatii Vitæ hiſtoria ſub finem cap. 19. lib. 1. ubi ait: *Ignatium fundatorem Societatis Jeſu ſub Dominicanorum PP. diſciplina Theologiæ operam dediſſe, adeoque S. Thomæ Doctoris Angelici doctrina imbutum fuiſſe.* Atque adeo cum opinio P. Generalis ita nitatur doctrinæ D. Thomæ, ut eandem prorſus eſſe jure poſſem affirmare; infertur D. Fundatorem in lycæis ſuo nomini, ſuoque patrocinio erectis, minime fuiſſe permiſſurum, ut circa probabiles opera daretur alii ſententiæ ab ea, quæ tunc temporis ut communis, & a tanto Eccleſiæ Doctore tradita, ut tutior habebatur. Qui enim opinans D. Thomæ veſtigia calcat, ſe ſe arcet parum tutis ab opinionibus, ut conſtat ex eo quod dum coram Gregorio XV. D. Ignatii miracula vitæque hiſtoriam referebat Cardinalis Franciſcus Maria del Monte, ad optimam ejuſdem fidem confirmandam his addidit notis: *Novas opiniones haud unquam admiſit; & in Theologia Scholaſtica Doctrinam D. Angelici ſecutus eſt.*

Cum quarta Conſtitutionum parte cap. 14. D. Ignatius Fundator in lycæis, collegiiſque Societatis legendos libros, explicandaſque ſententias moribus conſcientiiſque tutiores præſcripſerit, addit §. 2. *In Theologia legatur vetus & novum teſtamentum & doctrina Scholaſtica D. Thomæ.* Hoc prorſus idem decrevit Congregatio 3. Generalis, in qua convenere aliqui ex D. Ignatii Sociis, multique qui diu eo familiariter uſi ſunt.

Rurſus prædicta Congregatio decreto 47. juſſit Philoſophiæ inſtitutores *ita Philoſophiam interpretari, ut vera Theologia Scholaſtica, quam Sociis commendant Conſtitutiones, ancillare, & obſervire faciant.* Quapropter cum Theologiam D. Thomæ ſequamur, velint; patet in Philoſophicis etiam ea eſſe tradenda, quæ magis opinionibus D. Thomæ cohærent; maximeque de rebus moralibus, ubi errandi aditus facilius aperitur.

Pariter quartæ Conſtitutionum partis proœmio a ſuis Præceptoribus diſcipulos his doctrinis opinionibuſque eſſe informandos D. Ignatius declaravit, *quæ juvare debeant ad magis cognoſcendum, magiſque ſerviendum Deo Creatori ac Domino noſtro.* Atque ut hoc adamuſſim ſervetur, vult in Societate, *evitetur doctrina ſuſpecta*: parte 4. cap. 14. §. 1. vetat etiam illam explicari poſſe doctrinam, quæ diſſerat a communi ſenſu Doctorum Eccleſiæ: parte 3. cap. 1. lit. O. Nec non patet D. Ignatium ſub prolata voce Doctorum Eccleſiæ, non intellexiſſe quemcumque peculiarem Doctorem, cujus auctoritate quævis opinio probabilis evadat, ſed veros Eccleſiæ, ab eadem nempe exceptos Doctores. His omnibus addit D. Fundator, non ſolum collucere in Gymnaſiis Societatiſque libris debere, & a Præceptoribus propugnari, quæ videbitur *non ſolum ſana* P. 1. cap. 2. §. 6.: & P. 3. cap. 1. *quæ ſolida, & exacta*, Parte 10. §. 3. ſed etiam *quæ magis communis*. P. 8. cap. 1. lit. K. *magis approbata*. P. 4. cap. 14. ejuſdem partis §. 2. *quæ magis ſecu-*

Digitized by Google

ſecura melior. Parte 7. cap. 1. lit. K. *magis conveniens*, ibidem. Peculiariter tamen ibi declaratur, non concedendum in Societate, ut opiniones novæ admittantur. Par. 3. cap. 1. lit. O.

Horum poſita ſupradictorum auctoritate, hoc de doctrina P. Generalis argumentum conflatur. Juxta Societatis Conſtitutiones ab Eccleſia approbatas, in lycæis explicari, in libris extare debet ea ſola doctrina, *quæ ſana*, *ſolida*, *exacta*, *magis communis*, *magis approbata*, *magis conveniens*, *ſecurior*, *melior* exiſtimatur. Atqui doctrina, quam P. Generalis patefacere contendit, hujuſmodi eſt: ergo doctrina P. Generalis ea eſt, quæ non ſolum in lycæis reſonet, ſed etiam typis edita exeat, volunt Conſtitutiones. Ergo qui hujus tractatus P. Generalis opponitur editioni, non plus P. Generalis voluntati animum obdurat, ac ipſarummet Conſtitutionum, regularum a toto cœtu acceptarum etiam ut de doctrinis agentium.

Totus iſte diſcurſus ſive ratiocinatio legitima videretur, ſi conſtaret de veritate minoris propoſitionis, quæ mea ſententia evidenter demonſtratur ut vera. Pater enim Generalis ſuo tractatu, ſuaque doctrina non opponitur ſententiæ, opinionique Neothericorum, ut aliqui de re minime certiores, minuſque doctrinam intelligentes paſſim afferunt; ſolum namque P. Generalis opponitur ſententiæ, diſceditque ab opinione afferentium poſſe V. G. Petrum nullo tactum conſcientiæ ſcelere, minimeque periclitantem a ſe Deum offendendum, poſſe, inquam, ſequi illam opinionem, illamque ſententiam de opere faciendo minus probabilem, quam ut talem longa animadverſione, prudenti, minimeque adſtricto judicio noverit falſam, minus divinæ legi, voluntatique conformem: poſſe pariter Petrum, ut prædictam ſequatur opinionem, relinquere oppoſitam, a pluribus traditam, melioribus innixam rationibus, ob quas idem Petrus, aut exiſtimat, aut debet, aut poteſt exiſtimare tutiorem, probabiliorem, & magis veroſimilem. Qui ſub his terminis propugnant prædictam minus probabilem opinionem, hos P. Generalis oppugnat, multiſque curat rationibus ut a ſua diſcedant ſententia. An non ergo hæc doctrina eſt, quæ *ſolida*, *exacta*, *magis communis*, *magis approbata*, *magis tuta*, *magis conveniens & melior*? Non enim huic directe oppoſita iſtis eminet prærogativis: nec multi eſſe poſſunt, qui propria auctoritate hanc patrocinentur, cum poſt cenſuram Innocentii Papæ XI. non valde tutum locum inter probabiles teneat.

Adde hanc ſententiam doctrinamque tutiorem eſſe habendam, quia magis procedit juxta regulas inſcriptas illo in libro cui titulus eſt: *Ratio ſtudiorum Societatis*. Hic liber jubet omnes ex Societate, doctrinam hanc quam præfefert P. Generalis, non ſolum ſequi, ſed etiam propugnare, cum hæc doctrina ita accedat ad D. Thomæ ſenſum, ut hunc in auctorem ſibi vindicare videatur, ut conſtat ex pluribus D. Thomæ locis. Sic enim una cum Cœtu Generali præſcripſit hoc volumen, non aliam doctrinam tradendam, *niſi quæ conveniat D. Thomæ cum ſententiis*, & alio in loco: *Doctrinam D. Thomæ in Theologia Scholaſtica tanquam ſolidiorem*, *ſecuriorem*, *magis approbatam & conſentaneam conſtitutionibus legendam eſſe a Profeſſoribus*. Hoc idem ſtatutum eſt 4. in Congregationis Generalis Decreto. Neque liber hic ſive ſtudiorum ratio inſtituta eſt ſine magno principum ex Societate virorum conſilio, prudentia, judicioque. In hac præſcribenda ſtudiorum ratione, libroque efformando omnes convenere ſapientiſſimi illi Patres, a quibus quarto in Conventu Generali Præpoſitus Generalis renuntiatus eſt P. Claudius Aquaviva. Qui ergo audet editionem doctrinæ P. Generalis ita conformem doctrinæ D. Thomæ oppugnare, vituperare, non noſcit regulas, quas ediſcere, & docere debemus; aut ſi noſcit, & minime ſervat, magna illi ineſt ambitio, magnaque præſumptio, cum ſentiat ſe ſcientia præcellere omnes illos ex Societate ſelectos viros, qui talem modum ſciendi & docendi impoſuere.

Quare P. Generalis ſummopere commendandus, dum a ſuis doctrinis obſequium generalium Congregationum decretis, & præcipue decreto quintæ, de uſu opinionum agenti, quod P. 3. cap. 1. §. 18. & P. 4. c. 5. §. 4. ſic mentem totius Societatis aperit. *Noſtri omnino Sanctum Thomam ut proprium Doctorem habeant; huncque in ſcholaſtica Theologia ſequi teneantur; tum quia Conſtitutiones eum nobis commendant*. P. 4. cap. 14. §. 1. *Et Sum-*

mus Pontifex Clemens VIII. id ſe cupere ſignificavit; tum quia nullius hoc tempore doctrinam poteſt occurrere, quæ ſit ea ſolidior, aut ſecurior, ita ut non immerito S. Thomas Theologorum Princeps ab omnibus habeatur.

Hinc nequeo percipere, quomodo qui audeat P. Generalis doctrinam ita palam odio habere, injuriiſque petere, exiliat, ſi illico Cathedris eſt prohibendus; & quomodo arguendus ſit P. Generalis, qui ſuam D. Thomæ ita arridentem doctrinam exponit, ſi unus hujuſmodi doctrinas explicans, Cathedris & Præceptoris miniſterio donandus. Neque hoc gratis aſſeritur, cum ita a regula Provincialium 9. §. 2. præſcribatur. *Id autem in primis meminerint, non eſſe ad Cathedras Theologicas promovendos, niſi qui erga S. Thomam bene affecti fuerint: qui vero ab eo alieni ſunt, vel etiam ejus parum ſtudioſi, a docendi munere repellantur.* Hinc eminet quanti ſemper Societas duxerit doctrinam D. Thomæ opinionibus conformem; quantumcumque ſtudeat ut ſuis non alia reſonet in lycæis doctrina, quam ea, quæ ad Dei dirigit cognitionem & obſequium. adeoque ea a P. Generali trádita, cum hoc ſibi præcipue vindicet, ejuſdemque zelus edendæ corroboret.

Nec Præpoſiti Generales (ſi bene quis animadvertat) aliud ſunt unquam mediteti evertere, quam oppoſitas conſtitutionibus, decretiſque, nec non P. Tyrſo ſententias. P. Claudius Aquaviva quintus Societatis Generalis Præpoſitus multas toti cœtui exaravit epiſtolas, modum tradendi explicandique ſententias indigitantes. Inter ceteras tamen digna animadverſione eſt data 14. Decembris 1613. in hac enim gravibus verbis ſignificavit, multum intereſſe noſtras doctrinas, noſtraſque opiniones a D. Thomæ ſententiis non debere diſcedere, ob ea vitanda mala, quæ parere ſolet opinandi nimia libertas; atque ut hoc nemini non innoteſceret, ſuo ſic vernaculo ſermone expoſuit: *Avvertiſcono anco diligentemente, che indeboliſce molto la ſodezza della dottrina, e confonde più di quello che ſi può credere gli ingegni, l'eſſere li Maeſtri molto problematici nel difendere ogni opinione come probabile, nè li Scolari ſanno dove fermar il piede; però ſiano avvertiti gli Maeſtri nell' eleggere le opinioni più ſolide, e quelle difendano.* Totus iſtius Generalis ardor, totus conatus fert ſe ſic ad nimiam opinandi facilitatem cohibendam, quæ in dies vel in Societate increbreſcebat. Hoc idem P. Tyrſus intendit: attamen magno obſequio paterna primi cura commendatur; hujus pretioſis lucubrationibus hunc abuſum enervantibus, ut pereant, opponuntur. Quomodo poteſt ergo quis non ſuſpicari, ne nimius ardor has laxiores ſententias patrocinandi, aliud nil ſit, quam velle quemque ſibi affingere leges, ut nullas noſcat?

Hos P. Claudii ſenſus ſequutus eſt, qui ejus dignitatem obtinuit P. Mutius Vitteleſchius in Præpoſitum Generalem creatus a ſeptimo Generali Conventû anno 1615. Nam anno 1619. ſacra D. Thomæ die ſeptima Martii litteras dedit ad ſingulos Provinciales Conventus, qui illo anno cogebantur (atque non parum fortaſſe profuiſſet, ſi in aliquibus Provinciis, in quibus peculiares conventus hoc anno 1693. habiti vi ſuffragiorum cogendam eſſe Congregationem Generalem declararunt, diſtricte fuiſſent perlectæ.) In his inquam P. Generalis litteris conqueritur ſummopere, nonnullos de paupertate laxas admodum opiniones, qui doceant, reperiri: hiſque plane verbis ſuos edidit queſtus: *Sed aliud eſt quod me pungit acerbius, & ob id Reverentiarum veſtrarum conſilium, ac opem imploro, & expoſco. Reperitur nempe, qui laxiores opiniones in hac materia evocet ac divulget, atque utinam illæ non adverſentur veritati!* At fuſius clariuſque idem P. Mutius de opinionum probabilium uſu animum ſuum patefecit illis in litteris, quas omnes ad Superiores Societatis ſcripſit datas 4. Januarii 1617. Nam dum ſeptem in eis enixe commendat, hæc habet.

Quarto: nonnullorum e Societate ſententiæ in rebus præſertim circa mores ſpectantibus plus nimio liberæ non modo periculum eſt ne ipſam evertant, ſed ne etiam Eccleſiæ Dei univerſæ inſignia afferant detrimenta. Omni itaque ſtudio perficiant, ut qui docent, ſcribuntve, minime hac regula & norma utantur: Tueri quis poteſt; probabilis eſt: Auctore non caret. *Verum ad eas ſententias accedant, quæ tutiores, quæ graviorum, majoriſque numero Doctorum ſuffragiis ſunt frequentatæ, quæ bonis moribus conducunt magis,*

quæ

quæ denique pietatem alere, & prodeſſe queunt. Quoniam vero Conſtitutiones Decreta probe callent de S. Thoma ſequendo, de non provehendis ad Cathedras, aut etiam ab eis removendis, qui hujuſmodi doctrinam parvi facere, aut corde non habere præſeferant. Præſertim ſi novitatum amantes deprehendantur, qui nulla ratione ſunt ferendi. Reliquum mihi præterea nil eſt, niſi ut hæc ipſa ſerventur, uti rem maximi momenti, quam ardentiſſime poſſum urgere. Totum hujus Epiſtolæ caput, quia maxime ad rem noſtram conducebat, hic attuli.

Uterque igitur Generalis Claudius & Mutius, qui toti Cœtui annorum ſpatio 65. magnanimitate, manſuetudine, optimo & conſiliorum delectu, & rerum exitu præfuere, hanc aliquorum facilitatem Magiſtrorum, opinandique de uſu libertatem odio ſemper habuere; hancque non ſolum frænare, ſed ut abiret, excederet, & omnino e Societate proſcriberetur, curavere. Omnes proinde & ſingulæ Provinciæ in ſelectorum virorum peculiares conventus redactæ, horum Generalium zelum magno plauſu excepere, nec non omnes Superiores eis præſto eſſe ſeſe exhibuere media vi ſatis rigida præſeferentes, ut hæc facilitas, opinandique libertas cohiberetur. At ſi illis temporibus totius Societatis legitimus Generalis volumen intendit edere, quod vigoris quid, libertatiſque ita detrahat probabilibus opinionibus, ut multum Societati addatur æſtimationis, & delapſum fortaſſe nomen reſtituatur, non ſolum non commendatur ſed oppugnatur, & ejus auctoritatem nihil facientes bellum inteſtinum in eumdem excitarunt. Extat ne hoc in libro alia ab ea doctrina, cui annorum viginti ſpatio toto homine ſtuduit, de qua multos celeberrimos Doctores, Magiſtroſque in conſilium adhibuit, quam non ſolum approbarunt, ſed multis laudibus condecorarunt Eminentiſſ. Cardinales, Innocentiuſque Papa XI. hoc ſequenti Pontificia digno auctoritate Decreto, quod feria 4. die 26. Junii 1680. in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ & univerſalis Inquiſitionis fuit eidem P. Tyrſo conſcriptum.

Feria 4. die 26. Junii 1680.

In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis.

FActa relatione per P. Lauream contentorum in litteris P. Tyrſi Gonzalez Societatis Jeſu Sanctiſſimo D. N. directis Eminentiſſimi DD. dixerunt, quod ſcribatur per Secretarium ſtatus Nuncio Apoſtolico Hiſpaniarum, ut ſignificet dicto P. Tyrſo, quod Sanctitas ſua benigne acceptis, ac non ſine laude perlectis ejus litteris, mandavit, ut ipſe libere & intrepide prædicet, doceat, & calamo defendat opinionem magis probabilem, nec non viriliter impugnet ſententiam eorum, qui aſſerunt, quod in concurſu minus probabilis opinionis cum probabiliori ſic cognita & indicata, licitum ſit ſequi minus probabilem, eumque certum faciat, quod quicquid favore opinionis magis probabilis egerit, & *ſcripſerit, gratum erit Sanctitati ſuæ.*

Injungatur P. Generali Societatis Jeſu de ordine Sanctitatis ſuæ, ut non modo permittat Patres Societatis ſcribere pro opinione magis probabili, & impugnare ſententiam aſſerentium, quod in concurſu minus probabilis opinionis cum probabiliori ſic cognita & judicata, licitum ſit ſequi minus probabilem; verum etiam omnibus Univerſitatibus Societatis notum faciat mentem Sanctitatis ſuæ eſſe, ut quilibet, prout ſibi libuerit, libere ſcribat pro opinione magis probabili, & impugnet contrariam prædictam, eiſque jubeat, ut Mandato Sanctitatis ſuæ omnino ſe ſubmittant.

Die 8. Julii 1680. Denunciato prædicto ordine Sanctitatis ſuæ Præpoſito Generali Societatis Jeſu per R. P. D. Aſſeſſorem, reſpondit, ſe in omnibus quanto citius pariturum, licet nec per ipſum, nec per ſuos Prædeceſſores fuerit unquam interdictum ſcribere pro opinione magis probabili eamque docere.

Atque ut eniteat magis quantum cordi fuiſſet Innocentio XI. P. Generalis opinio, Eminentiſſimiſque D. D. Cardinalibus, afferam hic reſponſionem, quam Eminentiſſimus Cardinalis Cybo die 7. Julii 1680. nomine Suæ Sanctitatis dedit ad eas litteras, de quibus mentionem facit Decretum Sancti Officii: referam pariter litteras quas Cardinalis Sabbus Mellinus, tunc tempo-

tis Hiſpaniarum Nuncius eidem P. Tyrſo conſcripſit. Quibus ex duabus Epiſtolis quanti ſemper ipſe P. Generalis, ſuaque doctrina, ſuumque nomen non ſolum ab Hiſpanis, verum etiam ab Eccleſiæ Principibus fuerint habita, patebit.

Reſponſio Eminent. Cardinalis Cybo.

ADmodum R. P. egregiam & copioſam lucubrationem quam una cum litteris filialis obſequii plenis ad Sanctitatem ſuam miſiſti de opinione probabili, perbenigne excepit Sanctitas ſua, & pluribus laudavit ſingularem zelum, & præſtantem doctrinam, qua maximi momenti argumentum tractaſti; neque dubitat Sanctitas Sua, quin tu in præclaro inſtituto pergas explicandi materiam ſaluti animarum tam neceſſariam, & inceptum feliciter opus ad exitum perducas, eximiam ſuo tempore a Deo mercedem relaturus. Cætera cognoſces a Nuncio Apoſtolico, a quo hæ meæ litteræ tibi reddentur Pontificiæ voluntatis & benedictionis interpretes: Tibique læta omnia a Deo auguror. Romæ die 7. Julii 1680. P. tuæ ad officia. A Cardinali Cybo.

Litteræ Eminentiſſimi Cardinalis Mellini tunc Hiſpaniarum Nuncii litteras Eminentiſſimi Cardinalis Cybo tranſmittentis ad P. Tyrſum Gonzalez Salmanticam.

ADmodum R. P. Ad litteras Eminentiſſimi D. Cardinalis Cybo, quas his adjunctas accipies, vix eſt quid adjiciam; ex his enim luculenter intelliges, quantum Paternitatis tuæ zelus ac pietas ſcriptis argumentis hactenus probata a Sanctiſſimo Domino commendationem receperit. Unum illud addendum ipſe habeo, quod cum Sanctitas ſua judicet, hoc opus tuum, quod tractandum ſuſcepiſti, animarum ſaluti, totique Eccleſiæ maxime proficuum futurum, ut te ad ipſum opus quamprimum perficiendum hortarer, mihi mandavit. Curet igitur Paternitas tua, ut hæc Sanctitatis ſuæ deſideria impleat, ut præclara pietatis, atque utilitatis publicæ opus prælo dari quanto citius poſſit. Si quid interim ulterius elaboratum præ manibus ſit, ad me diriget Romam cum litterarum mearum faſciculis mittendum. Tandem Paternitati tuæ nomine Pontificio benedicens fauſta, & ſalutaria quæque celitus eidem apprecor. Matriti 7. Auguſti 1680. Paternitatis tuæ ad officia paratiſſimus S. Archiepiſcopus Cæſarienſis.

Hoc tamen libro edendo aliqui non ſolum ob peculiares rationes P. Generalem inſequuntur, ſed etiam Provinciales Congregationes (a ſæculo inauditum) decernentes, ut Congregatio Generalis ad ejus famę maximum detrimentum ex tota Europa maxime ſelectorum virorum convocetur. Quaſi vero non hic ſit liber prædicto decreto a S. Sede, prædictis Epiſtolis ab Eminentiſſimis Principibus laudibus inſignitus, nec P. Tyrſus is ſit, qui ut exponat, tradat, doceatque doctrinam ſuam, tanta ab auctoritate ſit coactus. Quaſi vero liber hic Societati majori ſit diſcrimini, in quo unquam Societas ſit verſata, & omnino adverſetur D. Ignatii Conſtitutionumque ſenſibus. Atque hic magna capior admiratione, cum aliqui reperti fuerint, qui ad Sanctam Sedem retulerint hunc tractatum tanquam perniciosum. Nam aut S. Sedis imperio conſcriptum, ut ex ſupradicto conſtat Decreto, ignorant, aut S.Sedis Decretum ita ab eadem parvi fieri exiſtimat, ut ipſorummet ad explendum iniquum votum in ſeipſum converſam putent Pontificis abuti poſſe auctoritate.

Prope eſt itaque, ut exclamem, o tempora! Quibus peroſa olim ambitio jam tunc ſerpere ante cœpit in Societate, aut ſaltem videtur. Idcirco quid ſi adeſſent Patres illi Religioſiſſimi, qui quarta in Congregatione Generali ob obitum P. Everardi Mercuriani in P. Oliverium Manaræum Vicarium Generalem conſtitutum, ita fuerunt invecti; nec alia de cauſa, niſi quia levi munuſculo benevolentiæ magis, quam ambitionis ſigno, fuit ab eo donatus aliquis Cardinalis; ita, inquam, fuerunt invecti, ut ejus cauſa, utrum eſſet rigide puniendus, ageretur diligenter, voluerint. Quid ſi adeſſent; & ſub eorum oculos caderent nonnulli, qui non dignitatem Præpoſiti Generalis jam e vivis ablati furtim obtinere meditantur, ſed qui palam gloriantur, ſe Societatem univerſam commoviſſe, & decretum de convocanda Congregatione Generali in P. Generalis dedecus, ſe etiam atque etiam, ut multarum ſuffragiis Congregationum eſſet frequentatum, curaviſſe; proinde ac ſi P. Generalis non omni præeſſet exemplo doctri-

ctri-

Digitized by Google

ctrinæ, pietatis, & prudentiæ. Atque hoc totum evenit non alia de cauſa, niſi quod P. Generalis, ut S. Sedis juſſibus, uti debet, obtemperet, ſupra ſignificatum librum vult typis committere. Quid enim molirentur, ſi hac editione S. Sedis voluntari opponeretur, non autem ſi pergrata non accidiſſet Dei Vicario, qui dignas opiniones facit, dum approbat? Abſint proinde illi Patres, qui quando Rex Philippus Secundus a toto Societatis corpore membrum Hiſpanicum avellendum ſuſceperat, & hujuſmodi alia fervebant, declararunt, in Hiſpaniis, Gallia, Germania, Italiaque tota nullo pacto convenire decere Congregationem Generalem, ut ait Sachinus lib. 10. partis 5. num. 56. *in omnibus Provinciis nulla plane excepta decretum nullam videri cauſam Generalis convocandi Conventus*. Attamen de Religionis interitu agebatur: nunc vero, in tanto totius orbis conflictu, quia P. Generalis ſuam, quæ placuit Pontificio Oraculo, doctrinam prætendit, nonnullorum audacia arteque convocetur? Verum quidem eſt, tunc flammam quæ, Religioni exitium minabatur, vigere ope duorum Hiſpanorum, non abſimili, ab ea, qua nunc igni Societatis viſceribus quam maxime pernicioſo pabulum ſufficitur. Sed quo ultro excurrit calamus meus? cum hæc oblivioni ſilentioque eſſent tradenda, atque utinam non eſſent ad unguem deſcripta, quæ modo accidunt a P. Sachino in Societatis hiſtoria, dum prædicta illius temporis Societati infauſta enarrat, eorumque auctores enunciat.

Hucuſque allatum ſatis oſtendit quantum ſibi fuerit laudis P. Generalis promeritus ſui edendi conſtantia tractatus. Hinc non ſolum poteſt, ſed etiam conſcientia tenetur illis ad artibus utendum, quas libri ad editionem noverit aptas. Si enim his ſtantibus a ſuo decederet inſtituto, ſuo proculdubio muneri deficeret. Ratio hujus eſt; quia ſicuti privatus ſubditus Societatis ſi eſſet, poſſet quamlibet opinionem ſilentio dicare; cum nunc ſit in Generalis Præpoſiti conſtitutus dignitate, illam debet doctrinam, illamque prælo mandare tractatum, qui totas eſſe noſtras ſententias oſtendat; alioquin finem ejus ſubditi, quem intendit illa Societas, cui eſt Pater deſtinatus, non aſſequerentur. Gens enim minime noſtris doctrinis freta a miniſteriis ad animarum ſalutem pertinentibus maxime eſſet aliena. Quare P. Generalis cui curæ eſſe debet Societatis bonum, non ineſſe Societati doctrinas minus tutas, ut librum, cui hoc ſibi peculiariter petit, in lucem edere tenetur.

Nullo itaque timore ſe corripi permittat, emicet licet oppugnatorum ardens quammaxime manus, majoreſque animos accipiat a D. Baſilii relicto exemplo; qui non abſimili oppugnatione doctrinæ afflictus, magnanimitatem ſuam patefecit 79. ubi ait æmulos ſuos *ad ſcopum quem ſibi ipſis initio præfixerant, compoſito greſſu contendere, ut & vitam noſtram affligant, & nominis noſtri opinionem apud fratres callido commento polluant. Jam mihi non videtur tutum ut ſilentio me cohibeam amplius*. Adeo verum eſt, viam ad ſalutem animarum ſternentes dictaminum vi univerſo orbi, uti tutiorem doctrinam ſuam ſignificare teneri. Quod & aſſerit Thomas opuſc. 19. cap. 14. D. Gregorius Papa Hom. 9. in Ezech. D. Auguſtinus lib. 2. de Trinit. atque hujus rationem ibidem D. Auguſtinus oſtendit dicens: *Nobis neceſſaria eſt vita noſtra, aliis fama noſtra;* quæ tamen quantum P. Generalis curat, ut omni labe purgetur, tantum oppugnatores hoc noto ſtrepitu, hac pacis polluunt perturbatione.

Nec arguendus præterea eſt P. Generalis, ſi conſtat animo, ut ſua doctrina tanquam ſana, ſolida, tutior Pontificium apud Tribunal declaretur, elaborat. In hoc enim S. Fundatorem Ignatium imitatur, ſibi ſub Societatis initium multa & magna eſt paſſus a quodam Religioſo magni Concionatoris & pietatis in urbe condecorato nominibus, licet laudes publicas ſimulatus illius animus, quæ eidem decori erant, non promerebatur, cum vitia pectore alebat ſpecie virtutis induta. Hic enim, aliique ejuſdem notæ nonnulli *conſpiratione facta, quorum duces auctoreſque quidam etiam feruntur Hiſpani, eadem opinionum amentia laborantes contra recentem Societatem conſurgebant*, ut ait Orlandinus lib. 2. num. 47. D. tamen Ignatius eorum tela ita rejecit, ut accuſatores a ſe ipſis de mendacio accuſari coegerit. Rurſus quamvis aliter ſentirent Prælati nonnulli, & ut ſilentio damnaret injurias receptas, hortarentur, exoravit S. Fundator, ut juridice ſuimet ſuorumque So-

Digitized by Google

Sociorum innocentia, & doctrinæ pietas divulgaretur. *Tantum voluimus perſpectum eſſe honori ſanæ doctrinæ & vitæ immaculatæ. Nunquam anxii erimus, Domino concedente, dum nos dicemur indocti, rudes, loquendi neſcii, & item dum dicemur pravi, deceptores, inſtabiles; ſed dolemus, quod doctrina ipſa quam prædicamus, & via quam ambulamus, putaretur mala.* Hæc ab Ignatio ipſamet verba data cuidam Epiſcopo neceſſario ſuo, & ab eodem Orlandino ibidem relata.

De quo ergo P. in Generalem, ut ſuam parum decente dignitatem, ut Societati quammaxime nocuo culpa eſt deferenda? Non enim niſi virtuti tribuendum, talem, quem omnibus pateſeci, librum ſcripſiſſe, eumdemque typis edere contendiſſe. Nil pariter injurioſum in Societatem peractum, ſi D. Fundatoris exemplo, ut apud Tribunal maxima auctoritate conſpicuum de ſuæ conditione doctrinæ, ſuoque juſtitiæ nomine, ut haberetur ratio, curavit. Quid ergo in P. Generali repertum, quod ita animos quorumdam Jeſuitarum commoverit, ut ſuos ardentis animi motus toti Europæ non dubitarint oſtendere? Noſco, non eſt (quod quidem niſi rationum vi perſtringerer, ſilentio libenter præterirem) non eſt, inquiunt, ad gubernandum idoneus. Hoc quidem ferre non poſſum: quomodo enim qui nuper optimi Prælati laudem eſt conſequutus, dum res adeo difficiles Galliarum, ea prudentia compoſuit, ut fuerint omnes ſumma affecti admiratione; quia nunc pati illorum audaciam non vult, qui ipſi Generali cupiunt dominari, tanti muneris incapax evaſit? Profecto P. Generalis illa caret Politia, qua callidi tenebrarum filii ipſius famam pollere meditantur. At, aſſerunt, P. Generalis omnino ab Aſſiſtentium conſilio diſcedit. Parum proculdubio, ut ipſimet probe ſciunt, diſceſſit: nam omnes illas notas parum prudentis, quibus in Superiorum Romanorum delectu fuit perustus, non ſubiiſſet, licet omnibus contendiſſent nervis, qui P. Generalis regimen volunt deturpare, ut totam Societatem, harum fama notarum, qui proximo ad Generalatum accedebat, non delegiſſe pœniteret. Quod ſi P. Generalis aliquid, invito aliquo Aſſiſtente, faciendum decrevit, non ſine magno conſilio, nec niſi poſtquam fuerit Deo in conſilium uſus, perpetravit. Sed quare ſit auſus pronunciare nonnullus P. Generalem ad regendam Societatem minus aptum eſſe, optime nunc intelligo: quia cum Conſtitutionibus ea ſit auctoritate & potentia munitus, ut flectere poſſit rigoris artibus, quos nequit benignitatis, ſuæ quaſi oblitus dignitatis & potentiæ, omnes ſumma excipit benevolentia, omnibuſque favet. Ceterum ex ſuo regimine quid detrimenti eſt paſſa Societas? An maximum detrimentum, nullos non ventitare ejus cubiculum Prælatos, Principes, Cardinales, niſi qui de maximo æternæ ſalutis negotio conſilia tuta capere deſiderant, non qui quomodo poſſint ad ſummas dignitates pervenire meditantur? (Hinc ejus cubiculum nil aulæ redolere, ſed paternum ſinum exhibere, cum omnibus licet minoris æſtimationis facile pateat aditus, non ſine inviſentium magna voluntate, & admiratione.) An magnum detrimentum locum ad ipſum nullum habere, nec riſu & benevolentia excipi adulationem? Hoc quamvis magnum damnum ſit iis, qui in Societate minus ſpiritualis perfectionis ſtudioſi, ſupremi Superioris aures & benevolentiam, quam volunt, captare non poterunt.

Alius occurrit mihi de P. Generali, nonnullorum pietatis ſimulatæ amantiſſimorum queſtus. Hicque eſt, a P. Generali magnum illarum Religioni damnum, cum in præſenti ſuæ famæ diſcrimine, Patronos ſentiat ſupremos Principes, quos ipſi malirioſe judicant ſibi eum in Patronos aſciviſſe. At novum ne eſt, P. Tyrſo ita Deum ire ſuppetias, ut Summorum Principum patrocinio, quod nulla arte procuraverit, fruatur? Cum in Societate ab ſummi zeli miniſterio abſtractus, nulla alia Divinæ Providentiæ arte & patrocinio ad ſummam fuerit dignitatem evectus? Si P. Generalis illius patrocinii, de quo ipſum arguunt, fructus non perciperet, divulgarent ſane eum nihili virum eſſe, cum nihili a Principibus haberetur. Sed ſatis eminet allata a domeſticæ pacis hoſtibus magis reperta, ut ſuum finem conſequantur, nempe Congregationem Generalem, quam ut Societatis bono conſulatur. At jam jam omnibus liquet hos de P. Generali iniquos ſenſus non toti Societati ineſſe, verum nonnullis tantum qui Romæ degunt, aut degentibus Romæ perneceſſariis. Nam cum celebratæ fuerint Congregationes Provin-

cia-

ciales decem & novem, quando hæc ſcribuntur, tresdecim ex eis judicarunt minime eſſe cogendam Congregationem Generalem. Quinimmo ſummæ prudentiæ laudibus efferendum eſſe Præpoſitum Generalem, non ob ea tantum, quæ olim perpetravit, ſed ob ea etiam, quæ præſenti geſſit in Controverſia. Atque ſe jam fuiſſe deceptas aliquæ noſcunt, conqueruntur que Provinciæ, quarum ſententia Congregationum fuit pro Generali Conventu convocando. Neque ſe gaudent ſequutas eſſe exemplum Romanæ, quæ cum nunc ſentiat nullum attuliſſe ſuis Decretis Societati decus, jam cognoſcere debet illi capiti eſſe ſuccumbendum, quod toti Societatis corpori Deus impoſuit, non cui prava animi affectio, ut obſequium quiſque præſtaret, & morem gereret, fuit adhortata.

His poſitis ſignificatiſque cogetur Congregatio Generalis, ſi lubet: non deerunt, Deo favente, Societati, qui nullo alio ducti amore, quam juſtitiæ, & divinarum Societatiſque legum, ita de rebus proferant ſententiam, ut ii, qui totius Religionis pernicioſiſſimo bello decus obtenebrarint, pœnas, quibus totum cœtum affligunt, ſolvant, & triumphatis iniquorum artibus, toti Orbi P. Generalis virtus, & animi moderatio colluceat.

DOCUMENTUM QUARTUM.

Epiſtola Reverendiſſimi P. Thyrſi Gonzalez ad P. Ferrari Magiſtrum Sacri Palatii. (1)

REVERENDISSIME PATER.

Quia amanuenſis non potuit citius exſcribere tertiam Diſſertationem, quæ legi debebat poſt primam, & ſecundam, & ante quartam, & quintam, quas coram tradidi Reverendiſſimæ veſtræ Paternitati; illam nunc tranſmitto ſimul cum ſexta, & ultima. Deeſt ſeptima, quæ eſt diffuſior, & octava, quæ eſt valde brevis. Juſtis de cauſis non eo ego ipſe in perſona ad deferendum hoc manuſcriptum. Nihil aliud quæro, quam gloriam Dei, & honorem verum Religionis mihi commiſſæ, qui tam cordi mihi eſt, ut paratus ſim omnia acerba potius tolerare, quam permittere ut fama tam ſanctæ Religionis obſcuretur, ex ſiniſtris rumoribus &c.

Pro reſponſio ſatis ſit, me a nuntio deferente has litteras, ſcire quod manuſcriptum ſigillatum acceperit Veſtra Reverendiſſima Paternitas.

Reverendiſſimæ Paternitatis Veſtræ.

Devotiſs. & Obſequentiſs. Servus
Tyrſus Gonzalez.

DOCUMENTUM QUINTUM.

Libellus PP. S. J. adverſus Danielem Concinam.

Septem de cauſis Societatis Patres inhibitionem Moralis Patris *Concinæ* poſtulant.

Prima eſt, quod Societatis Patribus, ideſt ejus Scriptoribus tribuantur opiniones præter modum laxæ, licet ab ipſis non tradantur, ſicuti conſtat ex locis ab eodem Patre *Concina* citatis, qui earumdem corrumpit, immutatque ſenſum.

Altera ad Cenſuras revocatur, queis Sanctæ Sedis judicium præveniens notat haud paucas Patrum Jeſuitarum ſententias.

Tertia in artificio conſiſtit a Patre *Concina* in Indicibus adhibito, cum ibi Auctores Jeſuitas prodat veluti abſurdarum opinionum patronos.

Quarta eſt, quod Pater *Concina* ſingulis Diſſertationibus elenchum præmittat damnabilium propoſitionum, parum reverenter ſe gerendo erga ipſius etiam judicium Eccleſiæ.

Quinta ad ingem induſtriam reducitur ob hominum oculos ponendi Jeſuitas veluti corruptæ Moralis Auctores.

Sexta, quod ne regulis quidem Divi *Ignatii*, Pontificibus iiſdem, Sacriſque Romæ Congregationibus parcat.

Septima, quod e libris adverſus Jeſuitas id omne depromſerit, quod in eorumdem Moralis probrum iis continetur.

Momenta iſthæc Italico idiomate exarata,

(1) *Ext. inter Mſſ. Codices Card. Ferrari Romæ in Conventu S. Sabinæ.*

ta, non levis ſana ponderis, ſi vera fuiſſent, Libellus ſupplex conſequebatur in hæc verba.

BEATISSIME PATER.

Cum P. Concina *Theologiam quandam Moralem, in plures Tomos diſtributam, typis ediderit, quæ Societatis Jeſu, ejuſque Scriptorum famam graviter lædit, Præpoſitus Generalis ejuſdem Societatis, ad Sanctitatis Veſtræ pedes humiliter provolutus, pro juſta aliqua hujus damni reparatione demiſſiſſime ſupplicat, & rationes ob quas hujus Operis curſus inhibendus eſſe videtur, quam breviſſime poterit, hic ſubnectit.*

Prima ratio ſunt calumniæ, & impoſturæ, quarum ecce hic breve ſpecimen.

P. Concina *tom. 1. pag. 65. in Elencho propoſitionum, quas recenſet, ut damnabiles.*

Et quidem in praxi exiſtimo, nunquam, aut rariſſime denegandam abſolutionem ob doctrinæ Chriſtianæ ignorantiam: quia ruſtici ignorantes non habent commode Doctorem, Confeſſor poteſt illos inſtruere, nec iſti majorem addiſcendi capacitatem habent. Thomas *Sanchez* lib. II. Summæ cap. 3. n. 21.

Thomas Sanchez *loco citato.*

Et quidem in praxi exiſtimo, nunquam, aut rariſſime denegandam abſolutionem ob doctrinæ Chriſtianæ ignorantiam: quia ruſtici ignorantes non habent commode doctorem, & Confeſſor poteſt illos inſtruere, nec ipſi majorem addiſcendi capacitatem habent.

Et illum numerum 21. Sanchez *ſic orditur.*

Ex his deducitur, teneri Confeſſarios interrogare Pœnitentes doctrinam Chriſtianam, quoties probabiliter judicari poteſt, fore ut illam ignorent.

Quamobrem ſenſus Sanchez *eſt, rariſſime denegandam eſſe abſolutionem ruſticis ignorantibus Doctrinam Chriſtianam, quia Confeſſor poteſt, & tenetur illos inſtruere. Et* Concina *affingit, quod dicat, rariſſime denegandam iſtis eſſe abſolutionem, nec Confeſſarios poſſe illos inſtruere.*

Concina *tom. 2. p. 4. in Elencho propoſitionum, quas recenſet ut damnabiles.*

Nemo ex neceſſariis ad ſuum ſtatum conſervandum tenetur eleemoſynam pauperibus elargiri, niſi extrema neceſſitate laborent. P. Matthæus *Moya* tom. 1. tract. 6. diſp. 6. quæſt. 4. §. 3. n. 21.

Moya *tom. tract. diſp. & quæſt. citatis, ſed* §. 5. n. 23.

Præceptum eleemoſynæ obligare in extrema neceſſitate ad ſubveniendum proximo ex neceſſariis ad ſtatum, etiamſi ex eo patiaris grave damnum in dignitate, & faſtu externo, eſt communis Doctorum ſententia, & veriſſima.

Concina *tom. 1. pag. 165.*

Licitum ne duellum eſt ad evitandum periculum vitæ, honoris, aut fortunarum? Reſpondeo, non modo acceptare licite duellum ad ejuſmodi declinanda mala, verum indicere etiam te illud poſſe, docent... *Sanchez* lib. 2. in Decalogum c. 9. 39. n. 8.

Ac pag. 166. ſic repetit.

Excuſandi tamen ſunt perdocti Salmanticenſes, de re Theologica optime meriti, mihique variis titulis magnopere colendi, quod ante damnatam propoſitionem ſcripſerint, & quod a *Sánchez* prius traditam doctrinam acceperint.

Sanchez loco citato.

Tertia cauſa eſt defenſio vitæ propriæ, & ob hanc cauſam non licet ſponte duellum acceptare, quia, etſi liceat vim vi repellere, ſe ab invaſore defendendo, etiam eum necando, quando aliter vita defendi nequit; at hoc non eſt duellum, ſed quando ex condicto ſponte inducitur, aut acceptatur certamen; quod non eſt vitam defendere, ſed eam periculo exponere.

Et n. 9. ſic pergit Sanchez.

Quarta cauſſa eſt defenſio proprii honoris... at dicendum eſt, hanc non eſſe juſtam

ſtam acceptandi duelli cauſſam, ſed eſſe culpam mortalem acceptare.

De periculo fortunarum ne verbum quidem apud Sanchez, *qui eam quæſtionem non attingit. Si* Concina *noluit defendere Jeſuitam* Sanchez, *ut defendit Salmanceſes, ſaltem eſſet, ſcribendo contradictoria, turpiſſime calumniatus.*

Concina *tom. 2. pag.* 417.

Beneficiarius omittens officium Divinum uno, aut altero die, vel per octo, aut decem dies, tenetur ne reſtituere fructus correſpondentes tali tempori? Negant plures recentiores Probabiliſtæ. Paulus *Layman* tract. 7. c. 5. n. 1.

Paulus Layman, *non loco perperam citato a* Concina, *ſed lib.* 4. *tract.* 2. *c.* 5.

Beneficiatus, poſt primum ſemeſtre canonicas horas dicere omittens, ante judicis ſententiam reſtituere tenetur fructus, tempori negligentiæ correſpondentes, eo pacto, ut ſi *v. g.* 360. aunnos aureos ex beneficio uno, vel pluribus percipiat, unum aureum in uſum pium erogare cogatur ob integrum unius die intermiſſum officium; dimidium aurei vero ob intermiſſum officium matutinum cum laudibus. Ita habetur in dictis Conſtitutionibus Concilii Lateranenſis, & Pii V. & conſentiunt Doctores communiter contra Sylveſtrum (*Dominicanum*) verbo *Clericus* 4. q. 23.

Etſi vero Sotus (*Dominicanus*) lib. 10. quæſt. 5. a. 6. 3. Reſol. c. 13. n. 10. in fine, quibus favet Bartholomæus *Medina* (*Dominicanus*) cit. §. 11. *Lopez* (*Dominicanus*) par. 2. Inſtruct. c. 95. in ea opinione fuerint, quod Beneficiatus, uno, aut altero anni die officium Canonicum prætermittens, ad nullam fructuum reſtitutionem obligetur, quia neque pius, & clemens Dominus de ſalario famuli detulit ob unius, vel alterius diei neglectum ſervitium, ſi reliquorum, ſicuti oportebat, præſtitum fuit; reliqui tamen Doctores fere communiter repugnant, quia in Conſtitutione Pii V. clare exprimitur, non tantum ob unius diei, ſed etiam unicæ horæ culpabilem officii omiſſionem reſtituendi obligationem pro rata incumbere.

Concina *tom.* 2. *pag.* 426.

Nec minorem laxitatem prodit, quod ſubdit *Leander* ex *Bonacina*, *Laymano*, & *Concina Vindiciæ*.

aliis, poſſe nempe extendere hanc fructuum applicationem ad ſorores, fratres, & matrem, non ſolum ſi ſint mendici, ſed etiam ſi neceſſariis ad decentiam perſonæ, & ſtatus careant.

Layman *citatus ſuperius lib. IV. tract.* 2. *cap.* 5.

Illud recte admonet *Navarrus* c. 7. de Oratione n. 34. quem reliqui ſequuntur, ſi ipſemet Beneficiatus pauper ſit, tunc fructus reſtituendos eidem per modum eleemoſynæ applicari poſſe. Tametſi conſultum erit hoc caſu, ſi Confeſſarius aliam ſimilem ſatisfactionem imperat, *V. G.* ut oret, vel ſacrificet pro defuncto Fundatore, ſicuti monet *Suarez* citat. cap. 30. n. 19.

Et ne verbum quidem habet de ſororibus, fratribus, matre, & multo minus de defectu neceſſariorum ad decentiam ſtatus, & perſonæ.

Concina *tom.* 2. *pag.* 493.

Qui ſolus nequit, cum ſocio vero poteſt, officium perſolvere, tenetur ne ſocium adhibere, ſi commode eo uti poteſt? ... *Filliucius*.... *Laymanus*... diſtinctione utuntur. Si oculis caligans, vel cæcus effectus ſolitus erat ſocium adhibere in recitandis horis, antequam impedimentum contraheret, tenetur ſocium adhibere, ut penſum ſolvat; ſecus vero qui talem non habebat conſuetudinem. Hæc diſtinctio inanis eſt, & rationis vacua. Conſuetudo enim adhibendi ſocium, nullum novum inducit jus, vel obligationem.

Filliucius *tract.* 23. *cap.* 9. *n.* 29.

Qui non poteſt dicere ſolus, ſi poſſit cum ſocio, & illum habeat ad manum ſine magno incommodo, tenetur horas recitare; quia hoc ipſo, quod facile poteſt cum ſocio, non poteſt dici impotens. Idem dicendum de cæco, ſi memoriter ſciat horas, vel cum ſocio poſſit alternos verſus Pſalmorum dicere.

Ubi ne verbum quidem de illa diſtinctione, vel conſuetudine, ſi ſolitus erat ſocium adhibere.

Layman *lib.* 4. *tract.* 1. *cap.* 6.

Si aliquis, qui cum ſocio recitare ſolitus ante non fuit, ob incidentem morbum

V. G. oculorum, ſolus recitare non poteſt, non eſt obligatus (*notetur*, *Beatiſſime Pater*, *ad quid*) ut ſocium, ſive famulum ſtipendio conducat, niſi facile id fieri queat.

Ubi, ut eſt evidens, non liberat ab obligatione recitandi ob illam conſuetudinem, ſed ob ſtipendium ſolvendum.

Concina *tom.* 3. *pag.* 117. *in Elencho propoſitionum, quas proponit ut damnandas.*

Si voviſti redimere jacturam temporis comprehendiſti ludum etiam moderatum, itemque ludum pro alio, quia vere luderes cum jactura temporis. Poteris tamen per alium ludere, licet aſpiciendo perdas tempus. *La-Croix* lib. 3. part. 1. num. 454.

La-Croix *loco citato*.

Si voluiſti (vovendo abſtinentiam a ludo) redimere jacturam temporis, comprehendiſti ludum etiam moderatum, itemque luſum pro alio, quia vere luderes cum jactura temporis. Poteris tamen per alium ludere, licet aſpiciendo perdas tempus.

Accuſatio.

Calunia ſtat in permutatione illius verbi voluiſti *in* voviſti. *Nam ſi quis vovit non perdere tempus; non perdere tempus eſt materia voti, & violat votum, qui in quacumque re E. G. in aſpiciendo ludum alienum, perdit tempus. At ſi quis vovendo abſtinentiam a ludo ſuo perſonali, voluit non perdere tempus, ut dicit:* La-Croix: *non perdere tempus, eſt cauſa finalis voti: & materia voti eſt abſtinentia a ludo perſonali. Porro, licet adſint in aliqua circumſtantia ratio, ſeu finis voti; ſi tamen non adſit materia promiſſa, votum non obligat in conſcientia, ut ſolide oſtendit* Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 4. de voto cap. 3. n. 9. Aliter in caſu noſtro, qui voviſſet abſtinere a ludo ſuo perſonali ex hoc fine, ne perdat tempus, violaret votum confabulando cum amicis, ruſticando, & aliis ſimilibus incumbendo, in quibus perditur tempus.*

Concina *tom.* 3. *pag.* 390.

Duo hic docet *Tamburinus*, quorum unum certiſſime falſum eſt, nempe, quod jurans ſine animo jurandi non juret; quæ propoſitio ab Eccleſia damnata eſt, ut infra videbimus.

Et in Indice ſic ponit.

Tamburinus laxas docet propoſitiones de juramento . . . & aliam damnatam ſine animo jurandi.

Propoſitio 25. *damnata* ab Inn.XI. *eſt hæc: Cum cauſa licitum eſt jurare ſine animo jurandi, ſive res ſit levis, ſive gravis.*

Hæc autem propoſitio: Jurans ſine animo jurandi, non jurat: *numquam eſt inter damnatas. Et defenditur cum plurimis a* Suarez lib. 1. de juramento *cap.* 1. *n.* 8. *his verbis*: Nihilominus dicendum eſt, intentionem jurandi eſſe omnino neceſſariam ad conſtitutionem, ut ſic dicam, juramenti, & ad veritatem ejus in eſſendo: ſine intentione jurandi fictum juramentum eſt, non re verum, etiam ſi aſſertio, in quam cadit, revera ſit. Ita ſentiunt Doctores omnes, quos infra referam.

Accuſatio.

Ergo inique Concina calumniatus eſt, tum in Libro, tum in Indice Tamburinum, *tanquam docentem propoſitionem damnatam.*

Concina *tom.* 4. *pag.* 408.

Culpa ne gravis eſt aſpectus membrorum turpium ſive mulieris, ſive viri? Reſpondeo... *Sanchez* lib. 9. de Matrim. diſp. 46. *n.* 21. *Navarrus*, & alii negant.

Sanchez *libro, & diſput. citatis*, *n.* 22.

Abſque urgenti neceſſitate virum conſpicere verenda fœminæ, aut e cóntra, mortale eſt, quamvis non ex libidine fiat, ſed ex indiſcreta mortificatione aut curioſitate, quia valde honeſtati naturali adverſatur... Deinde quia aſpectus talis eſt urgentiſſimus luxuriæ ſtimulus, & graviſſimo illius expoſitus. Atque idem credo de partibus valde vicinis membris pudendis ob eaſdem rationes.

Cap. vero 21. *citato a* Concina *nihil habet de aſpectu membrorum turpium.*

Concina *tom.* 4. *pag.* 444.

Datur ne materiæ parvitas in genere luxuriæ? Reſp. Affirmant *Eſcobar* Theol. Moral.

Moral. tract. 1. exam. 8. cap. 3. Leſſ. lib. 4. de jure cap. 3. dub. 8. *n*.49.

Eſcobar *loco citato*.

Datur ne in rebus venereis parvitas materiæ ? Minime. Cum enim nulla ſit tam exigua fornicatio, quin ſit peccatum mortale, & delectatio moroſa in hac materia erit peccatum mortale.

Leſſius *libro*, *capite*, *& dubio citatis*, *ſed n.59. non 49.*, *ut perperam* Concina, *poſt allata argumenta pro ſententia admittente talem parvitatem*, *ſic ſubdit*; Hæc ſententia videri poteſt alicui probabilis, & ſpeculative vera. Unde in eam valde inclinat *Navarrus*, eamque tenet Martinus *de Magiſtris*, & aliqui Recentiores. Verum communior ſententia eſt, in iſtis eſſe peccatum mortiferum, quæ & mihi probatur, tum quia communior, tum quia tutius eſt, ut omnia iſta quammaxime vitentur.

Concina *tom.* 5. *pag.* 214.

Poſtquam retulit, *& pluribus ſarcaſmis irriſit opinionem* P. Vivæ *de potu chocolatis ita ſubdit*:

Interim hæc opinio, quam P. Viva pia intentione reputavit probabilem, mihi non modo falſa eſt, ſed ſcandali plena.

Et in Indice hæc ſcribit: Viva P. Dominicus laxa docet de potu chocolatæ.

Viva in Trutina *ad propoſitionem* 29. Alexand. VII. *n.* 20. *ad quem locum ſe remittit in ſua Theologia Morali*, *poſt verba excogitata a* Concina, *ſic habet*:

Communior tamen ſententia in praxi tenenda eſt, quod ſcilicet jejunium violet. Verum qui cum laudatis Doctoribus vellet, eſſe potum uſualem, atque adeo non frangere jejunium, advertat oportet, quod apte notat inter alios idem *Brancatius* in ſuo eruditiſſimo opuſculo de potu chocolatis, tunc illum habere rationem potus uſualis, quando ſumitur in ea quantitate, qua Indi eam ſumere ſolent ad ſedandam ſitim.

Utrum Viva *doceat laxa*, *& ſcandali plena de potu chocolatis*, *an vero* Concina *cenſuræ ſuperaddat impoſturam*, *penes Sanctitatem veſtram judicium eſt*.

Plurimæ aliæ impoſturæ prætermittuntur, *ne Sanctitati veſtræ tædium creetur*. *Pluſquam centum Theologis deſignatis ſunt exbibitæ*, *qui de illis teſtari poſſunt*.

Secunda ratio inhibendi curſum hujus Theologiæ ſunt convicia, *notæ*, *cenſuræ a Decreto* Innocentii XI. *graviter prohibita*. *Omnes Tomi hujuſmodi rebus pleniſſimi ſunt*. *Breviſſimum tantum ſpecimen hic ſubiicietur*.

Tom. 1. *pag.* 289. Quis unquam hiſcere auſus fuerit, ſi dixerimus Caſuiſtarum plures futiliſſimis diſtinctiunculis frequenter elevare ſacrarum legum auctoritatem ? Si dixerimus, tantum apud ipſos valere quaſdam blictricas diſtinctiones ?.

Tom. 2. *pag.* 53. Divitum ergo Confeſſarii Chriſti Evangelium, Patrum doctrinam, non *Dianæ*, non *Tamburini*, non *La-Croix* opiniunculas præ oculis habeant: *Pag.* 197. Non minus falſa, & erronea eſt ſequens propoſitio, quam docet P. Paulus *Layman*: *Pag.* 196. Sententia *Palai*, & *Mendozæ*, ſed & erronea quoque eſt: *Pag.* 291. Hæc opinio eſt pluſquam falſa, & ſcandali plena.

Tom. 3. *pag.* 4. Hæc opinio ex ſe ſuam prodit laxitatem, ne dicam horrorem: *Pag.* 30. Horrent hæc piæ aures, & magis deteſtatione, quam impugnatione rejici illa debent: *Pag.* 52. Hæc mihi monſtruoſa videntur paradoxa . . . . vel erronea commenta: *Pag.* 103. Audi *Leandrum*, ſumma, & horrenda laxitate Probabilizantem: *Pag.* 171. Et tamen La-Croix hujuſmodi monſtra, ut certas morum regulas, obtrudit. *Pag.* 339. Quæ propoſitio falſa omnino mihi eſt, & ſcandali plena.

Tom. 4. *pag.* 141. *Loquens de quadam doctrina* P. *Suarez*: Hoc non modo Evangelicæ, ſed ethnicæ quoque Philoſophiæ repugnat: *Pag.* 148. Hæc concluſio laxa, & falſa eſt, Scripturarum, & Patrum doctrinæ adverſa, & horrorem incutit: *Pag.* 152. Sit ne hæc doctrina antievangelica, alii judicent.

Sed notatu digniſſimum eſt, *Beatiſſime Pater*, *quod habet eodem tom.* 4. *pag.* 206. *ubi ſic*.

Hæc ſunt monſtra, & portenta omnium horrendiſſima, quorum in univerſa Ethnicorum Morali Philoſophia nec leve veſtigium occurrit. En Probabiliſmi abortivos fœtus, & inaudita laxitatis commenta... Deteſtabilior inſuper eſt *Leandri*, aliorumque doctrina.... Quod quam ſit ſceleſtum, quam inhumanum, quam monſtruoſum, nemo rationis compos non videt.

det. Quorſum, inquies, tum acris declamatio? Ut hinc colligas, quanta ſit his, & ſimilibus Theologis fides adhibenda. Qui enim præfatas opiniones in publicum obtrudere audent, qui eaſdem pœnitentibus conſulendas affirmant, digni ne ſunt, ut Magiſtrorum loco in animarum regimine habeantur? (*Noſcit Sanctitas Veſtra quos deſignet*). Si enim vel ipſa prima naturæ principia evellere, ſi vel inſita naturæ lumina tanta tenebrarum caligine obducere pertentarunt; inferas velim, quæ in obſcurioribus controverſiis dicturi ſint . . . Eo pertinent verba hæc mea, (*animadvertat quæſo Sanctitas Veſtra, quomodo diſertis verbis præſeferat in hac ſua Theologia, nempe amandare in malam crucem Caſuiſtas, præſertim Jeſuitas, omnem ipſis fidem adimere, nec ſuſpectos ſolum, ſed abominabiles reddere*) ut te admoneam, ne in rebus dubiis nullam his Auctoribus fidem adhibeas, nec quidquam eorumdem auctoritati tribuas. Si enim in tanto naturæ lumine cæcutiunt, & paradoxa adeo immania cudere non erubeſcunt, numquid in difficillimis quæſtionibus veritatem tibi pandent? .... Hæc illis duntaxat diſplicebunt, qui partium ſtudio præoccupati non tam communi profectui, quam vanæ exiſtimationi ſtudent. Cæterum arridebunt omnibus æquis rerum arbitris, qui æternam animarum ſalutem privatorum hominum quorumdam judicio, & famæ præferendam ſciunt.

Beatiſſime Pater, *hæc pauca ex aliquibus tomis decerpſiſſe ſufficiat; cæterum pro certo habeat Sanctitas Veſtra, quemadmodum deſignati Theologi teſtari poſſunt, nullum eſſe tomum, nullam diſſertationem, nullum caput, immo ferme nullam paginam, quæ hujuſmodi vel notis, vel injurioſis debacchationibus non ſit referta.*

Tertia ratio eſt malitioſum artificium texendi Indices. Pauciſſima hic exempla ſubnectuntur, ne patientia Sanctitatis veſtræ, & clementia abutamur.

Verbo Sanchez *tom.* 1.: Sanchez (P. Thomæ) de infidelibus doctrina, Pyrrhoniſmum invehens in religionis negotio. Ejuſdem laxa doctrina. Alia ejuſdem in damnatis propoſitionibus contenta doctrina.

Tom. 2.: docet propoſitionem 51. damnatam ab *Inn. XI.* Item laxam de cooperatione ad peccatum.... Item laxam de recitatione officii.

Tom. 3.: Laxe, & monſtroſe docet, pro divinatione acceptum, non eſſe reſtituendum, modo Divinans ſit uſus arte Diaboli... Laxe docet, jurare poſſe ut vera, quæ cognoſcimus tantum conjectura probabili.... Docet multas propoſitiones laxas, & nonnullas damnatas de æquivocationibus, & reſtrictionibus mentalibus. Juſta de cauſſa Auctor eſſe probatur propoſitionum 27. & 28. damnatarum ab *Inn. XI.*

Tom. 4.: Laxam de luxuria ſententiam docet, & aliam de eadem pariter laxam.... Alias laxas propoſitiones docet de mendacio.

Tom. 5.: Laxam propoſitionem docet de præcepto audiendi Miſſam, & aliam laxam de jejunio. Laxe eximit a jejunio &c.

Verbo Tamburinus (P. Thomas) laxam opinionem docet de ſepultura, decedentibus in loco duelli concedenda.... Aliæ ejuſdem laxæ de ſcandalo propoſitiones.... Ejuſdem damnata ab *Innoc. XI.* propoſitio 51. de cooperatione ad peccatum.... Alia ejuſdem laxa propoſitio in materia Religionis. Aliæ ejuſdem laxæ ſententiæ.... Alia laxa de Miſſa, & horis canonicis.... Alia laxa de eiſdem horis canonicis in choro recitandis.... Alia laxa de eiſdem ob dubium tenuitatis Beneficii.

Et quolibet alio Tomo, Beatiſſime Pater, Verbo Tamburinus *leguntur ſimiles Indices, & aliquando atrociores.*

Verbo Viva: Tom. 3. *Viva* (P. Dominicus) Laxas docet propoſitiones de juramento.... Male adjudicat Tamburino propoſitionem damnatam de jurante ſine animo jurandi.... Caute legendus eſt in expoſitione damnatarum propoſitionum.... Non recedit a ſenſu propoſitionis 25. damnatæ ab *Inn. XI.*.... Reſtrictionem non pure mentalem defendit uſu duplicis ſcientiæ, communicabilis, & incommunicabilis.... Extenditque ad omnes homines, gravi cauſa urgente.... Et ad ruſticos, quando commoda non occurrit reſtrictio externa. Doctrina ejuſmodi recidit in ipſam propoſitionem proſcriptam.... Male contendit, propoſitiones damnatas de reſtrictionibus mentalibus damnatas eſſe ſolum in earum obvio ſenſu; non vero, ut

ſunt

Digitized by Google

ſunt in eorum Auctoribus... (*obiter notetur*, Innoc. XI. *aperte profiteri*, *ſe illas propoſitiones damnare*, *ſicut jacent*) .... Hæc doctrina favet Janſeniſmo, & falſa eſſe oſtenditur.... Ejus commentaria in propoſitiones damnatas caute ſunt legenda.

Tom. 4. Damnatam propoſitionem de homicidio ob defenſionem honoris & famæ male abjudicat *P. Amico*.... Pejorem ea, aut ſaltem æque noxiam propoſitionem docet.... Et aliam laxam.... Et alias pariter laxas.... Et aliam laxam, enervantem propoſitionem 31. damnatam ab *Inn. XI.* & aliam pariter laxam.... Et aliam laxam de occaſione proxima.... Laxam docet ſententiam adverſus ſinceritatem Confeſſionis.... Aliæ ejuſdem laxæ propoſitiones de furto. Laxam de occulta compenſatione ſententiam docet. Laxam docet ſententiam de mendacio.... Improbatur, ut ſcandaloſa, ejus doctrina, qua ait non peccare contra juſtitiam eum, qui imponit alicui falſa crimina ad tuendam propriam famam.

Scandaloſa hæc doctrina, *Sanctiſſime Pater*, *nuſquam reperitur in* P. Viva, *qui in expoſitione propoſitionis* 43. & 44. Innoc. XI. *n.* 11. *apertiſſime docet contradictorium his verbis:* Si advertatur ad ea, quæ diximus, in aperto erit.... eſſe illicitum, tum contra veracitatem, tum contra juſtitiam imponere alteri falſum crimen, etiamſi dicatur, id fieri ad defenſionem.

Sed ut revertamur ad Indices, & *ne infiniti ſimus*; *ſimiles prædictis ſunt omnes prorſus Indices*, *quos in quolibet ferme Tomo* Concina *attexit Verbo* Tamburinus. *Verbo* Viva. *Verbo* La-Croix. *Verbo* Layman. *Verbo* Gobat, & *reliquis Jeſuitis*, *ut intuitu oculi legenti patebit*.

In quo quidem malitioſo artificio plurima ponderanda ſunt.

Primum. *Conglobatio illa non interrupta laxitatum*, *ſub unico aſpectu propoſita*, *multo majorem abominationem conciliat Auctoribus*, *quam ſi ſparſim in opere legerentur*, *vel ſaltem cum tot aliis eorum rectis ſententiis intermiſcerentur*.

Secundum. *Ipſe* Concina *millies citat in decurſu operis eoſdem Jeſuitas pro confirmandis opinionibus*, *quas* & *ipſe approbat*; & *tamen in Indicibus nuſquam meminit earum opinionum*, *quas*, *ipſo duce*, *recte docuerunt*, *ſed de induſtria coacervavit id ſolum*, *quod eorum famæ nocere poteſt*.

Tertium. *Multas ejuſmodi ſententias docuerunt Dominicani*. *Aliquos ingenue citat in corpore Librorum ipſa* Concina. *Multo plures Theologis*, *a Sanctitate Veſtra deſignatis*, *ſunt exhibiti*; & *tamen in Indicibus in ſolos Jeſuitas exoneratur invidia*.

Quartum. *Plures ſententiæ*, *quas in Indice appellat laxas*, *aut laxæ non ſunt*, *vel a* Concina *multum diſformatæ*, *atque adulteratæ*, *ut prædicti Theologi luculentiſſimi teſtes eſſe poſſunt*.

Quarta ratio eſt. *Quia initio ferme omnium Diſſertationum texit elenchum propoſitionum*, *quas affert ut damnandas*. *Qua in re privatus homo erigit tribunal*; *antevertit judicium Sanctæ Sedis*, & *quantum eſt in ſe*, *palam*, & *apud omnes vulgato typis opere propoſitiones prædamnat*.

Quinta ratio eſt. *Quia in tota hac Theologia ſummo ſtudio conatur perſuadere*, *Jeſuitas fuiſſe Auctores propoſitionum damnatarum*, *quod unice ad deſiderium dehonorandi Auctores Jeſuitas*, *non ad zelum animarum referendum eſſe videtur*. *Quicumque enim Auctores fuerint earum propoſitionum*, *ſatis conſultum eſt laxitati doctrinæ moralis per illarum damnationem*. *Hujus ſtudii*, & *ſollicitudinis Concinianæ exemplum proferam*.

Tom. 9. *a pag.* 586. *ad* 609. *omnem movet lapidem*, *ut perſuadeat*, P. Suarez *docuiſſe ſententiam de Confeſſione inter abſentes*, *damnatam a* Clemente VIII. *Cum vero ex verbis* Suarezii *id oſtendere nunquam potuerit*, *confugit ad externa argumenta*. *Angelicam Bibliothecam excuſſit*, & *neſcio quod monumentum chartaceum*, *ad rem ſuam faciens*, *extraxit*, & *typis vulgavit*, *qui tamen codex chartaceus*, *cujus ſit Auctoris*, & *cujus auctoritatis*, *ignoratur*.

Ut vero facilius hæc omnia omnes reſcirent, *ita ſcribit in Indice Verbo* Suarez: Suarez (*F. Franciſcus*).... Quomodo Decretum *Clementis VIII.*, eam opinionem damnantis, ſit interpretatus. Decreta, quæ circa hanc interpretationem a *Paulo V.* emanaverunt. Ante Decretum *Clementis VIII.* opinionem de Confeſſione epiſtolari, ut probabilem propugnaverat *Suarez*. Evincitur teſtimoniis Theologorum

rum.... Ineluctabili producto Documento demonſtratur.

Ubi præter ſuperadictum ſtudium appingendi Jeſuitis per fas, & nefas propoſitiones damnatas, duo notanda ſunt.

Primum. Sæpiſſime citat cum laude P. Suarez *in hac Theologia tota; & tamen in Indicibus nihil eſt, quod ad laudem* Suarii *pertineat, ſed ſolum quod putavit pertinere ad vituperationem.*

Secundum. In hoc tomo 9. pag. 614. ſincere fatetur, quatuor Dominicanos, Petrum de Tarantaſia, Paludanum, S. Antoninum, *Petrum* Soto, *alioſque defendiſſe ſententiam damnatam.* Hos ego igitur (*Concina*) aliquid humani paſſos eſſe, & talem opinionem docuiſſe, candide fateor; *& tamen in Indice Sanctitas Veſtra* Suarezium *leget, Dominicanos non leget.*

Sexta ratio. Sunt quædam injurioſa, quæ in perſonas veneratione digniſſimas redundant. Tria tantum exempla proferam.

Primum. Tom. 2. p. 139. verſans quandam Regulam S. Ignatii, quæ ſic habet: Ad majorem in ſpiritu profectum, & præcipue ad majorem utilitatem propriam, contentus eſſe quiſque debet, ut omnes errores, & defectus ipſius, & res quæcumque, quæ notatæ in eo & obſervatæ fuerint, Superioribus per quemvis, qui extra Confeſſionem eas acceperit, manifeſtentur. *Concina ſubdit:* Quod in hac controverſia mihi faceſſit negotium, illud eſt, quod nulla Religio diſciplinam profitetur perfectiorem illa, quam Chriſtus ipſe in ſuo Apoſtolico Collegio inſtituit. Hanc perfectionem omnes Sacri Ordines ſequendam amplectuntur. Porro Chriſtus Dominus ea omnia præſcripſit, quæ ad hunc finem obtinendum conducunt. Inter alia autem præcipit, ſecreto corrigendum eſſe delinquentem fratrem. Qui contendunt (*nempe S. Ignatius*) melius efficaciuſque incolumem diſciplinam conſiſtere, ſi, neglecto fraternæ correctionis ordine, immediate ad Prælatum denunciandum delictum afferatur; hi profecto Evangelium corrigere, regulaſque perfectiores, ac prudentiores præſcribere velle videntur.

Quam hoc ſit honorificum ſancto Legislatori, ſummiſque Pontificibus, Inſtitutum noſtrum approbantibus, & ſub pœna excommunicationis prohibentibus, ne qua ejus pars directe, vel indirecte impugnetur, nemo non videt.

Secundum. Tom. 2. p. 104. defendens, eſſe vetitum jure divino, ne Beneficiarii teſtentur in favorem conſanguineorum; ita ſcribit:

Objicies 8. Pontifices in dies facultatem tum Beneficiariis, tum ipſis Epiſcopis Regularibus, teſtandi etiam in uſus profanos, nempe in favorem conſanguineorum, concedunt. Falſa ergo oppoſita ſententia. Reſpondeo. Non de eo, quod Pontifices ſummi peragunt, ſed de eo, quod ſuis conſtitutionibus agendum præſcribunt, modo diſputamus. Plura impertiuntur Pontifices ſummi, inquit S. Bernardus, aut mendacio decepti, aut importunitate victi.... Futile itaque eſt, & vaniſſimum ſophiſma iſtud, a Pontificum diſpenſatione petitum.

Igitur Pontifices, qui prædictam facultatem conceſſerunt, fuerunt ſocordes, vel debiles, aut mendacio decepti, aut importunitate devicti conceſſerunt aliquid fieri, quod a lege divina vetitum eſt.

Tertium eſt. Tom. 8. pag. 390. recenſens, ut ipſe ait, invictas cauſſas communionum ſacrilegarum, ſic ſcribit: Quid de ipſis perſonis Deo conſecratis dicam? Moniales ſimoniæ ſcelus, quod perpetrant, dum a puellis ad habitum Religionis admittendis dotem, & vitalitium exigunt, falſo ut plurimum titulo paupertatis Monaſterii inſtantes.

Igitur, Beatiſſime Pater, *non Moniales modo ſimoniam committunt, ſed Pontifices, & ſacra Congregatio Cardinalium ad ſimoniam cooperantur, dum facultatem admittendi puellas non concedunt, niſi dotem perſolvant.*

Septima ratio eſt. Quia P. Concina *in hac ſua Theologia reſcripſit, & recoxit quidquid contra Societatis Auctores ſcripſerunt* Montaltius *in* Litteris Provincialibus, Wendrochius *in ſuis notis, Auctor* Theologiæ Moralis Jeſuitarum, *Vincentius* Baronius *in* Ethica Chriſtiana, *& præſertim Henricus* a S. Ignatio in Ethica Amoris, *qui omnes damnati ſunt. Hos ipſe non imitandos ſolum, ſed ferme verbatim a ſe exſcribendos, & dicacitate ſuperandos propoſuit, ut Theologi deſignati teſtari poſſunt, ut quæ probra, contra Societatem in iſtis damnatis libris diſperſa, ab omnibus legi non poterant, in hac* Conciniana *Theologia collecta, & aucta impenſe jam a quolibet de vulgo legi poſſint,*

Cum

Cum igitur, Beatiſſime Pater, nullus hactenus liber ne ab Hæreticis quidem prodierit Societati noſtræ infenſior, ac pernicioſior: nullus qui pluribus impoſturis, conviciis, cenſuris, & injurioſis debacchationibus ſcateat: nullus qui venenum, contra Societatem in aliis diſperſum, plenius in unum colligat: prædictus Præpoſitus Generalis tum ſuo, tum univerſæ Societatis in Comitiis Generalibus congregatæ nomine, damni hujus reparationem, atque Operis proſcriptionem a Sanctitate Veſtra ſuppliciter, ac demiſſiſſime petit. Quod ſi conceſſerit, immortalia ſua erga Ordinem noſtrum merita novi hujus beneficii acceſſione munificentiſſime cumulabit.

DOCUMENTUM SEXTUM.

Libellus ſupplex Fr. Danielis Concinæ *oblatus Benedicto XIV. adverſus Libellum ſupplicem a Reverendiſſimo Patre Ignatio Vicecomite Præpoſito Generali S. J. nomine totius Societatis eidem Pontifici porrectum.*

BEATISSIME PATER.

FR. *Daniel* Concina *ad Sanctitatis Tuæ pedes humillime provolutus exponit; quatenus momenta atque rationes, quas RR. PP. Societatis adverſus* Theologiam Chriſtianam *protulerunt, ejuſdem Theologiæ ſatis firmam conficiunt apologiam. Indicabo S. V. quidquid veri, ac falſi opponitur mihi.*

Oppoſitio I. In Theologia Chriſtiana *cuique tractatui damnatarum laxarumque opinionum Elenchus præmittitur; quo modo judicium Eccleſiæ prævenitur.*

Reſponſio. In hujuſmodi Elencho præmittendo illuſtriores Theologos ſecutus ſum. Card. Pallavicinus, *cujus verba in adjuncta huic libello ſcriptione profero, ſic eſſe faciendum docet. Imitatus etiam ſum P.* Francolinum, *qui pariter Elenchum præmittit propoſitionum ex operibus* Merbeſii, Juvenini, *ac Præſulis* Genetti *excerptarum, quas Rigoriſmi fuligine tinctas eſſe arbitratur. Falſum autem eſt me Eccleſiæ judicium prævenire, quia centum in locis me, tanquam privatum Theologum eas referre opinationes, eaſque ſuperiorum judicio ſubjicere ac reſervare, proteſtatus ſum.*

Opp. II. Opiniones laxæ in Elenchis collectæ alteratæ ſunt, ac deformatæ.

Reſp. *Ex quingentis circiter laxis opinionibus, collectis ex Caſuiſtis Carmelitis, Trinitariis, Jeſuitis, Clericis Regul. aliiſque ſcriptoribus ſæcularibus in mea* Theolog. Chriſt., *tres mihi tantum opponuntur; una ſcilicet ex* P. Moya *tanquam ab ipſo propugnata, quum tantum referatur: altera ex P.* Sanchez, *in qua typorum error irrepſit;* Nec *ſcilicet loco* Et; *tertia demum ex P.* Lacroixio, *in qua etiam typographicus occurrit error;* Voviſti *nempe loco* Voluiſti. *Aliæ propoſitiones, præter iſtas, alteratæ non afferuntur. Tria igitur iſta errata in adjuncta ſcriptione retracto.*

Opp. III. In novem Chriſt. Theolog. *Tomis ſex Jeſuitarum Caſuiſtarum citationes falſæ occurrunt,* Sanchezii *ſcilicet,* Laymani, Eſcobarii, *ac* Filliucii.

Reſp. *Hæ omnes ſex citationes ex PP.* Salmanticenſibus *deſumptæ ſunt, qui nunquam, quod ego ſciam, a PP.* Viva, Lacroixio *aliiſque de his expoſtulati ſunt. Nihil frequentius ingentium ſcriptoribus voluminum evenit, quam in citandis Auctoribus aberrare, ut fortaſſe Sanctitas Tua experta eſt. Ceterum, cum hiſce de rebus admodum levibus, parvique momenti neque litem intendere, nec contentionem movere velim, ſex mihi objectas citationes libens rejicio, atque retracto. Atqui hi quidem errores ſunt in* Theolog. Chriſt. *deprehenſi, mihique oppoſiti. Ceteræ omnes oppoſitiones aut falſæ evidenter ſunt, aut falſa continent ratiocinia, quemadmodum breviter heic innuam, plura in adjuncta ſcriptione prolaturus.*

Opp. IV. In Theologia Chriſtiana *contemtui habetur D. Ignatius circa renuntiationem ſecretæ correctionis. Ad id demonſtrandum verba proferuntur ex Tom. II. pag. 139. quæ hujuſmodi ſunt:* Quod in hac controverſia mihi negotium faceſſit, illud eſt, quod nulla Religio diſciplinam profitetur perfectiorem illa, quam Chriſtus ipſe in ſuo Apoſtolico Collegio inſtituit. Hanc perfectionem omnes ſacri Ordines ſequendam complectuntur. Porro Chriſtus Dominus ea omnia præſcripſit, quæ ad hunc finem obtinendum conducunt. Inter alia autem præcipit ſecreto corrigendum eſſe delinquentem fratrem. Qui contendunt melius efficaciuſque incolu-

columem Diſciplinam Evangelicam conſiſtere, ſi, neglecto fraternæ correctionis ordine, immediate ad Prælatum denuntiandum delictum afferatur, hi profecto Evangelium corrigere, regulaſque perfectiores, ac prudentiores præſcribere videntur.

Reſp. *Eodem in loco propoſitæ hujus difficultatis ita immediate eidem reſpondetur, ut qui difficultatem perlegerit, idem etiam reſponſum videre compellatur:* Hoc mihi, *inquio*, difficultatem ingerit. Nec ob id tamen improbo, ſi quid ſapientes ſanctique Viri oppoſitum ſtatuerunt; quin illis, utpote divino perfuſis lumini, faſces ſubmitto, & UTROQUE POLLICE SUBSCRIBO. *At a ſupplicantibus opponitur difficultas, atque effertur, reſponſio vero occultatur, altoque premitur ſilentio. Detruncatio hæc, B. P., non equidem in novem* Theologiæ Chriſt. *Tomis adparet, ſed in libello ſupplici Tibi Romano P. porrecto obſervatur, unde coram Catholica Eccleſia ad publicam* Theolog. Chriſt. *damnationem compellaris. Factum, etſi fere incredibile, verum tamen eſt.*

Opp. V. Auctor Theolog. Chriſt. *docet obligationem, qua adſtricti ſunt Epiſcopi ac Beneficiati ſuperflua pauperibus erogandi, juris eſſe divini, ad juſtitiam, vel ad caritatem ſaltem pertinentis. Oppoſitioni vero, quam adverſus hanc doctrinam Theologi inſtituunt, quod Pontifices nimirum Epiſcopis teſtandis facultatem concedant, ſatisfaciens illud D. Bernardi opponit:* Plura impertiuntur Pontifices Summi, aut mendacio decepti, aut importunitate victi. *Hæc reſponſio, inquiunt, Pontificibus injurioſa eſt.*

Reſp. *Exoro ſupplicantes, ut vel meliorem ea, quam D. Bernardus adfert, reponſionem aſſignent; & ſtatim typis evulgabo: vel ſincere fateantur ſe onerare, atque opprimere innocuum hominem; niſi velint communi Eccleſiæ doctrinæ, docentis eam obligationem eſſe præcepti divini, caritatem ſaltem reſpicientis, valedicere, ac defendere obligationem, ad quam Epiſcopi & Beneficiati tenentur, præcepti ſolum fore Eccleſiaſtici.*

Oppoſitio VI. In Theolog. Chriſt. *injuria, ac calumnia afficitur P.* Tamburinus, *qui defendit, cum quis dicit:* juro per Deum, *non jurare, quando reſtrictione mentali intendit ſe non invocare nomen Dei. In* Theologia *autem* Chriſt. *defenditur hanc propoſitionem damnatam eſſe in propp. 25. & 26. Venerab.* Innocentii XI. *Hoc autem, inquiunt, falſum eſt, quia hanc propoſitionem docet P.* Suarez; *atque inde concludunt:* Ergo inique Concina calumniatus eſt Tamburinum. *Pari modo, addunt, etiam ſe gerit erga P.* Vivam.

Reſp. *In adjuncta ſcriptione propoſitiones binas damnatas, atque verba affero* P. Tamburini, *quæ materialiter eadem ſunt ac damnatæ propoſitionis; formaliter vero continent ſenſum, quemadmodum ego evidenter, ut mihi quidem videtur, demonſtro. At ſupponamus argumentationes meas eſſe falſas; jam hanc conſecutionem haud poſſunt adverſarii deducere:* ergo Concina inique calumniatus eſt; *ſed recta conſecutio eſſet iſta:* ergo peſſime Concina argumentatus eſt. *At ſi ratiocinationes meæ, quæ opponentibus minime placent, totidem calumniæ ſunt, & ego, & omnes Antiprobabiliſtæ totidem erimus calumniatores. Pari modo opinio a me recitatur* P. Vivæ, *quam in Theologia Morali docuit, quamque exacte a me exſcriptam eſſe confitentur; at me Theologum hunc onerare dicunt, quia* P. Viva *temperat eam opinionem; abſorberi ſcilicet poſſe, jejunii tempore, chocolatam toties* quoties *libuerit, in ſua* Trutina, *ad quam Lectores mittit. At* Trutina *edita eſt A.* 1708. *curſus vero ejuſdem Theologiæ Moralis A.* 1721. *Juxta omnes leges* ſtandum eſt ultimis. P. Viva *in ſua Theologia reſtringit, quod in* Trutina *docuit.*

Oppoſitio VII. Novem Theologiæ Chriſt. *Tomi contumeliis, injuriis, atque debacchationibus conſperſi ſunt contra* Caſuiſtas, *ac præſertim Jeſuitas, qui tanquam Auctores damnatarum propoſitionum traducuntur. Indices verborum malitioſo artificio ſunt contexti, in iiſque Jeſuitæ nunquam laudantur, ſed ſolum ceu opinionum laxarum magiſtri memorantur.*

Reſp. *Si vel unica in novem* Chriſt. Theologiæ *Tomis contumelia, atque injuria reperitur contra Societatem, aut aliquem privatum Jeſuitam, carnificis manu comburantur. Dicam ultra. Si Jeſuitæ ſapientiores, ipſaque Societas cæteris clarius in mea Theologia non reſplendent, aut quavis data occaſione Societatis ſcriptores non laudantur, ac præconiis non extolluntur, me pœnæ cuicumque ſubjicio. Legatur* §. 1. *adjunctæ ſcriptionis, ubi demon-*

ſtra-

ſtratur opinationes aliorum cœtuum Caſuiſtarum, & præcipue Dominicanorum ſeverius refutari, ac caſtigari. A vero ergo abhorret me præ cæteris Societatis Jeſu Caſuiſtas vulnerare voluiſſe. Quod affirmo, ex parte fatetur etiam in Hiſtoria ſua P. Franciſcus Ant. Zaccharias. *Card.* Bellarminus, Toletus, Pallavicinus, Vitelleſchius, Comitolus, Blanchus, Elizalda, Camargus, *Albertus* de Albertis, *Encericus* de Bonis, Munieſſa, Gonzalezius, *qui lucidiora Societatis aſtra reputantur, magiſtrorum loco a me habentur. Omnes eam, quam ipſe profiteor, doctrinam docent, atque omnes a me & in Opere, & in ejus Indice adeo frequenter laudantur, ut tantam liberalitatem, laudumque copiam in eoſdem complures docti Viri reprehenderint. Atque ab his Scriptoribus Societatis, neutiquam vero a* Paſchali, *aut* Wendrochio, *aut Henrico* a S. Ignatio, *ut falſo opponunt, prolixos, atque multiplices exſcripſi textus, ac millies prædico, & repeto inſignes hoſce Jeſuitas cæteris validius, fortiuſque benigniorem ethicem confutaſſe. At quia non eadem dixi atque ſenſi cum* Gobato, Eſcobario, Sanchezio, Tamburino, Viva, La-croixio, Buſembaum, *ut ex animo atque conſcientia nec dicere, nec ſentire poteram, ideo ne propterea Societati injurius, atque inimicus ero reputandus? Quamquam etiam horum Caſuiſtarum piam intentionem, aditum ſcilicet ad paradiſum reddendi faciliorem, ſemper juſtificavi, atque excuſare conatus ſum. Hoc totum luculenter in adjuncta ſcriptione demonſtratur. Accuſatio vero ex indicibus, quos ipſe non compoſui, petita, mei vindicias conficit; quia indices ſolum manifeſtant, quod in Opere univerſo pertractatur; cumque accuſatores nihil alicujus momenti in IX. tomis expiſcari potuerint, ad Indices confugerunt. Nihiloſecius neque hoc ipſis prodeſt. Indicabo curſim, quæ in* Indice Verborum *IX. Tomi in laudem Jeſuitarum exhibentur. In Littera A. Albertus de Albertis* S. J. Theologus præſtantiſſimus invehitur adverſus Confeſſariorum ignorantiam & laxitatem. *In Littera B. Bellarminus* Robertus *S. R. E. Card. S. J.* quanti merito faciendus *pag.* 334. Venerab. Card. Bellarminus, quem ego pluris facio, quam ſexcentos Caſuiſtas, quos citant *&c. In Littera C. Cardenas Jo:* laudatur, quia Probabiliſmum recte coercuit. *In Littera E. Elizalde Michael* Soc. Jeſu doctiſſimus Theologus. *In Littera I.* Jeſuitæ ſapientiores & doctiſſimi nimiam Confeſſariorum laxitatem deplorant. *In Littera S.* Societas Jeſu vetat laxas opiniones a ſuis doceri. *Suarez P. Franciſcus Soc. Jeſu* Theologus præſtantiſſimus a nota contradictionis eximitur. *In Littera T. Terillus P. Antonius Soc. Jeſu.* Theologus inſignis invectum a quamplurimis Theologis laxiſmum conqueritur. *At vero delatores mei ex novem Tomis modo unam, modo aliam periodum abſtraxerunt; in quibus monſtruoſas opiniones ipſe deteſtor, meaſque invectivas atque deteſtationes adverſus enormes horrendoſque errores intortas expreſſere, ac ſi in earumdem Auctores eſſent contortæ. Atque id, quod fidem ſuperare videtur, opiniones occultant, & invectivas ſolum manifeſtant. Indigitabo curſim aliquot ex quingentis circiter noxiis, pernicioſiſque opinionibus, contra quas vocem extuli. I. Occidi homo propter pomum poteſt, ubi de honoris agitur defenſione. II. Licet calumniare innocentem, & occidere calumniatorem, a quibus obventuram infamiam dubitatur. III. Blaſphemus ex habitu non committit novum actuale peccatum mortale, quando ſine advertentia blaſphemat; imo probabilius eſt non peccare, cum etiam eſt habitualiter diſpoſitus ad blaſphemandum cum advertentia. IV. In aliquo caſu Chriſtianus, lethali peccato cognito fœdatus, Chriſti corpus ſumere poteſt, non præmiſſa confeſſione, aut contritione. V. Famuli præparare poſſunt Dominæ, ejuſque amaſio epulas ad libidinem excitantes, atque lectum mollius componere floribuſque exornare, ut majori commoditate, uberiorique delectatione fornicari poſſint. Potuiſſem ne ego, vel debebam horrendas haſce opinationes, millenaſque ipſis ſimiles, pacato animo refutare, vel ſine gemitu ac clamore rejicere? Ita ne vero hujuſmodi invectivæ in opiniones intortæ tam aperta violentia in Caſuiſtas ipſos regeruntur? Si quis Caſuiſtarum hæretica dogmata adverſus fidem catholicam diſſeminaret, quemadmodum errores contra bonos mores docuerunt, jam ea hæreſim ſapere nemini unquam licebit dicere, quin ſtatim aut ut maledicus audiam, aut calumniatoris notam incurrat. Ut ergo paucis multa complectar, præter ſex falſas citationes, quas ex* Salmanticenſibus *hauſi,*

Concina Vindiciæ.

quaſque, licet aliquo modo ut veræ ex parte ſuſtineri poſſent, ut jurgia fugiam, pleno ore retracto: præter errores duos; alterum typorum quidem; alterum vero quod erraverim in quadam ex damnato P. Moyæ *libro opinione exſcribenda, evidens eſt cæteras omnes accuſationes eſſe falſas, & accuſantium injuſtitias patefacere. Supplicantes teſtes Theologos vocant ad eorum, quæ narrant, ſtabiliendam veritatem. Ego vero S. T. exoro, ut ſcribendum curet ad* Enriquezium *Sedis Apoſtolicæ Matriti Nuntium, ad Card.* Amedeum a Lanceis, *ad* Caracciolum *ejuſd. S. Sedis ad Venetos Legatum, ad Auguſtinum* Spinulam *Saonenſium Antiſtitem, ad* Bragadenum *Epiſcopum Veronæ, ad* Radettum *Epiſcopum Bergomi, ad* Gullielminum *Archiepiſcopum Urbinatem, ad* Recchum *Epiſcopum* Cupræ *Montanæ, ad* Vignolium *Epiſcopum Septempedæ, ut ex conſcientia conteſtentur, quid ipſi, quid ſuarum Diœceſeon doctiores viri de* Theologia Chriſtiana *ſentiant, quam jam quidam in Apuliæ, Siciliæque Seminariis legere, ac profiteri cœperunt. Certe ſupplicantes ſeveriori diligentia novem Tomos perſcrutati ſunt. Quidquid potuere mali collegerunt. At vero cunctæ aberrationes ad paucos, eoſque innocentiſſimos errores reducuntur: nihiloſecius concludere non dubitant:* Nullius hactenus Liber, ne ab Hæreticis quidem prodiit Societati noſtræ infenſior, ac pernicioſior, nullus qui pluribus impoſturis, conviciis, cenſuris & injurioſis debacchationibus ſcateat, qui venenum contra Societatem in aliis diſperſum plenius in unum colligat &c. *Tremendiſſimas haſce perlegens cenſuras, confuſione repletus, lacrymiſque obrutus quid promam neſcio præter illud:* digna factis non recipio, *quia graviora propter peccata admiſſa promereor. Quamquam accuſationes graviſſimæ non ideo adverſus me afferuntur, ut mea peccata puniantur, ſed ut exterminetur* Theologia Chriſtiana, *quæ, ut ex tacita adverſariorum meorum confeſſione deducitur, ſaniſſimam continet doctrinam, quum ne unam quidem afferre potuerint propoſitionem aut nimis rigidam, aut nimis laxam, neque mihi aut Rigoriſtæ, aut Laxiſtæ notam inuſſerint.* S. V.

Tu quidem, B. P., meus Dominus es, meuſque Mœcenas clementiſſimus. In cæteris dijudicandis factis meis tui miſericordiam deprecor, ac poſco: at vero in hac cauſſa ſeveriorem tui imploro flagitoque juſtitiam. Quæcumque admiſi adverſus veritatem, paratiſſimus ſum revocare, ut revera indicatos errores retractavi, alios revocaturus libentiſſime, ubi mihi innotuerint. Famoſi libelli adverſus me ſcripti atque vulgati, atroces perſecutiones, quas pertuli, non effecere, ut mei lamentationes gemituſque ad Sanctitatem Tuam deferrem, nec turbabo te unquam, cum quæſtio fuerit de mei perſona omnium miſerrima. Id unum poſtulo, ut ſi adverſarii mei urgere rem adverſus Theologiam Chriſtianam *perrexerint, juſtitia utaris ſeveriore. Sanctitatis Tuæ interim ſupremis me ſubjicio diſpoſitionibus, ac dum ſanctiſſimos pedes exoſculor, adpromitto, me ad tui voluntatem ita compoſitum, ut nullum filium me obſequentiorem ſis reperturus.*

DOCUMENTUM SEPTIMUM.

Declaratio, & ſincera proteſtatio F. DANIELIS CONCINÆ *ſuper aliquibus oppoſitionibus factis contra Tomos ſua Theologia Chriſtianæ Dogmatico-Moralis recens typis editos.*

CUM intellexerim magna cum moleſtia, nonneminem crediddiſſe, & accuſaſſe me, quaſi in Chriſtiana mea Theologia detraxerim multis piis, doctis, probatiſque Scriptoribus, præſertim inclytæ Societatis Jeſu, debeo omnino hac declaratione, & juſtificatione lectores monere & certos reddere, me numquam habuiſſe in animo ullam vel minimam injuriam afferre adeo laudatæ Societati Jeſu, de qua [ut in teſtimonio præfationi in ſeſto ſignificavi] ſemper ea qua par eſt reverentia ſcripſi, & locutus ſum: quare ſi quis verbum in ea reperiret, aut loquendi formulam, aut quidlibet aliud quod cum hac mea ſententia pugnaret, id omne revoco, atque improbo. Equidem refutavi ut privatus Theologus aliquas opiniones nonnullorum Auctorum tam Societatis, quam aliorum Ordinum Regularium; verumtamen non aliud volui quam ipſas opiniones refellere, non autem infamare Auctores, quorum ſemper animum, atque intentionem excuſavi. Et ſi quis agnoſcit, me eas impugnando erraſſe, proteſtationem renovo quam feci in prooemio primi, & noni Volumi-

luminis, nempe meum qualecumque judicium alterius ſapienti judicio ſubmiſſutum. His præmiſſis venio ad referenda, quoad ſcio, oppoſitionum capita.

I.

Primum caput eſt, me tribuere ſine fundamento nonnullis Societatis Scriptoribus quaſdam opiniones præter modum laxas: nempe ſequentes, *Tom. I. pag.* 95. 1. *edit.* Patri Sanchez: *In praxi numquam, aut rariſſime denegandam abſolutionem ob doctrinæ chriſtianæ ignorantiam, quia ruſtici ignorantes non habent commode doctorem, nec Confeſſor poteſt illos inſtruere:* cum tamen dixerit: *& Confeſſor poteſt illos inſtruere. Tomo II. pag.* 4. Patri Moyæ, neminem obligari *ex neceſſariis ad ſuum ſtatum conſervandum* eleemoſynam dare pauperibus, etiamſi ſint in extrema neceſſitate; cum tamen hæc opinio referatur dumtàxat, non ſuſtineatur a Patre Moya. Ita etiam *Tomo III. pag.* 117. de voto non ludendi Patri La-Croix: *Si voviſti redimere jacturam temporis*; cum dixerit, *ſi voluiſti*: qua verbi mutatione doctrinæ a me tanquam hujus Auctoris eo loco relatæ ſenſus mutatur. Error in his tribus opinionibus ortus eſt, ut quiſque judicare poteſt, vel a vitio typographi, aut viſus mei debilitate: a malitia voluntatis nullo modo.

Præterea cum tantum otii mihi non fuerit, ut ſemper ſingulos Caſuiſtas conſulerem, & poſtquam unum aliquem principem, puta *Leandrum*, aut *Salmanticenſes* conſului, hos in ceteris citandis ſim ſecutus, hinc ortum eſt ut perperam, non tamen voluntate, Auctoribus quarumdam opinionum, quæ laxæ ſunt, quoſdam doctos Societatis Scriptores annumeraverim: nempe *Tom. II. pag.* 165. Patrem Sanchez pro opinione quæ dicit, licere duellum *ad evitandum periculum vitæ, honoris, aut fortunarum*: *Tom. IV. pag.* 408. eumdem pro opinione, grave non eſſe peccatum *aſpectum membrorum turpium*: *pag.* 444. Eſcobarium & Leſſium pro parvitate materiæ *in genere luxuriæ*. Has omnes & quaſcumque alias laxas opiniones, quas quis reperiret in mea Theologia cuicumque Auctori non vere & immerito tributas, ut me nolente acciditſet, ita proteſtor, publiceque declaro me revocare.

Equidem *Tom. III. pag.* 390. *&* 436. dixi, Patrem Tamburinum docuiſſe propoſitionem 15. de Juramento a Ven. Innocentio XI. damnatam: ita enim ex ejus verbis inferri exiſtimavi: nihilominus ſi cui nullius ponderis meum videbitur argumentum, hanc quoque revoco aſſertionem. Habeat etiam pondus, quo dignum eſt, ſcriptum in Bibliotheca Angelica repertum, editumque *Tom.* 9. *pag.* 586. vi cujus ibidem aſſero, Patrem Suarez probabilem exiſtimaſſe ſententiam *de Confeſſione inter abſentes per epiſtolam*, damnatam a Clemente VIII. in quo juſtæ aliorum criticæ me ſubjicio.

II.

Secundum caput expreſſiones reſpicit quibus utor poſt relatas laxas opiniones, & aliquas *notas*, quas adjungo, eas appellans exempli cauſſa *falſas*, *ſcandali plenas*, *erronea commenta*, *monſtra*, *paradoxa immania anti-evangelica* &c. contra decretum, ut mihi objicitur, Innocentii XI.

Declamationes, & cenſuræ ad eas dumtaxat opiniones in quas, niſi fallor, cadere exiſtimo, non item ad Auctores referendæ ſunt. Quare ſi quis reperiret in mea Theologia cenſuram injuſte alicui opinioni tributam, aut invectivam orationem, declamationem, aut expreſſionem, quæ aliquem offenderet Auctorem catholicum, revocatam habere volo.

Credidi autem, decretum Innocentii XI. comprehendens illas propoſitiones *quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur*, intelligi de propoſitionibus quæ in *Scholis catholicis* libere diſputantur; non autem de illis quas hic, vel alius privatus Doctor poſſit tueri. Quod ſi alia ſit mens Ven. Pontificis, revocatum eſſe volo quidquid menti ſummi Paſtoris contrarium judicabitur. Atque huc ſpectare poſſe exiſtimo quod ait Pater La-Croix Lib. I. num. 199. pag. 26. *Si quis tamen ſententiam aliquam appellet improbabilem, vel levem, ſaltem in communiore ſenſu, non eſt cenſura .... neque ſi appellet laxam in communiore ſenſu.*

III.

Tertium caput fundamentum habet in Indicibus verborum. Objicitur mihi, artificioſe eſſe compoſitos, eo quod Scriptores Societatis ſolum citantur tamquam aucto-

res opinionum quas rejicio, non item earum quas probo; cum tamen pro his in corpore librorum eoſdem Scriptores citaverim; e contra locus non eſt in Indicibus Scriptoribus Dominicanis, quos in corpore librorum quandoque citavi tamquam defenſores laxarum opinionum.

Ingenue fateor, Indices a me non fuiſſe confectos: quare nihil mihi vitio dari poteſt. Video tamen in iis citatos eſſe ſumma cum laude Albertum de Albertis, Bellarminum, Cardenam, Columbier, Comitolum, Cornelium a Lapide, Elizaldam, Emericum de Bonis, Pallavicinum, Suarez, Terillum, Auctores Societatis: contra vero parum honorifice Candidum, & Lopez Dominicanos. Nolo nihilominus defectus Indicum defendere: quare confiteor & confirmo, Scriptores Societatis, inter quos Sanchez, Leſſium, Tamburinum, Vivam &c. pios eſſe, & doctos, multaſque defendere veras opiniones, ut retuli in corpore, & in Indicibus ſuis locis indicari debebat: in quibus, ſi cui videtur ullam laxam opinionem alicui Scriptori falſo tribui, is ſciat, id me delendum eſſe putare.

IV.

Quartum caput eſt, me initio cujuſque tractatus *Elenchum* propoſitionum præmittere, quas *damnabiles* pronuntio: in quo mihi judicium Eccleſiæ anteveniſſe opponitur.

Numquam fuit in animo Cenſoris tribunal erigere; ſed ſolum ceu privatus Theologus meum proferre qualecumque judicium, cum ita veſtigiis inſiſterem graviſſimorum Doctorum. Ita Francolinus in opuſculo cui titulus: *Francolinus Vindicatus*, cap. ſecundo conficit elenchum propoſitionum ex operibus Merbeſii, Juvenini, & Genetti, quas afficit nota *Rigoriſmi*. Quod ſi quis hanc methodum improbaret, aut propoſitiones in numerum illarum quas *damnabiles* appello, immerito adſcriptas reperiret, eas revocare, atque expungere paratus ſum.

V.

Quintum caput eſt, me in toto curſu, vel opere meæ Theologiæ ſemper magno ſtudio conatum eſſe ut Scriptores Societatis auctores apparerent damnatarum propoſitionum.

Puto tamen laudes quas merito tribui Ven. Cardinali Bellarmino, Tolleto, Pallavicino &c. me ſatis defendere. Rejeci equidem alienas opiniones quorumdam Caſuiſtarum; ſed mens non fuit illos doctos, & pios Scriptores, quos valde veneror, quibuſque uſus ſum ſententiis & doctrinis meæ Theologiæ, vituperare, ſed uti Theologi ſolent, refellere: & ſi quis demonſtrabit me in iis impugnandis falſum eſſe, libenter errorem meum confitebor.

VI.

Sextum graviſſimum caput eſt, contineri in mea Theologia res quæ probatis Scriptoribus gravi ſunt injuriæ. Tria adducuntur exempla. Primum eſt, quod loquens *Tom. II. pag.* 139. de ſecreta correctione, in Evangelio præcepta, ſubjiciam: *Qui contendunt melius efficaciuſve incolumem diſciplinam Evangelicam conſiſtere, ſi neglecto fraternæ correctionis ordine, immediate ad Prælatum denuntiandum delictum afferatur, hi profecto Evangelium corrigere, regulaſque perfectiores, ac prudentiores præſcribere velle videntur*: quaſi hac doctrina Regulam Sancti Ignatii, quæ præſcribit voluntariam renuntiationem correctionis fraternæ, vellicare voluerim.

Sed tamen huic difficultati ita immediate reſpondeo: *Hoc mihi difficultatem ingeris, nec ob id tamen improbo, ſi quid ſapientes ſanctique viri oppoſitum ſtatuerunt; quin illis, utpote divino perfuſi lumine, faſces ſubmitto, & utroque pollice ſubſcribo*. Qua reſponſione rejici credo factam accuſationem. Cæterum profiteor venerationem quam habeo pro illa ſancta Regula, quæ, ut nihil præſcribit contra ſanctum Evangelium, ita nequit aut in totum, aut ex parte, directe, vel indirecte oppugnari, ut juſte ſummi Pontifices præceperunt.

Alterum exemplum eſt in *Tom. II. pag.* 104. ubi defendens, Beneficiatis prohibitum eſſe *jure divino* teſtamentum facere in favorem conſanguineorum, mihique objiciens diſpenſationes quas interdum a ſummis Pontificibus obtinent, reſpondeo cum D. Bernardo: *Plura impertiuntur Pontifices ſummi aut mendacio decepti, aut importunitate victi*. In qua reſponſione parva mi-

hi

Digitized by Google

hi objicitur erga ſummos Pontifices reverentia.

Abſit a me hæc impietas. Hoc reſponſum attuli, quia poſito quod Beneficiatis *jure divino & non jure tantum eccleſiaſtico* prohibitum ſit in favorem conſanguineorum teſtamentum facere, neſcivi reſponſionem meliorem invenire; quam ſi quis parum reverentiæ erga ſummos Pontifices convenire judicabit, rejicio atque abominor.

Tertium exemplum eſt *Tom. VIII. p.* 390. ubi aſſero, quandoque Moniales dotem & vitalitium earum quas recipiunt, exigentes committere peccatum ſimoniæ. Opponitur mihi hac doctrina ſacram etiam me condemnare Congregationem, quæ talem concedens facultatem, dotis ſolutionem imponit. Juſtiſſima eſt praxis ſacræ Congregationis: nam ſupponit Monaſterium paupertate laborare: neque ferre omnia onera poſſe: quo titulo, ut præſcribit Concilium Tridentinum, dotis impoint ſolutionem, quam, ſi contrarium evidenter conſtaret, non imponeret. Atque his limitibus intelligitur, quidquid ibi de ſimonia Monialium diſſerui; in quo ſi quis errorem reperiet, revocare ſum paratus.

VII.

In ſeptimo capite objicitur, me retuliſſe quidquid falſo, & maledice contra illuſtrem Societatem ſcripſere Paſchalis, Vendrochius, Henricus a Sancto Ignatio, & Vincentius Baronius, quorum omnium Scriptorum aliqua opera ſunt damnata.

Certo tamen teſtari poſſum, me nullam ex his auctoribus exſcripſiſſe ſententiam; & ſi quiſquam reperiat, eam me revocare ſciat. Illud animadvertere volo, neque Montaltium, neque Vendrochium, conſcientiæ caſus reſolvere. Henrici a Sancto Ignatio me quaſdam opiniones oppugnaſſe; Vincentium Baronium vix ac ne vix quidem legiſſe.

Ceterum ſi quid peccavi, ſi quid convicii, impoſturæ, contumeliæ, aut cujuſvis alterius generis injuriæ calamo meo, ſane præter animum, excidit; ingenue retracto omnia, deleo, improbo, deteſtor.

Fr. Daniel Concina Ord. Præd.

FINIS.

OPE-

OPERA OMNIA
R. P. F. DANIELIS CONCINA
ORDINIS PRÆDICATORUM

ad hanc uſque diem typis edita.

Latine ſcripta.

COmmentarius Hiſtorico Apologeticus in duas Diſſertationes tributus, quarum altera anticriticia Animadverſionibus refellit ea quæ adverſus paupertatis Diſciplinam a D. Patriarcha Dominico in ſuo Ordine conſtitutam, intemperantiore critice ſcriptis prodiderunt Continuatores Bollandi in Commentariis nuper in Acta ejuſdem Patriarchæ editis. Altera eamdem Diſciplinam a laxioribus P. Raphaelis de Pornaſio interpretamentis vindicat. Accedunt de origine Diſciplinæ Regularis primum in Ord. Præd. per B. Raymundum de Vineis XXIII. Magiſtrum Generalem ejuſdem Ordinis, inſtauratæ, Diſſertatio Hiſtorica, & Quæſtiuncula Moralis de Regularibus perſonatis, ſub nomine Caroli Antonii Plantamuræ. Venetiis 1736. iterum 1745. 4.

Diſciplina Apoſtolico-Monaſtica Diſſertationibus Theologicis illuſtrata, & in duas Partes tributa: in quarum prima de Voto paupertatis Vita communi circumſcriptos in altera, de ceteris ejuſdem Diſciplinæ præcipuis capitibus diſſeritur. Accedunt ſelecta quædam veterum Theologorum Monumenta. Venetiis 1739. iterum 1750. 4.

Præfatio ad Lectorem in Dictionarium caſuum conſcientiæ Joannis Pontas, & Animadverſiones Critico-Morales in Menda Pontaſiana, ſive Obſervationes quaſdam Interpretis Auguſtiniani, cum Auctario duorum caſuum qui in eodem Dictionario deſiderantur.

Epiſtolæ Theologico Morales ad Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Epiſcopum N. N. Venetiis 1744. 4. iterumque ibid. Lucæ, & Romæ.

In Reſcriptum BENEDICTI XIV. P. M. ad Poſtulata ſeptem Archiepiſcopi Compoſtellæ Jejunii legem ſpectantia, Commentarius Theologicus. Venetiis 1745. iterum 1755. 4.

Defenſio Decretorum Concilii Trid. & Apoſtolicarum Conſtitutionum Eccleſiæ Romanæ in cauſa Paupertatis Monaſticæ, adverſus duos Libros inſcriptos *Vita Clauſtralis*, & *Vindiciæ Regularium* &c. ad Pontificem Maximum BENEDICTUM XIV. Accedunt Cenſura in *Cenſuram Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ*, & Animadverſiones in *Epiſtolam Exegeticam* P. G. C. Bonon. 1745. iterum 1758. 8.

In Epiſtolam Encyclicam Benedicti XIV. adverſus uſuram Commentarius, quo illuſtrata doctrina catholica, Nicolai Broederſen ac aliorum errores refelluntur. Romæ 1746. 1748. 4.

Uſura contractus trini Diſſertationibus Hiſtorico-Theologicis demonſtrata adverſus molliores Ethicos Caſuiſtas, & Nicolaum Broederſen. Accedunt Appendices duæ ad Commentarium Auctoris adverſus uſuram. Romæ 1746. & 1748. 4.

Theologia Chriſtiana Dogmatico moralis, Summo Pontifici BENEDICTO XIV. feliciter regnanti nuncupata, in decem tributa Tomos: quibus accedit Apparatus duobus Tomis comprehenſus: quorum alter, præter Decreta, & Conſtitutiones Pontificias, fidei, morumque rectam tradentes normam, de Locis Theologicis, ſive de purioris Ethices Chriſtianæ fontibus Librum exhibet; alter vero Conſcientiæ, & Probabiliſmi argumenta duobus diſtinctis Libris pertractat. Romæ 1750. iterum 1754. & 1758. 4.

De Sacramento Pœnitentiæ, ejuſque Miniſtro Commentarius Dogmatico-moralis. Romæ 1750. 4 Qui licet Theologiæ Chriſtianæ pars ſit, ſeparatim tamen diſtrahitur.

Romani Philalethis ad Theologum Lovanienſem Epiſtola de juſta Bibliothecæ Janſenianæ proſcriptione. Venetiis 1750. 4.

De Spectaculis Theatralibus Chriſtiano cuique tum laico, tum clerico vetitis Diſſertationes duæ. Accedit Diſſertatio tertia de Presbyteris Perſonatis. Romæ 1752. 1754. 4.

Epiſtola ad Polycarmum Virum Clariſſimum, in qua B. Nicolai Juſtiniani Veneti Monachatus fabula, vaniſque Commentis aſſeritur. Tridenti 1746. 1755. 4.

De Sacramentali Abſolutione impertienda, aut differenda Recidivis, Conſuetudinariis Diſſertatio Theologica. Romæ 1755. 4.

De Vita, & Rebus geſtis P. Thomæ Mariæ Ferrarii Ord. Præd. S. R. E. Card. Tituli S. Clementis Libri tres. Romæ 1750. 1755.

Ad R. P. Carolum Noceti̇um Epiſtolæ octo de ſingularibus Argumentis in ejuſdem Libro inſcripto VERITAS VINDICATA contentis. Accedunt Opiniones Laxæ quamplurimæ ex variis Caſuiſtis collectæ: item Cenſura R. P. Euſebii Amort Canonici Lateranenſis in Theolog. moralem R. P. C. L. C. &c. Venetiis 1755.

Theologia chriſtiana dogmatico-moralis contracta in Tomos duos: *ſive* Compendium Theologiæ &c. ab ipſo Auctore concinnatum, & in duos Tomos tributum. 4. 1760.

Ad Virum Clariſſimum R. P. Joſephum Carpani S. J., & in Romano Collegio Studiorum Præfectum, Epiſtolæ 4. 1769.

Vindiciæ Societatis Jeſu hiſce temporibus, ejuſque Doctrinarum purgatio 4. 1769.

Epiſtolæ Abbatis Titularis NN. ad RR. PP. Richelmium, & Gagnam Authores duorum Operum, inſcriptorum: *Specimen Animadverſionum* &c., *Epiſtolæ Eugenii Apologiſtæ* &c. adverſus Hiſtoriam Probabiliſmi, ac Rigoriſmi 4. 1772.

Manuale Concinæ ſeu Theologia Chriſtiana Dog-

mati-

matico Moralis a P. Daniele Concina elucubrata priore contractior. Adjectis ad calcem definitionibus ad examen ſubeundum neceſſariis atque opportunis. Venetiis 1763. Tom. 2. in 4.

De Danielis Concinæ Vita & Scriptis commentarius a Dionyſio Sandellio elaboratus. Venetiis 1767. 4.

Italice emiſſa, quorum tamen titulos hic latine ſubjicimus.

Vetus & nova Romanæ Eccleſiæ Diſciplina circa ſacrum Quadrageſimale Jejunium, duabus Apoſtolicis Litteris, *Non ambigimus*, & *In ſuprema* Benedicti XIV. Summi regnantis Pontificis expreſſa, atque Hiſtorico-critico-theologicis Animadverſionibus illuſtrata. Venetiis 1741. 1756. 4.

De Probabiliſmi ac Rigoriſmi Hiſtoria Diſſertationes Theologico-morales-criticæ, quibus fundamenta Chriſtianæ Theologiæ explicantur, atque a recentiorum Probabiliſtarum cavillationibus vindicantur. Opus in duos Tomos tributum. Ad calcem ſecundi Tomi adjecta eſt Diſſertatio Apologetica adverſus Libellum: *Difeſa della Diſſertatione Teologico morale critica de' Signori Abate Pietro Cappelletti, ed Arciprete Bartolomeo Caſali* ec. Lucæ 1743. & iterum 1748. 4.

Quadrageſima in Foro contentioſo recentium quorumdam Caſuiſtarum ad recti ſenſus, bonæque fidei populi Chriſtiani Tribunal Appellans ſuper jejunii præcepto cum carnium eſu conjungendi ex eo dumtaxat quod noceant cibi quadrageſimales. Diſſertatio adverſus Libellos duos nuper hac de re editos. Tertia Editio novis additamentis locupletata, videlicet duobus Brevibus Pontificiis de jejunio, & integra Diſſertatione in Librum cui titulus *Difeſa* ec. de quo ſupra in Hiſtoria Probabiliſmi. Venetiis 1744. 1756. 4.

Obſervationes critico-morales, quibus vindicatur Hiſtoria Probabiliſmi, & Rigoriſmi, adverſus Librum cui titulus: *Giuſtificazione di più Perſonaggi, e di altri Soggetti ragguardevoli in Lucca* 1748. propoſitæ in hac Epiſtola Auctori ejuſdem Diſſertationis. Piſauri 1745. 4.

Examen Theologicum Libri inſcripti: *Saggio de' Supplementi Teologici, Morali, Critici, di cui abbiſogna la Storia del Probabiliſmo e del Rigoriſmo* ec. typis editi Lucæ anno 1744. a R. P. Nicolao Ghezzio. Piſauri 1745. 4.

Explicatio quatuor Paradoxorum quæ plurimum obtinent ætate noſtra. Animadverſiones in duos libros RR. PP. Lecchi & Bovio, inſcriptos *Avvertenze*, & *Diſſertazione* &c. Præmittitur brevis notitia Librorum editorum a quibuſdam Probabiliſtis in defenſionem tum Probabiliſmi, tum aliarum moralium opinionum. Lucæ 1745. & iterum 1750. 4.

Expoſitio Dogmatis, quod Eccleſia Romana credendum proponit circa uſuram, una cum confutatione Libri cui titulus: *Dell' impiego del danaro*. Neapoli 1746. 1756. 4.

Monumenta Hiſtorica circa uſum Chocolatis tempore jejunii expoſita in Epiſtola ad Illuſtriſs. & Reverendiſs. D. Archiepiſcopum N. N. Venetiis 1749. 8. & iterum 1749. additis alterius Anonymi Auctoris Animadverſionibus ſpectantibus Librum ſcriptum *Quareſima appellante*.

Confeſſariorum & Pœnitentium Inſtructio, ut digne miniſtrent, atque frequentent Pœnitentiæ ſacramentum. Venetiis 1753. & iterum 1755. 8.

De revelata Religione adverſus Atheiſtas, Deiſtas, Materialiſtas, Indifferentiſtas, qui myſteriorum veritatem inficiantur, Libri quinque. Venetiis 1754. 4. Vol. 2.

De hodiernis Theatris chriſtianæ profeſſioni infeſtis Libri duo, quibus duæ de ſpectaculis theatralibus Diſſertationes confirmantur. Romæ 1755. 4.

Pro eodem Auctore Opera Apologetica ab aliis vernacula ſermone conſcripta, & edita.

Defenſio Doctrinæ Angelici Doctoris S. Thomæ Aquinatis 2. 2. quæſt. 154. art. 4. exhibita. Lucæ 1746. 4.

Epiſtolæ Theologico-morales Euſebii Eraniſtæ, quibus Hiſtoria Probabiliſmi, & Rigoriſmi P. Danielis Concina vindicatur. Editio tertia Tridenti 1752. 8. Vol. 6.

Adelphi Caritei, & Philarmindi Atenii Epiſtolæ in Libellum editum adverſus Epiſtolas Theologico-morales Euſebii Eraniſtæ. Tridenti 1753. & iterum 1754.

Notæ anticriticæ Eudoxii Fileni in Reſponſionem ad ad. R. P. I. S. exhibitam Epiſtolis Theologico-moralibus Euſebii Eraniſtæ. Tridenti 1752. & 1753. Vol. 6.

Specimina & Obſervationes Joannis Ambroſii Toniſchi circa Theatra. & aleæ Ludos. His additur Diſſertatio de iiſdem Ludis Auctore Anonymo. Venetiis 1755.

Criticæ Animadverſiones, queis compendio exſellitur Opus inſcriptum *Dell' impiego del danaro*. Lucæ 1755. 4.

Supplementum, vel Obſervationes in ſeptem priores Hiſtoriæ Litterariæ Italicæ Tomos. Lucæ 1753. 8. Vol. 2.

Obſervationes Euſebii Eraniſtæ ad Hiſtoriam Litterariam ſpectantes. 8. Vol. 2. Venetiis 1756.

Epiſtolæ Agenoris ad Defenſionem P. Concinæ, & Euſebii Eraniſtæ ſpectantes. 8. Vol. 5. Venetiis 1756. 1758.

Probabiliſmi tenuitas, ſeu notiores quam breviſſimæ, quibus homo tuto ſe dirigat in negotio æternæ ſalutis. Venetiis 1758.

Tractatus de Regula proxima humanarum actionum in opinionum delectu, in quo pateſiunt falſitas, improbabilitas, atque abſurditas ſyſtematis probabiliſtici, nec non illud in praxi ſequentium grave periculum. Opus P. F. Vincentii Patuzzi O. P. Ven. 1758. Vol. 2. in 4.

Latine.

F. Vincentii M. Dinellii Cathedratici Caſanatenſis Ord. Præd. ad Carol. Nocetium Soc. Jeſu Theologum, de Danielis Concinæ in indicandis deſcribendiſque Caſuiſtarum locis ſumma fide ac diligentia, Epiſtolæ xii. Romæ & Venetiis 1754. 4.

Moralium Actionum Regula in Opinionibus, ſeu Quæſtio de Opinione probabili. 1756. 4.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di reviſione, ed Approvazione *del P. F. Filippo Roſa Lanzi Inquiſitore Generale del Sant' Offizio di Venezia* nel Libro intitolato: *Vindiciæ Societatis Jeſu hiſce temporibus ejuſque Doctrinarum purgatio: Opera P. I. F. Danielis Concina Ordin. Prædicator.* non v' eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per atteſtato del Segretario noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo licenza a Simone Occhi Stampatore di Venezia, che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di ſtampe, e preſentando le ſolite copie alle Pubblice Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 3. Maggio 1769.

(Angelo Contarini Proc. Rif.
(Alviſe Vallareſſo Rif.
(Franceſco Moroſini 2.° Cav. Proc. Rif.

Regiſtrato in Libro a Carte 7. al Num. 32.

Davidde Marcheſini Seg.

00058165

Digitized by Google